




3 3433 07078685 4



D. MARTINI LUTHERI
EXEGETICA OPERA
LATINA



CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ERLANGENSIS PROFESSOR.

TOMUS VII.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. XXVI — XXX.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXXI.

IN GENESIN
ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM PER
VITUM THEODORUM,

TOMI III. PARS II.

IGESIMUM SEPTIMUM CAPUT GENESIS.

actumque est, cum senuisset Isaac, et caigassent oculi ejus, et videre non posset, ocavit Esau, filium suum majorem, dixitue ad eum: Fili mi; qui ait illi: Ecce ego. t dixit: En ego jam senui, et nescio diem ortis meae. Et nunc tolle, quaeso, arma ia, pharetram tuam, et arcum tuum, et gredere in campum, ut veneris mihi veationem. Et fac mihi cibos, quos appeto, t affer mihi, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, priusquam moriar.

1 hoc capite agitur de mirabili translatione beneetionis primogeniturae ab Esau ad Iacob, et deribitur divinum judicium, quod absconditum hacteis, tandem vero manifestatur. Ante omnia autem otanda est supputatio temporis, ut sciamus, quo ino haec historia gesta sit. Fuit enim Esau et Iab hoc tempore LXXVII. annorum: quia Iacob in lesopotamiam proficiscitur aetatis suae anno septuaesimo septimo. *De hoc non est dubium*, supputatio

clare convincit. Si igitur jungantur superiores anni sexaginta aetatis Isaac ante natos filios LXXVII. annis, prodeunt anni CXXXVII. Esau duxit duas uxores, cum esset Isaac centum annorum; supra hos centum annos vixit postea XXXVI. aut XXXVII. Itaque anno aetatis Isaac centesimo tricesimo septimo accidit hoc, quod sequitur.

Iacob autem postquam serviit in Mesopotamia VII. annos, primum fit sponsus anno aetatis LXXXIV. Esau ante eum XLIV. annis duxit uxores, et jam multos liberos genuit, et ex iis etiam habuit haud dubie nepotes, quia fuit conjunx XXXVII. annos, in quibus numerosa soboles generatur, praesertim ex duabus uxoribus. Habet igitur magnam familiam et peculiare tabernaculum cum uxoribus et liberis suis, ut infra patebit. Est princeps et dominus in domo Isaac, habet duas dominas, filios et nepotes complures. Ac sperat sine ullo impedimento successionem paternam. Iacob est miser et abjectus, nihil sperat; tantum munus aliquod exspectat, quo accepto ablegetur ex domo paterna, et reliqua omnia relinquat fratri Esau. Haec exspectatio utriusque durat triginta septem annos.

Tandem vero cogitavit Isaac: En ultra centum annos triginta septem annos natus es; cogitandum nunc est de migratione ex hac vita et de disponenda posteritate: quia post diluvium Patres non amplius attigerunt ducentos annos. Ac tum quidem omnes fere mortui erant praeter unum Eber. Tota majestas Patriarcharum erat sepulta, relictis Isaac et Ebero, qui biennio post moritur. Ergo solus Isaac est Patriarcha et Papa in orbe terrarum cum filiis suis. *Cogitavit igitur*: Caeteri Patres non vixerunt ducen-

tos annos praeter unum atque alterum, neque ego vitam longiorem sperabo. Factumque est, inquit Moses, cum senuisset Isaac, videlicet anno CXXXVII., et caligassent oculi ejus: fortassis non tam aetate, quam aliquo alio casu. Sed alias in senectute non oculi solum, sed gustus, tactus et omnes sensus et membra deficiunt, quia senectus est praeludium mortis. Sicut etiam infantes sunt quasi mortui, videntes non vident, gustantes non gustant; ita senes repuerascunt, et fiunt deliri, oculi fiunt caliginosi, auditus fit gravior. Statim ergo a nativitate sensuum defectus incipit, et morte appropinquante rursum omnes vires et sensus languescunt. Cum igitur sive aetatis, sive morbi accidentis vitio oculis caligo oborta esset, ut videre amplius non posset, vocavit ad se filium majorem natu Esau, ut benediceret ei, priusquam moreretur.

Hic vero difficilis et ardua quaestio oritur: quare Isaac post oraculum supra Rebeccae datum pergit, et vult benedicere majorem? Certum enim est, audivisse eum, quod per divinum oraculum dictum est Rebeccae: „Major serviet minori". Item: „Duo populi dividentur ex utero tuo, quorum major serviet minori". Ideoque fovet Rebecca minorem Iacob: Isaac e contra majorem Esau.

Iudaei hic nugantur, nescivisse Isaac responsum oraculi: Rebeccam enim id eum celavisse. Sed id absurdum est et contra naturam et consuetudinem conjugum, qui talia sibi invicem communicare solent. Nec potuit Rebecca celare dolorem, quem sensit ex collisione infantum in utero; questa est haud dubie, se de vita periclitari, et jubente marito vadit ad Eber vel ad Sem, ut consilium et sententiam

ejus inquireret. Ibi ille respondit: Non morieris, sed duo populi sunt in utero tuo, et tu mater eris duorum gemellorum, imo duorum populorum. Nec filii morientur in infantia, sed crescent, et habebunt promissionem vitae, ut sciant, se futuros Patriarchas maximorum populorum. Hoc ubi audivit, rediit ad maritum, et cum gaudio recitavit oraculum: Sem dixit, me pariturum gemellos, qui victuri sint, et generaturi duos populos.

Quid igitur Isaac nunc in mentem venit post oraculum divinitus datum, quod major debeat fieri minor? Difficilis sane quaestio est, et hoc totum caput admodum mirabile. Aliorum autem commentarii, qui genesin enarrarunt, frigidi prorsus et inanes sunt. Ego pie sic volo cogitare, fuisse inter conjuges amicam et benevolam dissensionem de sententia oraculi. Rebecca potuit ad patrem dicere: Profecto videtur Iacob futurus primogenitus. Isaac e contra: Non recte intelligis. Mihi prophetia haec jam videtur impleta esse, ita ut Esau vicerit Iacob majorem in utero, cum vellet minorem opprimere. Sed Esau evasit major, et debet manere major. Rebecca sensit contrarium, et haesit firmiter in sua sententia, donec postea mirabilis ista translatio fiat. Interim vero fuit amica controversia inter conjuges. Isaac conatus est Rebeccam a sua sententia deducere: Erras, mea Rebecca, dixit, non recte accipis oraculum. Rebecca respondit: Esau non erit primogenitus, et habuit argumenta gravissima, quia Esau fuit venator, junxit foedera cum Hethaeis et inducit in domum paternam duas uxores pessimas, non instituit liberos suos ad obedientiam erga parentes. Inde ratiocinata est, Esau esse rejiciendum: idque instinctu Spiritus sancti, qui

suggessit, Esau, qui prior natus sit, esse majorem, et alterum minorem.

Sic uterque parens filium suum, quem amat, vocat majorem et minorem, cujusmodi errores jucundi inter conjuges quotidie incidunt. Idem hic factum est de re non levi, et duravit certamen hoc usque ad catastrophen et conversionem illam. Rebecca statuit, Esau esse majorem, ac propterea non posse fieri primogenitum juxta oraculum: deinde contempserat ac vendiderat primogenita. Haec omnia diligenter collegit: sicut mulieres suas quoque cogitationes habent. Isaac autem contrariam sententiam retinet, et habet pro se regulam seu legem: Esau est primogenitus; ergo jus primogeniturae ei debetur. Perinde ac si dicas in arte grammatica: Nomina in a sunt generis feminini; quaedam vero excipiuntur. Sic Rebecca facit exceptionem et translationem. Pater haeret in regula sine exceptione. Huc accedit, quod Esau est in possessione, gubernat domum et est dominus. Iacob autem manet in conditione servili, est caelebs et loco famuli sine ulla gubernatione istis triginta septem annis.

Illa descriptio et collatio personarum juvat et illustrat historiam. Esau non solum domestice et politice, sed etiam ecclesiastice administrat omnia. Absente patre praedicat, orat, sacrificat et mactat pecudes; est rex et Papa in illa ecclesia. Uxores ejus sunt superbae dominae et reginae; jactarunt haud dubie, se esse in possessione, maritum Esau habere sacerdotium et regnum. Iacob e contra est abjectus, mortuus et sepultus, sicut truncus putris et „radix de terra sitienti“, ut Isaias (53, 2.) de Christo dicit.

Dei autem opus est, qui ex trunco arido potest facere arborem virentem.

Interea vero rebus sic stantibus et opinionibus Esau pro electo, Iacob autem pro rejecto habetur secundum regulam et judicium omnium in domo et auctoritatem patris Isaac. Sola mater Rebecca resistit, quae habuit istos triginta septem annos patientiam, et multa tulit, quae indignissime et superbissime gesserunt filius et uxores. Coacta est videre Esau in possessione, gubernantem, praedicantem, stantem in officio sacerdotali, Iacob pro servulo habitum, qui ferret aquam et ignem ad sacrificia, et alia munera domestica et servilia obiret.

Haec non absurde cogitari ac dici hoc loco videntur. Saepe enim in vita ejusmodi controversiae de rebus ambiguis incidunt. Sicut inter Augustinum et matrem Monicam similis erat dissensio. Orabat mater dies ac noctes pro filio, ut liberaretur a secta Manichaeorum, cui addictus fuit novem annis, et ita captus, ut nemo eum liberare, nec resistere ei posset in disputationibus. Mater multos adhibuerat, qui cum eo conferrent, et errorem hunc eximerent: sed a nemine nec vinci, nec revocari potuit, ita ut mater miserabiliter sine ulla consolatione angeretur. Ibi noctu habuit somnium, quo apparebat ei juvenis, stans in quadam regula, ac blande eam compellans: Mulier, quid ploras? Doleo, inquit, perditionem filii. Respondet juvenis: Ubi tu, ibi ille. Excitata mater e somno laeta recitat filio somnium. Inveni tandem consolationem, inquit, ac promissionem, te esse convertendum ad meam regulam, et verba juvenis commemorat. Ibi Augustinus invertit hoc dictum, et dicit matri: Non recte audivisti, sed ita dixit ille: Ubi ego

nimirum ad se et suam doctrinam particulam ego eferens), ibi tu. Mater vero nihil movebatur, sed nanebat constantissima in suo sensu, et Augustinus atetur, se valde illa constantia matris motum esse, uo facilius in sententiam matris transiret.

Tales contentiones usitatae sunt, cum inter conuges, tum inter amicos, ut inter Pomponium et Ciceronem, et hic inter Isaac et Rebeccam: nec tantum e sententia oraculi disputarunt, sed etiam ingenia t mores utriusque diligenter contulerunt. Mea Reecca, dixit Isaac, vides, Iacob esse simplicem et anino abjecto, non curare nec regnum, nec sacerdotium. Esau gerit arcum, sagittas, gladium; is ad gubernaionem erit alacrior et promtior. Sicut solemus nobis ene de iis polliceri, quos videmus ad res gerendas aulo acriores et excitatiores aliis. Deinde haeret i literali sensu oraculi, perinde ut Iudaei in carnali itellectu scripturae; horum enim Isaac gerit imagiem caecutiens et senex. Contra sanctissima matrona ffensa acerbitate uxorum Esau et filii superbia, illurante Spiritu sancto, fovet Iacob, et dicit marito: Esau neutiquam futurus est dominus. Mores ejus nihi displicent, ut maxime ad gubernationem videair idoneus. Iacob humiliat sese, obedit, et conculcaar a fratre. Ideo nondum est impleta promissio, uia humiles exaltantur, et superbi humiliantur. Hic nim est canon scripturae sacrae infallibilis, sicut Petrus dicit: „Deus superbis resistit, humilibus auem dat gratiam" (1 Petr. 5, 5.).

Cum igitur administratio Dei respondeat, urget Rebecca hunc canonem: Quia Esau sentit, se coli et nagni fieri a patre, ac propterea superbit et inflatur ura populari, ideo *humiliabitur.* Et Deus postea

contrarium statuit, ita ut alter Iacob, qui est abje-
tus et sedet in pulvere, evehatur. Haec sunt judici
divina. Idque ideo dico, ut facilius possit intellig
quare tam mirabiliter fallatur Isaac, ita ut propem
dum res fabulosa videatur; statuendum enim e
ipsum bene scivisse oraculum, et pertinaciter re
nuisse eam sententiam, quod Esau esset major, co
culcatus prius a Iacob in utero, vicissim jam co
culcaturus suum majorem Iacob; alioqui enim text
non poterit conciliari.

Pater haesit in litera sicut Abraham, qui Isma
lem pro primogenito habebat. Rebecca autem firmi
res rationes habuit; ideo tolerat quidem superbia
et injurias Esau, et tamen intendit animum in o
nes occasiones, ut possit transferre primogenitura
ab Esau in Iacob. Id consilium non isto anno a
die primum agitare incipit, sed longo tempore an
mo suo varie versavit, sic cogitans: Videbo eg
quomodo filio meo recuperare queam benediction
Et credibile est, eam non sua sponte aut suopte i
genio id effinxisse, sed admonitam esse a Spirit
sancto per Patriarcham Eber de exceptione illa a r
gula. Ille monuit, benedictionem divina auctoritate p
modum exceptionis a regula pertinere ad Iacob, non a
Esau: quanquam is rigore legis et regulae se tuer
tur. Sed, ut inquit Paulus, „filii legis non sunt h
redes, sed exceptionis" (Gal. 3, 18.), ideo Rebecc
non cedit de sua opinione, et certissime confidit, fo
haeredem et dominum Iacob. Contra Isaac non ced
a regula et lege usque ad illum articulum, cum m
ter et filius incipiunt patrem mendaciis fallere.

Vocat ergo Isaac filium majorem Esau, et pet
ab eo cibos, quibus norat ipsum delectari: unde cla

lligitur, eum firma animi assensione habuisse Esau o majore, quia plenus fiducia haec proloquitur, ut lent sancti homines: non sunt bilingues, nec duices animo, sed, quo feruntur, toto animo feruntur: ıt nihil, aut totum sunt. E contra fallaces sunt duii, inconstantes et duplices lingua. Verum hic cor atris Isaac indivisum, plena fiducia et persuasione rtur in filium Esau, quod is sit primogenitus. Ideo ostea, ubi sentit, se deceptum in hac simplicitate et ıdividua fiducia, gravissime turbatur. Id oritur ex la simplicitate, quae non dividit cor in diversas ententias; sicut qui credit in unum Deum, non post duos deos habere. Ibi enim totum cor requirit Jesus, cum inquit: „Diliges Dominum Deum tuum ex oto corde" (Deut. 6, 5.). Causa igitur deceptionis st nimia fiducia.

Describitur autem Esau valde obediens et bonus; ideo Isaac omnem fiduciam successionis in eum ollocat, loquiturque cum eo non aliter ac cum sucessore. Tempus est, mi fili, ut impleatur promissio; u major es et primogenitus. Curabimus igitur, ut nihi succedas in regno et sacerdotio. Vereor enim futuram contentionem inter te et fratrem, cujus senina et initia vidi jam amplius triginta annis. Proinde ut caveantur fraterna dissidia, statui, relinquere certum successorem et principem reipublicae et ecclesiae. Eligit vero Esau, quia est obsequentissimus, et matrem Rebeccam putat errare, quae Iacob diligebat, et eum sperabat futurum primogenitum. Ideo verba Isaac proficiscuntur ex animo prorsus persuaso et certo, quod Esau sit declarandus successor. Vade, inquit, accipe pharetram et arcum etc.; affer mihi, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, priusquam

moriar. Ibi nulla suspicio est, quod possit ali ri: et tamen decipietur.

Apparet autem ex ista oratione Isaac, qu(pulchre se potuit insinuare apud patrem. N dicit scriptura, quod coluerit patrem, sed qu paverit et blanditus ei sit egregie, das Klapp hört zu dem Handwerk; potuit se accommo ad quemlibet nutum parentis componere. De mulavit singularem quandam sollicitudinem ei erga parentem prae fratre. Ideo desperat I Iacob, qui versatur circa matrem modestus (dus, ac natus ad servilem conditionem. Esa est dominus in domo, qui solet venari, et (tione cibos selectos afferre patri, non quo cibos, gallinam, lac aut caseum, quales Re Iacob praebere solebant, sed ferinam. At ostendit studium et officium suum erga patr ge excellentius, quam Iacob aut mater, et is quio et sedulitate auget benevolentiam patris qui alias ipsi favebat plurimum. Sic scilicet di sunt hi, quibus volumus imponere.

Diligenter vero etiam ab uxoribus adj quae blanditiis suis senem delinierunt, et matrem vehementer perturbarunt, quia nor indigne ferre gloriam Esau et contemtum Ia cogitavit Rebecca: O Esau, tu colis pat propter te, sed propter tuum te, ut vulg(Non quaeris patrem, sed te ipsum. Quia no ut colat patrem sincero corde, sed quaeri pro uxoribus et liberis regnum et sacerdoti Rebecca sensit. Ita enim omnes hypocrit sunt; lupi sunt in vestimentis ovium, quib sunt parentibus, dominis, fratribus etc.]

non animadvertit; sed Rebecca pulchre sentit, et mirabili consilio rejiciet practicam istam. Fuit igitur obediens filius Esau, sed Deo ignorante. Iacob e contra non videtur ullo honore aut reverentia afficere patrem, verum Deo judicante solus colit, quia Deus intuetur cor. Esau affert lepores et ferinam, et blanditur seni parenti; propterea magis diligitur, sed est mera simulatio. Unde augescit simplicitas Isaac, qui sinit, sibi hac simulatione imponi.

Sed est malum exemplum, et pii discant odisse ejusmodi hypocrisin, et timere Dominum. Non enim curat Deus, si quis magna et multa facit, sicut Esau implet quartum praeceptum in summo gradu, ut apparet; sed nihil minus facit, quia cor ejus non est rectum et sincerum, quod tamen ante omnia requirit Deus. Deinde non curat Esau patrem, sed suam primogenituram, quod deinde magis liquebit, postquam amisit benedictionem. Si enim patrem vere et ex animo dilexisset, tum aequo animo tulisset maledictionem illam, et dixisset: Quanquam mihi et tibi aliud visum fuit, pater, obsequar tamen etiam matri, et feram aequo animo hanc translationem benedictionis. Sed longe alius ejus animus est, quia dicit: „Venient dies luctus, et interficiam fratrem meum". Siccine vero honorandi sunt parentes? Hoc ergo Satanicum et parricidiale cor vidit Deus, qui scrutatur corda; abscondit id quidem ad tempus, ne sentiret pater, sed postea erumpit.

Id vero parentum honor requirit, ut etiamsi quid contra voluntatem tuam ordinaverint, tamen nihilominus maneas obediens. Ideo Moses describit Esau insignem hypocritam, qui singularibus officiis demeruerit patrem, et tamen hypocrisi ista ei impo-

fuerit. Etsi igitur Isaac, qui caecus et senex est, illuditur a filio in speciem obedientissimo, Deus tamen juste judicat, et transfert benedictionem ab improbo hypocrita Esau ad bonum et simplicem Iacob. Idque nobis in doctrinam et exemplum proponitur, ut discamus Deum timere, qui non fallitur hypocrisi nostra, sed intuetur cor. Ideo optimum est simpliciter agere, et recto corde vivere. Nec ludendum est cum Deo, sive in religione, sive in republica, sive oeconomia gubernanda, propterea quod lusus talis et simulatio nunquam impune abeat. Postquam igitur hypocrita cum duabus uxoribus et liberis conspiravit, ut patri imponerent, atque ipse Esau institueretur haeres, sequitur jam consilium contrarium Rebeccae, quae audet insignem audaciam, ac evertit et perturbat Isaac mariti et filii consilia omnia.

Rebecca vero audivit, loqui Isaac cum Esau filio suo: abiitque in campum, ut captam venationem adduceret. Et dixit Rebecca ad Iacob, filium suum: Ecce, audivi patrem tuum loquentem cum Esau, fratre tuo, atque dicentem: Affer mihi de venatione tua, et fac mihi cibos, ut comedam, et benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Et nunc, fili mi, audi vocem meam in his, quae mandavero tibi. Vade, quaeso, ad gregem, et affer mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis cibos patri tuo, quibus libenter vescitur, et tu inferes ad patrem tuum, ut comedat, et benedicat tibi ante suam mortem.

Huc pertinet descriptio rituum, quibus usi sunt

patres, sive in conferenda, sive in accipienda benedictione. Sed Moses historice tantum commemorat, quid oportuerit facere primogenitum, quomodo vestitum esse ad accipienda feuda illa benedictionis. Praeterea nihil addit, cum tamen certas et peculiares caeremonias adhibuerint. Sicut hodie principes, quando accipiunt feuda ab imperatore, non vestiuntur communi aut usitato more, sed induuntur regalibus vestibus cum insignibus galeis et armis. Ista sunt caeremonialia, quibus utitur mundus ad publicandum et ornandum hoc, quod geritur. Sic Moses imposuit Iosuae manus suas, et scriptura inquit: „Pones super eum laudes tuas", id est, ornabis eum oratiuncula aliqua apud populum, ut sciant, eum a te commendatum, dignum esse, quem audiant et sequantur. Perinde ut nos facimus in congressibus scholasticis et renuntiatione graduum. Idem fit in nuptiis; conjuges ad templum euntes ornantur novo habitu, vicini vocantur ad pompam et caeremonias, fiunt apparatus convivii in honorem sponsi et sponsae.

Ad eundem modum aliquos ritus usurparunt in accipienda benedictione primogeniturae. Primum oportuit patri aliquam escam praeparare; id non factum est sine sacrificio: uterque obtulit Deo hostiam, atque ita initium fuit factum a sacrificio. Sicut nos in nostris congressibus publicis ordimur a precatione aut gratiarum actione, et sicut oramus imponentes manus iis, qui ad functiones ecclesiasticas ordinantur, sic Esau initio victimam obtulit, postea partem patri comedendam proposuit.

Altera caeremonia haec fuit. Oportuit induere vestes pontificales, convenientes pompae sacerdotali et benedictioni illi primogeniturae. Atque ibi signi-

ficat Moses, Rebeccam fuisse in possessione sac
talium vestium. Iacob eas non curat, et desper
primogenitura; sed ipsa sollicite eas asservat.
runt autem tum uterque Esau et Iacob septua
septem annorum, et tamen istae vestes fuerunt
custodia patris et matris, a quibus fuerunt pete
si quando usus eas postulavit. Idque judico R
eam singulari consilio fecisse, ut haberet in su
testate vestes, coronam, sceptrum, trabeam et
quae ad dignitatem primogeniturae pertinebant.
fere de caeremonialibus ex Mose possumus colli

Iam vero quaestio gravissima et nodus p
indissolubilis se offert, licueritne Rebeccae et
Iacob mentiri, et fallere in re tanta sanctissi
Patriarcham senem et caecum, et rapere fratri
benedictionem et primogenituram? Primum
peccant contra legem et regulam; deinde contra
culum, quod Isaac aliter, atque ipsa accipiebat
telligebat; tertio contra voluntatem et auctorit
patris. Ac Rebecca rapit ad se vestes regales et
tificales, quibus ornatum Iacob inducit ad pat
quem nunquam cogitaverat pater haeredem instit
Magna haec temeritas et audacia est cum in
fraude et damno maximo. Neque enim jocosum
officiosum id mendacium est, sed vehementer p
ciosum, quia primogenitura est res, de qua cert
ecclesiastice, et quae secum trahit vitam aeter
pariter cum temporali. Ingens igitur scelus est,
nunquam in quenquam cadere posse vel nequissi
existimes, nedum in homines tam sanctos Rebe
et Iacob. Nihil videtur dici aut cogitari posse s
ratius, etiam secundum mundum. Est nequissima
ceptio in rebus maximis contra oraculum et co

le

gem divinam. Deinde Esau est in possessione et bernatione oeconomiae, politiae et ecclesiae, et men contra haec omnia et contra voluntatem patris fratre Iacob excutitur.

Nihil vero habeo, quo juver ex Patribus, Augu-ino aut aliis in explicanda ista quaestione, quia mnes locum hunc transeunt. Divinandum igitur no-is erit. Ac profecto mira res est, mulierculam istam ntam rem audere, tanto periculo offerre filium ab-nte fratre et patre invito, qui etiam fraudem illam pemodum sentit, et stupet ad vocem et manus ob. Sic enim dicit: „Vox quidem vox Iacob est, manus manus Esau sunt". Item: „Quomodo tam io invenire potuisti"? Et Iacob ipse cohorrescit ad nsilium matris, dicitque ad matrem trepidans: Timeo, ne inducam super me maledictionem pro nedictione". Sed sequitur Rebecca rapientem spi-tum, ideoque illa pericula et offendicula omnia ex alis removet magno spiritu.

Nec videtur suo consilio hanc rem gessisse, sed m dudum animo conceptum ex aliorum monitis ibuisse. Sed non potuit persuadere marito, ut be-edictionem contra regulam transferret in Iacob. Ideo epe venit ad Eber, et questa est, Isaac non velle cedere a regula, et benedicere Iacob. Ibi audivit Eber: Fac, quicquid poteris ad fallendum, ad piendum jus primogeniturae, nihil intentatum re-nque: quia fides non est sine verbo. Ideo haud abie audivit verbum vocale, et id animo meditata t; alioqui non ausa fuisset hoc tentare. Spiritus nctus enim non venit sine verbo, sed per citharam, hoc est, per meditationem verbi, vel vocalem vocem patris, matris aut aliorum *vult venire*; alioqui venit

Diabolus. Sed ut David, Isaias et tota scriptura testatur, Spiritus sanctus cum verbo et per verbum venit, secundum sententiam: „Beatus, qui meditatur in lege Dei die ac nocte" (Ps. 1, 2.).

Deinde solet Deus aliquando regulam transgredi, propterea quod Canonici et legales filii solent abuti sua regula. Et eatenus lex eis nihil prodest; si enim coeperis ea abuti, Deus eam abrogat. Esau superbivit contra oraculum, et secum cogitavit: Iacob est rejectus, mortuus et sepultus, et oppressit miserum fratrem, toleravit etiam uxorum petulantiam et acerbitatem erga parentes. Quando ergo venit superbia, tum cessat regula; non enim constituit Deus regna et imperia, non ideo impertit alia dona hominibus, ut insolescant, et ferociant adversus pauperes et miseros; sed, quicquid dat, sive sint opes, sive vires, sive forma, dat ea ad gloriam suam et utilitatem proximi.

Finis ergo donorum Dei non est voluptas aut tyrannis eorum, qui habent dona. Sed usus legitimus vergat ad gloriam Dei, et salutem atque utilitatem proximi. Sed homines accipiunt benedictionem Dei, regnum, sacerdotium, robur, vires, prudentiam, et habent quidem causam efficientem, formalem, materialem, finalem vero non curant. Quare vero rex es? Cur es princeps, sacerdos, pater aut mater? Ideo, inquies, ut sim beatus in hac vita, ut indulgeam voluptatibus, ut expleam cupiditates meas: ideo sum doctus et dives, ut magnum nomen et gloriam inter homines adipiscar. Atqui ibi regula, de qua gloriaris, prorsus tollitur, quia Deus non vult, suas benedictiones profundi in alium finem, quam ad suam gloriam, ad laudem auctoris et salutem ecclesiae. Ma-

gistratus ideo in honore est, ut prosit reipublicae. Maritus et uxor ideo junguntur, ut generent et educent prolem ad utilitatem domesticam et publicam. Mundus vero praecidit causam finalem in omnibus donis Dei.

Hoc animadvertit Rebecca, et accuratius inspexit et consideravit oraculum, quam maritus, qui in regula tantum haesit, sic scilicet: Esau prior est editus, Iacob posterior; ideo ille est primogenitus. Rebecca e contra nixa est promissione. Materialem causam non habet pro se, sed formalem habet, quia vita et mores Esau non conveniunt cum oraculo. Cogitavit ergo: Filius meus sic se gerit, ut videam, eum non fore primogenitum. Deinde vendidit sua primogenita, et contemsit causam finalem primogeniturae. Tantum auferam in praesentia rufam coctionem, id est, modo dominus sim, et princeps ac sacerdos: nihil moror causam finalem de utilitate ecclesiae. Mihi meae cupiditates curae sunt et gloria mea. Sic regulam tuetur Isaac, Rebecca vero exceptionem: quia Esau sic se gerit, ut non sit, nec possit esse primogenitus. Deinde oraculum consentit cum inspiratione divina contra regulam.

Haec est epitasis rei et paroxysmus. Rebecca et Iacob pergunt in exceptione et spiritu, propterea quod Esau vendiderat primogenita, et propter abusum primogeniturae ea indignus judicatur. Potest igitur responderi ad quaestionem pro Rebecca et Iacob: Quod divinitus mihi datum est, et quod scio pertinere ad me, hoc possum mihi vendicare quavis fraude et fallacia: quia teneor sub peccato mortali cogitare, fingere, simulare, dissimulare, ut fiant ea, quae divinitus mihi commendata sunt.

Lyra dicit, non excusandos esse Iacob et Re cam. Neque nós peccato eos prorsus liberar Fuerunt enim homines habentes passiones carnis, dem ut nos habemus; sed non necesse est, eos guere mendacii, aut fallaciam aliquam exprobr quia Deo dicente: Ego volo, Iacob esse primog tum, ibi lex abrogata est; ubi autem non est ibi nec praevaricatio est, Rom. 4. (v. 15.).

Cum igitur essent certi Iacob et Rebecca p nere primogenituram ad Iacob ex oraculo et ex lis fructibus ac moribus Esau, debuerunt contem legem et regulam, et sequi exceptionem, qua tr tulit Deus primogenituram ab Esau ad Iacob. cogitavit Rebecca, quomodo posset fallere Isaac ritum et filium Esau, ac omnes, qui in domo e quia obedit jam non regulae, vel legi, sed Deo tr ferenti et dispensanti contra regulam. Ideo non cavit.

Atque hanc puto esse simplicem et veram sponsionem ad quaestionem de fraude, mendaci damno dato Esau et omnibus, qui ei adhaereb id est, universae ecclesiae in domo Isaac. On enim ei parebant, et pro primogenito habebant quidem amplius triginta septem annis jus et d nium id obtinuerat. Ideo nihil dubitabant pror esse eum mansurum primogenitum. Verum jam confirmanda esset benedictio primogeniturae, su et insperata conversio rerum incidit contra to ecclesiae et Patriarchae Isaac consilium et consens Sequitur enim Rebecca translationem divinam p ter Esau reprobum, juxta oraculum et contem primogeniturae ac fructus vitamque indignam *dignitate.* Atque ibi consentiunt causa et effectus

accedit confirmatio Spiritus sancti: Isaac vero decipitur, quod per se quidem grave et horribile peccatum est contra maritum, contra patrem et proximum, imo fratrem, contra regulam. Sed sicut Domino placuit, ita factum est: quia obedientia parentum, fraternitas, caritas primae tabulae subjecta sunt. Secunda tabula cedit, et est nihil, quando impingit in primam. Diligere fratrem aut patrem cum contumelia Dei, est odium Dei. „Si quis venit ad me, inquit Christus, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus“ (Luc. 14, 26.). Ibi Deus tollit legem, ut non tenear obedire in secunda tabula. Sed in casu, quo non pugnant prima et secunda tabula, ibi manet lex et obedientia.

Si magistratus tolerat me docentem verbum, honoro eum, et habeo pro principe cum omni reverentia. Sin autem dicit: Nega Deum, abjice verbum, tum non amplius pro magistratu eum agnosco. Ad eundem modum parentibus obedientia praestanda est. Sed si dixerint: Volo, te fieri Monachum aut sacrificum deditum idolatriae Pontificiae, ibi neutiquam obtemperandum est. Ita enim inquit Moses, Deut. 33. (v. 9.): „Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum“. Vult Deus, ut abnegemus nos et vitam in secunda tabula, si est contra primam. Si vero simul stare possunt, tunc reverentia parentum est Dei reverentia. Sin autem pugnant inter se, tum necessaria est exceptio.

Atqui vere et necessario id dicitur, obediendum esse magistratibus, parentibus et omni potestati.

Recte, concedo regulam. Cur igitur non servas
gulam, sive magistratus, sive parentes mandent
religionem ipsorum secteris? Respondeo: Est exc
tio. Prima tabula debet praeferri secundae tabu
Si parentes aliquid contra Deum statuunt aut jub
ibi quartum praeceptum tollitur, quod antea ra
et firmum erat, quia in primo praecepto dici
Deum diligendum et honorandum esse super om
Actorum 5. (v. 29.): „Oportet Deo magis obed
quam hominibus".

Ad hunc modum nos in negotio evangelii d
dimus contra imperium Caesaris et Papae, co
universam impietatem Papae, sine praecedente
pitu juris. Non accusavimus Papam, nec potuir
quia nullus erat judex. Honoravimus Papam, pa
tes, Caesarem. Sed quia Christus (Ioh. 10, 27.) di
„Oves meae vocem meam audiunt, alienum au
non sequuntur, sed fugiunt", non fuit exspectand
donec decerneretur humano more, utrum bene
male faceremus, sejungentes nos a Pontifice:
cognita voluntate divina non est disputandum
juribus, de praescriptionibus aut similibus. Sed
temperandum est sine ulla deliberatione mandato
vino, quia neque Papa, neque parentes, neque C
sar hunc titulum habent: Ego sum Dominus, D
tuus.

Sic facile potest responderi ad hanc quaestio
satis difficilem de facto Rebeccae et Iacob. Le
regula sanxit, ut Esau esset primogenitus, sed D
cum sua prima tabula fecit translationem, imo m
vit illam legem, et sic decrevit: Esau nolui, Is
volui. Proinde non peccarunt, sed pie et sancte
cerunt Rebecca et Iacob, atque omni jure spoli

nt Esau, et rapuerunt feudum illud primogeniturae. on potuerunt per vim obtinere, quia non poterat ri sine seditione. Quod enim ad promissionem et risdictionem attinebat, ecclesia pariter et politia ac ta domus Isaac opposuissent se Iacob. Antecellebat im Esau viribus et jure: Iacob longe erat inferior, ntemtus et oppressus. Ideo arte et ingenio et pulerrima fallacia rem aggressa est Rebecca, idque cundum voluntatem Dei, qui felicem exitum largir in re tam ardua, et plena ingentibus periculis.

Vocabulum מַטְעַמִּים gustationem significat, et ngruit cum phrasi, qua utitur Lucas in Actis 10. r. 10.) de Petro: „Et cum esuriret, voluit gustare bum", id est, prandere. Significatur temperantia in bo et in potu, ut sit magis gustatio, quam voratio at crapula, ut corpus alatur et sustentetur, non neretur.

Fuit autem pulcherrimus ritus accipiendi feuum et benedictionem primogeniturae, quo oportuit enedicendum afferre cibos selectiores parenti benelicturo. Mater cum imperio id mandatum dat: Audi vocem meam, in consolationem filii, et ad animandum um ad rem tam arduam et difficilem gerendam. abet pro se oraculum; ideo procedit de simplici t plano in fide. Et Moses singulariter hoc verbo andandi usus est, ut significaret, laborasse matrem n persuadendo filio. Ipse enim recusat, et disputat um matre de praecepto.

Dixitque Iacob ad Rebeccam, matrem uam: En Esau frater meus vir est pilous, ego vero vir lenis. Fortassis attrecbit me pater meus, et putabit, me sibi

voluisse illudere, et inducam super maledictionem, et non benedictionem. quem dixit mater sua: Super me sit mal dictio ista, fili mi: tantum audi voce meam, et vade, tolle mihi. Abiit itaq et tulit, adduxitque ad matrem suam, paravit illa cibos, sicut velle noverat p trem illius.

חָלָק significat lenem aut glabrum, glatt, s pilis. Est autem gravis ista excusatio, qua matern praeceptum infringere conatur. Admonet eam magnitudine et difficultate rei, quam tentabat, q diceret: Vide, ne forte in periculum me conjici ut pro benedictione auferam maledictionem. Est b nus dialecticus, opponit argumentum satis firmu quo conatur cor maternum ab incepto deduc Quid, si dicet pater: Fecisti me errare benedicend ego revoco benedictionem: ibi adducam ego sup me maledictionem. Tu et pater facile excusation invenietis; sed ego hoc obsequio et obedientia m in summum discrimen adducar.

Hic ergo altera quaestio de muliere sanctissi emergit, quae agitur quidem a Spiritu sancto, procedit in sua fide, sed tamen multa temere fac et plurimis periculis se et filium involvit. Pulcher mum consilium est, quod tam astute praevenit maj rem filium, coquit haedos, fallit patrem insigni fal lacia, paene supra captum muliebrem, velat manus et glabritiem tegit pellibus capreolorum. Sed stult haec cogitatio est, quod non sentit, patrem alia ra tione filium explorare posse, quam oculis, quibus captus erat. Non videt illam magnam fenestram, vo

et, quae maxime prodit hominem, tametsi
non possint judicare. Nec potest ulla ra-
ıulari aut mutari. Imo certius judicium
[uam si faciem ipsam contempleris. Ideo
n discrimen adduxisset filium Rebecca,
ıirabiliter gubernasset omnia. Audi enim,
deat pater. Postquam dicit Iacob: Ego
tuus Esau, statim agnoscit vocem Iacob,
Iacob, manus autem Esau. Ibi haud du-
factus cogitavit, se non recte perpendisse
› sane mox aufugissem ad responsum pa-
Iacob, vox Iacob etc. Hic enim paroxys-
ınus periculi.
nt vero haec omnia ad consolationem
quorum consilia et conatus necesse est
, quia suscipiuntur in fide. „Qui enim
omnia cooperantur in bonum" (Rom. 8,
non quiescit, et sunt ei omnia possibilia,
e virum sanctum, et quodammodo Spiri-
m. Sic Rebecca pergit, nec cogitat, quo-
nat se et filium Iacob ingenti periculo,
nim Isaac dicere: Quare vis decipere pa-
oliare tuum fratrem? An putas, me vo-
non audire et agnoscere (da ist es wahr-
Waag gestanden)? Qua voce perculsus
asset: O mater, quid fecisti? Pater obser-
quod nobis non in mentem venit, ut in-
caveremus. Ita fuit in maximis angustiis;
in obedientia matris, quae dixit ad eum:
tua sit super me. Ideo fuit insignis fides,
ıit se tergiversationi Iacob. Noli disputa-
jubeo, mando, si quid mali inde orietur,
ndet volo, sive sit maledictio, sive bene-

dictio, perge tantum meo nomine, meo jussu et
dato: si fueris maledictus, ego feram. Sic nemo
test loqui nisi plenus fide et Spiritu sancto. Ita e
dimittere filium et exponere certissimo periculo
ledictionis, et tamen sic credere, si cedat male, q
velis ferre omnia incommoda et maledictionem
sam, non est cujusvis, sed fidei ardentissimae o

Deinde ipsa oravit: O Pater coelestis, conc
ut filius recte administret omnia ac feliciter. I
ei non venit in mentem, quod pater agniturus
vocem. Ideo qui vult mentiri, debet esse circume
tus, memoria optima et magna prudentia ac as
praeditus. Ego sane hac parte nihil praestare pos
mox everterem omnia. Nec Rebecca satis circume
ta fuit; quod maxime cavendum erat, minime
vidit, ita ut propemodum res ad restim, ut dic
redierit. Sed vincit fides, et superat omnia erra
pericula, sicut credidit et oravit Rebecca, et obe
Iacob, postremo et oraculum quoque respondit,
respondet etiam eventus. Fides enim facit audie
surdos, videntes caecos, et e contra: breviter
peccat aut perdit. Aut si quando stultitia aut te
ritate impingit, tamen Deus praevidere et corri
solet, ut tegantur errata, et tandem secundos e
habent.

Scio ego, me saepe multa stulte et temere
modum egisse, adeo ut cogitarem: Cur Deus vo
me ad praedicandum, cum in me tantum scien
consilii et prudentiae non sit, quantum magni
muneris requirit? Quanquam enim bono et sim
animo, bono studio et zelo gerebam omnia, ta
multum absurditatis et offensionum saepe ortum
ut videretur coelum et totus mundus ruiturus.

in genua procumbere, et opem ac consilium a flagitare cogebar, qui potens est, et facit ex gio paroxysmo catastrophen comicam, nobis dormientibus: sicut dormiente Adam Evam creat. Aufert i dormienti costam, et claudit locum carne, ac dificat costam, quam sumsit de muliere, in carnem. Si dixerit aliquis, Deum bombycinos digitos habere, od tam leviter et facile tantum opus perficit.

Ad eundem ergo modum gubernat etiam sanctos os. Etsi hallucinati sunt graviter, ac magnam stultiam et temeritatem commiserunt; unde infinita mala possunt exsistere, tamen facit comicam et laetam tastrophen. Tanta virtus est fidei et orationis: imo es revera est omnipotens. Itaque Isaac fallitur tsi sciens, prudens et videns: quia dicit: Vox Ia-, manus Esau, et tamen patitur sibi imponi. Perle ut in gentilium libris videmus, dominos falli servulis, ut inquit ille (Terent. Heaut. 5, 1, 43.) comoedia: Nisi essem lapis, potuissem persentis-e. Ita agit Deus cum sanctis, ut non sentiant stulm aliquod et temerarium factum.

Diligenter igitur meminerimus exemplum hoc, ıò monemur, tantam esse fidei potentiam, ut eos, i sunt acerrimi visus aut auditus, reddat caecos et rdos, ut audientes et videntes decipiantur. Atque responderi potest ad quaestionem, quod Rebecca idem temere egit, sed divinam providentiam moratricem habuit propter fidem ipsius insignem, ita Isaac pater, quanquam audiret vocem Iacob, tamen mus fiducia et securitate deciperetur.

Incredulus non facile fallitur, sed qui temere vis fidit, is facile decipitur, juxta illud Proverbio n 14. (v. 15.): „Simplex credit omni verbo, astu-

tus considerat gressus suos". Non igitur adorien- sunt tum, cum scimus, eos vigilare et intentos es quibus cupimus imponere. Sed removenda primum est omnis diffidentia, et ut fidant nobis, efficiendum. Lactandi sunt animi aliqua persuasione, perinde Davus aut Syrus in comoediis dominos in fraude illiciunt, ut oculos claudant, dormiant et confida tibi. Sic enim Isaac nihil prorsus dubitat de fide R- beccae conjugis et filii Iacob, cogitat, eos tam bon et fidos esse, ut nihil dolose aut fraudulenter con ipsum possint agere. Ideo etiam admonitus voc- cob tamen nihil mali suspicari potuit, sed pu- joco quodam Esau mutasse vocem, non ut fal- patrem.

Atque haec communis ratio totius vitae est, [illegible] in sanctis tantum, sed in communi vita apud o[illegible] homines. Sicut exempla comica testantur. Qui te[illegible] credit, fallitur: rursus, qui non credit facile, [illegible] frustra conaberis decipere. Ideo autem talia [illegible] in vita sanctorum accidunt, ut videamus, quo[illegible] Deus sanctos suos gubernet, et faciat ex stultitia temeritate ipsorum maximam sapientiam, et consilii quae initio stolidissima videbantur, pulcherrimos [illegible] tus largiatur. Saepe satis imprudenter agunt [illegible] homines, sicut Rebecca turpiter hic hallucinatur. Se[illegible] tamen perrumpit, quia credit.

Haec itaque initio istius capitis diligenter notan- da sunt, primum, quod prima tabula praeferenda est secundae, deinde, quod Deus condonat, imo fortunat stultitiam et temeritatem sanctorum suorum. Si igi- tur in quocunque vitae genere aliquid perperam agis, ne desperes, sed cum humilitate erratum agnos- cas, et sic cogites: Deus est omnipotens, qui potuit

ducere Rebeccam et Iacob ex tanto periculo. Ideo non ego desperabo, sed confidam, eum hoc malo me expediturum. Erat sane temerarium consilium Rebeccae, sed feliciter successit, quia Deus dissipat consilia impiorum. Sed sanctos suos honorat et adjuvat.

Utrunque igitur cavendum est, ne superbias de sapientia et consiliis tuis. Deinde si male cedunt deliberationes, ne desperes: quia Deus dispensat et fortunat errores piorum. Ego maximas temeritates et stultitias saepe commisi, sed bono animo id feci: non studio nocendi, neque scienter, sed imprudenter et stulte, cupiens consulere fideliter. Ibi sane necesse fuit, me orare, ut Deus erratum tegeret et corrigeret. Nec potest in turbulentis negotiis aliter fieri. Sic enim saepe summi viri et optimi in republica maxime nocent stultis et temerariis consiliis: et si Deus eorum non misereretur, susque deque miscerentur omnia.

Talis est vita nostra, miserrima profecto. Ubi nos maxime sapere, et optime consulere conamur, ibi maximam labem saepe rebus afferimus, adeo ut, nisi divina miseratione et providentia corrigerentur lapsus nostri, funditus omnia everterentur. Idem enim nobis accidit, quod rustico cuidam aegre vehenti currum propter rotas, ut ipsi videbantur, obtusiores. ut expeditius equi traherent currum, circulos rotarum acuebat. Sed hoc consilio adeo nihil promovit, ut currus cum rotis in lutum profundius subsideret, ut prorsus loco moveri non posset. Talis nostra humanae sapientia est, quam nobis arrogamus, juxta quam nihil videtur facilius, quam gubernatio rerum. Inde ut ille in comoedia (Ter. Phorm. 1, 2, 20.) inquit: Me regem esse oportuit, et ut poëtae in fa-

bula Phaëthontis pulchre arrogantiam istam p[illegible]runt. Sic enim hodie quoque multos audias, qui [illegible]mant: Si ego essem Doctoris Martini aut Phi[illegible] loco, rectius eis consulerem. Scilicet videmus, [illegible] nos principes impingere, et Episcopos optimos [illegible] se praebere stultissimos.

Quid igitur? An nihil rerum gerendum, et [illegible]giendæ erit prorsus omnis administratio? Nequaq[illegible] Quin faciat quisque suum officium diligenter et f[illegible]liter, quod divinitus ipsi mandatum est. Id vere [illegible]veat, ne suis viribus, aut sapientia sua confidat, [illegible]que statuat, se esse tantum virum, cujus con[illegible] gubernentur omnia. Ea enim temeritas et arrog[illegible] immedicabilis est et damnabilis, quando ego [illegible] mihi arrogo, quod talis sim et tam praestans [illegible] qui possim sapienter et recte administrare rempu[illegible]cam, domum, ecclesiam. Sed si es judex, Episco[illegible] princeps, non erubescas procidere in genua, et di[illegible]re: Domine Deus, tu constituisti me principem, [illegible] dicem, patremfamilias, pastorem ecclesiae: ideo [illegible] me rege et doce, da mihi consilium, sapientiam [illegible] vires ad munus mihi demandatum obeundum feli[illegible]ter. Sic Salomon faciebat. Postquam audierat per somnium: „Postula, quod vis, ut dem tibi" (1 Reg. 3, 5.), orabat: „Domine Deus, dedisti mihi magnum populum, da mihi sapientiam, ut servus tuus judica[illegible]re possit et discernere inter bonum et malum" (ib. v. 7.). Ac testatur scriptura, illam orationem Deo ad[illegible]modum placuisse; est enim pulcherrima confessio. Rex erat sapientissimus et pientissimus, et tamen vo[illegible]cabat se puerum. „Ego autem, inquit (ib. v. 7.), sum puer parvulus, et ignorans egressum et introi[illegible]tum meum". Ideo additur (ib. v. 10—12.): „Placuit

placuit coram Domino, quod Salomon postulasset hujusmodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non dies petisti tibi multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce, feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te resurrecturus sit".

Discant igitur singuli humiliter agnoscere suam imbecillitatem, et a Deo sapientiam et consilium flagitent. Non enim ideo adhibentur ad gubernacula rerum, ut perfectam omnium rerum cognitionem sibi arrogent, sed ut erudiantur, et discant, quid sit Deus, quid gerat per magistratum et gubernatores, qui sunt organa operum Dei, per quae Deus regit homines. Qui vere prudentes fiunt et felices in gubernatione, qui autem sua consilia et cogitationes suas sequuntur, nihil recte gerunt, sed turbant et miscent omnia. Proinde ad orationem confugiendum est, et Deo proponenda difficultas muneris, ac dicendum: Pater noster, qui es in coelis etc. „Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam" (Sap. 9, 4.).

In primis vero sic oret gubernator ecclesiasticus: Domine Deus, tu constituisti me in ecclesia Episcopum, pastorem; vides, quam sim ad tantum et tam difficile munus obeundum ineptus, et si absque tuo auxilio fuissem, jam dudum evertissem omnia. Ideo invoco. Ego quidem os et cor applicare volo, docebo populum, discam ipse et meditabor diligenter verbo tuo; tu me instrumento tuo utere, tantum derelinquas me. Si enim solus fuero, facile perdero omnia. Diversum faciunt Sectae et Rottenses.

Illi enim sumunt sibi sapientiam et facultatem gubernandi et docendi. Ideo temere prorumpunt in ecclesiam, non orant, nec credunt, Dei donum esse administrationem, sive ecclesiasticam, sive politicam; sed se ipsos magistros et duces rerum ingerunt. Ideo fit tandem, ut turbent et impediant, quae ab aliis utiliter aedificata sunt.

Idem accidit in politia iis, qui suis consiliis et prudentia freti ad gubernationem accedunt. Cave igitur, si es in magistratu, ne innitaris tuae sapientiae; cave tibi a te ipso, et complicatis manibus clanculum ora: Tu, Pater coelestis, adsis mihi, adjuva, rege et guberna me. Sicut Moses totum negotium educendi populi in Deum rejicit, et detrectat divinum mandatum, nisi ipse adsit dux et moderator: „Nisi tu ipse praecedas, inquit, ne educas nos de loco isto“ (Ex. 33, 15.). Ad hunc vero modum ubi fueris precatus, perge forti et infracto animo, nihil dubitans de felici successu et eventu. Ita ego quoque saepe, ut Germanico proverbio dicitur, claves ad pedes Domini projeci, hoc est, rejeci in eum administrationem mihi demandatam. Ideo res longe aliter cessit, quam ego praevideram aut cogitaveram. Ac si quid ego errati commiseram, ipse sua bonitate et sapientia correxit. Ad eundem modum in oeconomia pater et mater instrumenta sunt, per quae domus et res familiaris gubernatur. Sed et ipsi agnoscant, se suis viribus, sua diligentia aut studio nunquam recte et feliciter liberos educare posse. Clament igitur: Domine Deus, Pater coelestis, adjuva nos, ut liberi ad frugem aliquam perveniant; da, ut vivat uxor in pudicitia, honestate, et ut in agnitione et timore Dei perseveret.

Sed

Sed multos invenias, qui hanc superiorem potestem et sapientiam in gubernatione non agnoscunt, d, si quid impedimentorum objicitur, putant, se pedituros rectius, si severitatem in poenis majorem lhibeant, ut, qui parent, metu poenarum coërceanr, et ad obedientiam vel inviti adigantur. Est sane sciplina, et ea quidem graviore, praesertim his ›striis moribus opus. Sed hoc certissimum est, quod ıe oratione nihil unquam proficies, quia gubernatio t divina quaedam virtus, ideoque vocat Deus mastratus omnes deos, non propter creationem, sed opter administrationem, quae est solius Dei. Qui itur est in regimine, est quasi incarnatus Deus. Sin item temere et tanquam illotis manibus irruunt ad ibernationem sive ecclesiae, sive reipublicae, seu i familiaris, ac excludunt Deum, non orant, non nsulunt Deum, sed volunt omnia regere propriis nsiliis et viribus, ibi tandem in oeconomia hoc eniet, ut ex honesta et pudica conjuge fiat scortum ssimum, filii degenerent, ac in lictoris potestatem erveniant. In politia turbabitur respublica seditionius, bellis, latrociniis et aliis infinitis periculis. In cclesia exsistent haereses, Epicureus contemtus veri, profanatio sacramentorum etc. Quare? Quia talis aterfamilias, princeps, pastor non agnoscit auctorem mnis consilii et gubernationis, Deum; sed sua praeımtione et arrogantia se et alios, quibus praeest, erdit.

Haec ex isto loco pro exemplo et doctrina dinda putavi. Primum ut sciamus, primam tabulam gere secundam juxta primi praecepti sententiam: go sum Dominus, Deus tuus. Deinde ut agnoscamus isericordiam Dei, qui mirabiliter gubernat sanctos

suos, etiam in temeritate et stultitia, ut confidan Deo toto pectore, et discamus, fidem absorbere c nia, non solum peccata, sed et temeritatem, stultiti et incogitantiam sanctorum.

Haec est materia et quaestio hujus capitis. I legemus ordine textum, et erimus spectatores hu mirandae historiae.

Tulit quoque Rebecca vestimenta Esa filii sui majoris, pretiosa, quae apud habebat domi, et induit Iacob, filii suum minorem.

Altera caeremonia a Mose additur, quae fuit vestitu eleganti et pretioso. Id enim significat Hebr vox חֲמֻדֹת, desiderabilis et pretiosus. Ac cre ejus usus est in scriptura sancta. Ad Danielem (9, 2 inquit Angelus: „Es vir חֲמֻדוֹת", vir desideriori ein lieber und werther Mann, et de centurione d tur in historia evangelica (Luc. 7, 4.): „Erat ei s vus חֲמֻדוֹת", id est, carus et pretiosus. Sic Rebe protulit vestes illas elegantes et splendidas: Die l ben, schönen, herrlichen Kleider, vestes sacerdotal quae haud dubie fuerunt pulcherrimae; sicut in M describuntur. Usi enim sunt peculiari vestitu in cris, sicut nos in nostris templis, quem vocamus (nat. Atque eas habet Rebecca secum in domo, u apparet, Esau nondum fuisse confirmatum, tam esset in possessione, et gubernaret ecclesiam. F Licentiatus ad Papatum, et functus est officio sa dotis, sed nondum fuit confirmatus, neque feuda ceperat. Ideo non habet vestes in sua potestate, q haud dubie singulari consilio Rebeccae cautum quae ad se recepit et retinuit vestes, quanquam

trem Isaac pertinerent: quia exspectavit occasionem, illi eas traderet, qui feuda a patre acciperet, et nfirmaretur in successione.

id et haedorum pelliculis induit manus us, atque mollitiem colli ejus. Tradiditque cibos et panem, quos paraverat, in anum Iacob, filii sui. Et ingressus est patrem, et dixit: Pater mi. Qui respondit: Ecce ego, quis es tu, fili mi?

Mirum est, quod collo tantum pelles circundat ter, et non etiam faciem tegit. Id tantum ei in ntem venit, quod patri essent porrigendae manus, si osculum dandum esset patri, vicissim eum colm filii amplexurum. Ideo haec duo inprimis tegi luit. Faciem autem glabram non facile posse aniadverti putat, cum barbatus esset Isaac, et barba ciperet osculum.

Forsan autem de eo quoque inter ornandum adnuit, ut quam posset diligentissime vocem Esau ingeret, ne pater inter vocem Esau et Iacob distinaeret: sicut quaerit statim: „Quis es tu, fili mi"? n es Esau, quem misi venatum? Videor mihi audire cem Iacob etc.

t dixit Iacob ad patrem suum: Ego sum sau, primogenitus tuus; feci, sicut locuus es ad me, surge, sede et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. t respondit Isaac filio suo: Quomodo m cito invenire potuisti, fili mi? Qui it: Dominus, Deus tuus, fecit occurrere ante faciem meam.

Longam orationem habet Iacob, qua respondet

patri. Atque eam pater intentus audit, ac tandem inde colliget hoc, quod sequitur: Vox Iacob, manus Esau. Manifestum autem mendacium est, quod dicit Iacob, se esse primogenitum. Deinde festinavit imprudentius; non enim praevidit mater, celeritatem istam fore suspectam patri. Unde hoc, inquit, quod tam festinanter invenisti? Haec una offensio est admodum dura, et admonetur de fraude et fallacia: Quomodo tam cito redis venatu? An potuisti tam subito feras venari et capere? Si vesperi aut cras rediisses, sat cito venisses. Sed respondet ille: Dominus Deus fecit occurrere: Ist wahr, Gott muſs auf sich nehmen, mentitur magnifice, dicit, se venatum esse feras, cum in stabulo accepisset duos haedos caprarum: sed mussitat Isaac et dissimulat, quia est securus et plenus fiducia, non posse sibi imponi a filio aut a matre.

Dixitque Isaac ad Iacob: Accede, quaeso, ut tangam te, fili mi, num tu sis filius meus Esau, an non. Et accessit Iacob ad Isaac, patrem suum, et palpato eo dixit Isaac: Vox ipsa vox Iacob, et manus illae manus Esau.

Haec altera et longe gravior offensio est, da wills bös werden. Iubetur accedere, ut pater eum tangat: ibi egregie sudavit, ac tacitus consilium matris reprehendit: O mea mater, quid fecisti? quo me impulisti? Postquam accessit, audit ex patre: Vox Iacob, vox, vox. Da hätt ich die Schüssel lassen fallen, und wär gelaufen, als hätte mir der Kopf gebrannt: ibi ego abjecta patina illico in pedes me *conjecissem*, quia Isaac veris vestigiis insistit ad frau-

dem deprehendendam, cum distinguit inter vocem et vocem: et offensio illa debebat eum excitare. Sed relabitur in somnum, et existimat, esse quandam simulationem, qua Esau imitetur vocem fratris. Iacob cum fiducia accedit, et audit sermonem istum; ibi igitur cessat consilium Rebeccae et Iacob, imo impingit. Sed Deus facit, ut Isaac sit intentus ad officium benedicendi, et istam offensionem ex animo removeat.

Iam vero ad nostram doctrinam haec omnia referenda sunt, ut erudiamur, quanta sit virtus fidei, et quod credenti omnia sint possibilia. Fides enim facit ex eo, quod nihil est, ut sit, et ex impossibilibus facit omnia possibilia. Stultitiam et temeritatem Rebeccae vidisti, quomodo adornarit filium Iacob, ut falleret patrem; circumdedit manibus et collo pelliculas haedorum, ut pater putaret, eum revera pilosum esse.

Est res plena periculi, sicut trepidat Iacob, et aversatur consilium matris: Ne forte, inquit, pater palpet et sentiat, ac inducam super me pro benedictione maledictionem. Sed tanta est fides istius optimae mulieris, ut per illa omnia perrumpat. Iacob ingressus est in specie filii Esau, habens manus pilosas, sic arte factas et dolo. Sed patrem non fallit per omnia, quia intelligit tamen vocem Iacob. Vides ergo, quod Deus pulcherrime corrigit temeritatem istam per fidem mulieris, propter quam necesse est, stolidissimum consilium fieri optimum et felicissimum.

Ita scriptura sancta describit historias sanctorum, ut commendet virtutem fidei. Qui igitur verbum Dei habet, ille existimet se beatum, et avertat ocu-

Ios a rebus praesentibus ad futuras et invi
quia verbum Dei, praesertim promissio, non l
de praesentibus, sed futuris rebus et nemini
tis. Fides fertur in rem, quae adhuc purum n
et exspectat, donec fiant omnia. Est scienti
pientia tenebrarum et nihilitudinis, hoc est,
quas habet incompertas et non apparentes
impossibiles. Qui volet Christianus esse, eum
hoc animo bene meditatum ac infixum habe
enim scientiae omnes docentur ex syllogismis
tionibus et experimentis, non habent fundam
principia sua in eo, quod nihil est, ac pr
non apparens, impossibile, absurdum, stult
fides apprehendens promissionem figit co
quod omnino est absurdum, impossibile, co
verbo et promissione divina.

Sic enim Iacob facit. Mater jubet eum
tionem a patre accipere. Ibi obstat pura n
quia benedictio pertinebat ad Esau, non
obstabat rerum impossibilitas. Quomodo eni
benedici? cogitavit: fratri debetur benedict
terea est hirsutus, ego glaber sum; perio
ne a patre maledictionem auferam. Ideo in
est, quod ad rem attinet, quia benedictio
mea. Pater enim cogitat de benedicendo
me nihil est sollicitus. Deinde possibile es
reat maledictio in me, qui sum levi et gl
si pater fallaciam agnoscat. Ideo certo im
mea mater. Sed mater contra haec omnia:
tio illa mihi noceat, si qua veniet. Illa e
non mulier. Homo est spiritu feminino,
or est in ea, ut superet viros fortissi
ritat, se posse perrumpere, ut benedictio

ratur, cui lege et regula non debebatur. Credit simpliciter impossibilia, absurda, stulta, periculosa: non dubitat, quin sit benedicendus Iacob, utut repugnent ac adversentur omnia.

Sic fides et ejus virtus est cordis cogitatio, seu, ut ita dicam, opinio, qua fertur in id, quod nihil, quod impossibile et absurdum est. Tantum habet verbum divinum, quod dicit: „Major serviet minori". Ipsa vero sensit ut mater, uter istorum esset major, et accessit illuminatio Spiritus sancti, ut verbum id recte intelligeret. Isaac contra stat rigidus, sicut immota rupes, ac haeret tantum in lege et regula, Esau esse primogenitum; verum ea mater nihil movetur.

Ad eundem modum nos quoque comparemus; quando habemus verbum, tunc omnes disputationes contra verbum abjiciamus, neque quicquam moremur, sive stulta, sive impossibilia, sive denique contraria legi naturae et Mosi objiciantur; sed recta sequendum est hoc, quod dixit Deus. Quodsi ratio accedit et disputat de verbo, tum actum est. Hinc lucta illa carnis contra spiritum exsistit, Gal. 5. (v. 17.), ubi Paulus loquitur de sublimibus illis affectibus, qualis est credere, quae non sentias, ac quae sunt secundum rationem impossibilia.

Sic in vocatione, ac tandem etiam in morte faciendum est. Quando Deus instituit me ducem contra portas inferorum, contra furorem totius mundi, contra infirmitatem carnis meae: quid hic animi nobis habet esse? Quis enim ego sum, qui pugno primum contra tot exercitus omnium Daemonum et hominum, deinde contra infirmitatem carnis meae? Respondeo: Respiciendum est ad mandatum Dei. Dominus dicit: Vade et praevalebis: ego tecum ero. Sicut Moseu

jubet regem Aegyptium aggredi, et educer
lum de tyrannide et fornace ferrea. Nonne ill
et impossibilia videntur, educere tantum p
et sic educere, ne relinquant ungulam post
loquitur Moses ad Pharaonem (Ex. 10, 26.
vero dixissem secundum rationem: Tu non
ne ungulam quidem, multo minus tantum p
quia rex potens est et crudelis tyrannus.
Moses non aliter loquitur cum Pharaone, a
haberet eductam turbam illam ingentem, qu
appareat fabula, stulta cogitatio et prorsus
bilis, si rationem spectes. Quicquid enim fid
et verbum promittit, id oportet fieri, quia
verbum, et verbum est Deus; qui habet ver
bet potentiam divinam, Rom. 1. (v. 16.).

In speciem quidem non aliter apparet
mana vox, et stultitia hominis loquentis:
trus, Actorum 10. (v. 26.) dicit: „Homo
similis", ad Cornelium. Petrus habet verbu
nat vox humana in auribus Cornelii; sed ta
omnia mirabilia. Sic animandi sumus cont
pericula, quae a Turcis et aliis hostibus in
imo contra mortem ipsam. Si enim absol
per os fratris aut ministri, non inspiciendu
mo, qui loquitur: neque in periculum au
dirigendi sunt oculi; non in sepulcrum,
nem, vermes, putredinem, quae objiciuntur
spiciendum est. Ratio enim sine fide cogi
possibile est, ut corpus mortuum vivat, q
litur, corroditur a vermibus, aut exuritur
res redigitur? Id vero simpliciter negat,
Non est verum. Spiritus contra pugnans
verum. Iam morti destinatus videor mihi

resurrecturus sum ex sepulcro gloriosus et clarificato corpore.

Ideo fides est pugna omnipotens, quae contra pugnam carnis uno eodemque prospectu haeret in verbo et promissione. Non enim loquimur hic de fide historica, quae est simplex notitia, ut cum scio, David vicisse Goliath et Philistaeos; licet id sit exemplum fidei, mihi tamen tantum historia est, et si esset mihi prosternendus Goliath, lacerandus leo, ibi historia nihil valeret, nisi quod esset quaedam exhortatio, quae me ad similem fortitudinem excitaret. Si vero ita cogitarem: David, Samson adepti sunt clarissimas victorias, ideo mihi quoque idem praestandum erit, id esset mihi impossibile. Nam et David non sine ingenti pugna tam praeclaras res gessit; fuit enim in carne, perinde ut nos sumus, habuit contradicentem, militantem, imo captivantem se carnem, non aliter atque nos habemus. Multo plus sensit incredulitatis, quam fidei; fides enim apparet et est infirma, „quia caro non solum militat, sed etiam captivat", ut inquit Paulus, Rom. 7. (v. 14.).

Ego olim non aliter mihi persuadebam, quam Paulum nihil cogitasse de sudando et pugnando contra carnem. At vero inquit (2 Cor. 12, 7.): „Datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, ut me colaphizet". Ille docet me, quid sit fides. Video ego victorias gloriosas martyrum et sanctorum; sed mea fides hoc non potest praestare. Et ipsi etiam sudaverunt, et mortem vicerunt non sine ingenti certamine. Ita nos quoque habemus eundem Baptismum, eundem consolatorem Deum, Spiritum sanctum Paracletum, qui proponit nobis in verbo multiplicem consolationem. Ac historiam quidem de certaminibus

et victoriis sanctorum libenter audio, sed eadem n
possum praestare. Ideo apprehendendum est verbu
„Sustine Dominum, viriliter age, confortetur c
tuum“ (Ps. 27, 14.). Deus etiam infirmum in fi
non abjicit. Quin nec Apostoli ipsi et Prophetae
fide fortes fuerunt, praesertim magna facturi per
dem. Moses ad mare rubrum trepidat, et clam
quia caro contra eum non solum militavit, sed ca
tivavit eum. Vides enim, suggessit ei caro, quod
utroque latere sunt montana: retro est Aegypt
ante nos est mare, per quod cum pueris et muli
culis ac pecudibus non poterimus transire. Sic qu
ad desperationem cogebatur; lex enim carnis et me
brorum hoc ei dictabat: En sumus destituti om
auxilio. Quid egi educendo populum? Pereund
erit nobis omnibus. Ibi tum gemitus inenarrabil
ut vocat Paulus (Rom. 8, 26.), incipiunt. Hic cl
mor non potest scribi literis, nec ullius sermo
enarrari: quia hoc verbum: cordis gemitus nimi
grande est, quod replet coelum, et penetrat nube
ac pertingit ad aures majestatis divinae, ut respon-
deat Deus: Quid clamas? Atqui non clamavit, sed
obstupuit, steteruntque comae et vox faucibus haesit
(Virg. Aen. 3, 48.). Is vero, qui scrutatur corda, in-
telligit, quid velit spiritus ingemiscens.

Haec ideo repeto et diligentius inculco, quia fides apparet coram ratione quasi levis res et vacua opinio, quam quilibet animo concipere possit. Cogitant, esse rem historicam, quae sit facilis. Sed quando objicitur mare rubrum, mors, victoria peccati, mortis, inferni per nos, tum fit copula et conjunctio virtutis Dei cum infirmitate humana, omnipotentia conjungitur cum nihilitudine et extrema imbecillita-

ta, ac tandem eo perducit infirmum, ut faciat impossibilia et incredibilia: sicut inquit Christus, Ioan. 14. (v. 12.): „Majora his faciet". Sic enim ecclesia licet firma omnia facit, orat, portat et absorbet omnem iram et furorem Diaboli et hominum, haurit etiam et tollit infirmitatem, peccata, mortem etc.

Hanc virtutem et potentiam fidei probat Rebecca ericulosissimo facto, ubi agebatur de aeterna maledictione, aut benedictione aeterna: quia benedictio t aeterna vita, maledictio est mors. Est disceptatio, filius Iacob sit aeternaliter maledicendus, an non, cum eo ipsa mater. In tanto et tam arduo certaine proponit sibi Rebecca regnum coelorum apertm, et se matrem benedictionis constituit. Unde? x verbo. Nemo enim aliquid feliciter facit, aut eret sine verbo. Hic textus: „Major serviet minori", ddidit ei animum; inde statuit, benedictionem cometere minori, non majori. Isaac quidem non intelxit; sed mater diligenter perpendit, et Spiritus nctus cooperatus est, qui nemini dat fidem per nuas speculationes, sed per verbum: quia caro pugat contra spiritum, et ad cogitationes sive speculaiones carnis nihil sequitur. Cum enim nihil appareat orum, quae sunt Spiritus sancti, omnia videntur ontraria et mortua. Sed quando cor apprehendit erbum, ibi sequitur illuminatio spiritus, virtus et otentia rerum admirabilium.

t non cognovit eum, eo quod manus ejus ssent sicut manus Esau, fratris sui, pilosae.

Potuit id etiam secundum naturam et communem tionem fieri, ut non cognosceret filium, quanquam

vocem audiret, prae nimio studio et intentione benedicendum. Homo enim uni alicui negotio int tus non curat alias res, etiam visas et omnibus s sibus comprehensas. Hoc non solum spiritualiter, etiam corporaliter solet fieri: sicut videre est in lancholicis. Illi aliis loquentibus, bibentibus, in dientibus aut egredientibus nihil audiunt, nec vid quia cordis cogitationes sunt abstractae a sensi Ideo animus melancholicus occupatus cogitation aliarum rerum non animadvertit ea, quae palam sibus objiciuntur, adest aliis confabulantibus, rec tibus historias et fabellas, et tamen nihil horum dit, quin animus quasi peregrinatur. Saepe come et bibens melancholicus, quid comedat aut qui bat, nescit, cerevisiamne an vinum. De Bern narrant, quod biberit oleum pro vino, cum esset ditabundus. Ac multo magis id fit, quando ac spiritualis obumbratio, et animus spiritualis totu res spirituales intentus est.

Idem cogitabimus accidisse Isaac, qui audi agnoscit vocem Iacob, neque id dissimulat; d enim: Vox Iacob, vox Iacob; et tamen rapitur s quia unica illa cogitatio animo obversatur, quom velit benedicere filium primogenitum, et quanta sit ista benedictio, simul perpendit, et in unum co git omnes promissiones Abrahae factas. Itaque Is occupatus est non solum naturalibus cogitationi ut amantes et melancholici solent, sed etiam sp tualibus. Rebecca autem etiam antea in eo ejusm melancholiam deprehendit; saepe apposuit ma cibum, ipso non sentiente. Postremo fuit persuas mus Isaac, matrem cum filio nec posse, nec v *sibi imponere*. Ideo dicit: Vox quidem vox Ia

tamen relabitur a sensu, et absorbetur spiritualibus cogitationibus. Iudaei non recte imaginantur, hunc scientem et deprehendentem fraudem dissimulasse, quia ignorant virtutes spiritus, quae sunt fortiores, quam melancholicae cogitationes, quibus si fuerit occupatus animus hominis, reddunt eum prorsus stupidum et ἐκστατικόν.

Et benedixit eum.

Nondum incipit benedictio, quia sequitur: „Es tu filius meus Esau"? Sed hoc vult Moses. Isaac, cum tetigisset et palpasset manus Iacob, totus fuit raptus, stupidus et mente captus, et conclusit, animoque suo hanc benedictionem firmavit, quod deberet esse rata et firma, quasi diceret: Benedictio jam est facta et certa, sicut infra dicet ad Esau: „Et erit benedictus", quia Spiritus sanctus est, qui per Isaac benedicit. Igitur non licet revocare aut mutare quicquam. Fuit hic impetus et motus singularis Spiritus sancti, quo conclusit apud se, postquam palpavit manus et collum, se velle benedicere filio. Nec mutavit sententiam, licet multis objectis argumentis.

Hoc vult Moses praefatione ista: „Et benedixit", quasi diceret: benedictio destinata Iacob jam est rata et confirmata; quicunque eam posthac expetiverit, spe sua frustrabitur, quia Spiritus sanctus non revocat suos motus, „nec est", ut inquit Malachias (3, 6.), „qui mutetur". Ego enim Dominus, et non mutor. Et Numeri 23. (v. 19.): „Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur". Quando Deus tulit aliquam sententiam, non mutat aut retractat eam, sicut homines solent. Ita hic Spiritus sanctus tetigit cor Isaac, et dixit in cor-

de ejus: Ego nunc benedico. „Sine poeniten tem sunt dona et vocatio Dei", Rom. 11. (v Ideo ait Moses: „Et benedixit ei", hoc est: I geschehen.

Dixitque: Es tu filius meus Esau? spondit: Ego sum. Ait ille: Affer mi bos de venatione tua, fili mi, ut bene tibi anima, obtulitque ei et comedit. tulit ei etiam vinum, et bibit. Et dix eum Isaac, pater suus: Accede, quaes osculare me, fili mi. Et accessit atqu culatus est eum. Et ille odoratus es grantiam vestimentorum ejus, bened que eum, et ait: Ecce, odor filii mei,

odor agri, quem benedixit Domin

Anima est spiritus vel vita hominis in se exterioribus. Anima videt, audit, loquitur, flet, Hoc vult Isaac dicere: Intus in corde est concl quod tibi velim benedicere: nunc benedicet ti ma mea, id est, externis sensibus tibi bene Spiritu benedictus es, jam anima tibi bene Ideo adduntur caeremoniae. Non enim possunt spirituales res externae sine externis caeremon ministrari. Quinque sensus et totum corpus suos gestus et ritus, sub quibus corpus qua quibusdam larvis oportet vivere. Ideo non tant corde benedixit, sed etiam sensibus et caere exterioribus. Oportuit filios benedicendos affer tri cibum delicatiorem et vivum; postea acces et osculati sunt patrem. Hae caeremoniae ver liticae sunt, et hodie inter reges et principes, do *feuda* offeruntur, retinentur. Nos etiam in s

nus, quando promovemus doctores theo-

caeremoniam servatam rursus ait Moses: dixit ei", videlicet externe, cum odoratus rantiam vestimentorum ejus. Semper enim ius, qui movet Spiritum sanctum, et Spiritus movet corda per externa, ut per verbum, monias et objecta, quae per sensum extern ent cor. Post motus autem istos Spiritus nit animum Isaac, et jam quasi raptus plasum habet, esse hunc filium primogenitum; enim vestimentorum prorsus confirmatur. autem hae vestes Abrahae et Isaac sacerdoas ipsi summa cura asservarunt, adhibita liis rebus odoriferis, ne a tineis arroderent nos hodie nardum aut similia adhibemus. itaque Isaac: Hic est Esau, primogenitus is, quia indutus est vestibus sacerdotalibus. u deceptus est, et jam sensu decipitur. ır autem eleganti similitudine: „Odor filii odor agri, quem benedixit Dominus". Quaet quam suavis sit odor agri appetente messolae norunt optime. Similiter et vinearum, vindemia, est odor jucundissimus et plane Gratulatur igitur sibi Isaac, et animam suam propter filium benedicendum. Nunc habeo

optimis et laetissimis cogitationibus de fili
sore describit Moses. Bibit vinum, et est hil
magis Spiritu sancto et spiritualibus cogit
ut ita dicam, inebriatus. Unica enim et]
consolatio est nosse, quod habeat haeredem
tionis illius, quae erat exspectanda per (
Atque hoc haud dubie addidit, promission
hae factam nunc procedere et propagari i
haeredem.

Haec longe alia et sublimior benedictio
aquae benedictae, de qua multa mentiuntur
Fuerunt benedictiones de aeterna vita adve
tem aeternam, sacerdotales et regiae, pertin
vitam futuram. Quanquam non possint illa
strari sine hac vita, et necesse est, ut habea
corporales benedictiones. Non enim poss
temporalibus aeterna benedictione frui. Opo
agrum benedicere, suppeditare panem, car
omnia ad victum necessaria. Sed non in
vivit homo, et benedictiones corporales da
ter illam aeternam. Ideoque semper includ
tuales promissiones etiam temporales.

Sic ad discipulos dicit Christus, cum
ad docendum evangelium (Luc. 10, 7.): „
autem domo manete edentes et bibentes,
illos sunt". Item (ib. v. 8.): „Manducate,
ponuntur vobis". Dominus enim dat ben
corporalem, panem et vinum, si quidem
non potest istis corporalibus benedictionib
Evangelium est principalis benedictio, a
adjiciuntur quaerentibus regnum coeloru
benedictio est aeternae vitae; secunda est
de qua inquit Christus, Matth. 6. (v. 31. 3

solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, bibemus, aut quo operiemur? Scit enim ter coelestis, quia hic omnibus indigetis". oque videbimus, hanc externam benedictio- per Isaac ad benedictionem aeternae vitae, potest haberi sine corporali.

Deus de rore coeli, et de pingue- rae, et abundantiam frumenti at- ti. Serviant tibi populi, et incur- tibi nationes. Sis dominus fratrum et incurventur ante te filii matris aledicens tibi sit maledictus, et benedicens tibi benedictus.

est forma benedictionis, cujus prima pars d victum corporalem, quia sine eo non vivere etiam in regno Dei, quod attinet itam. Corpus enim alendum est, si debe- re et gubernare ecclesiam. Prima igitur pars d oeconomiam et ad domesticas facultates, liberi, familia habeant necessaria ad quoti- tam, quod in petitione dominica dicitur tidianus, hoc est, universa, quae ad corpo- rationem requiruntur in domo. „Det tibi uit, de rore coeli et pinguedine terrae, det am frumenti et vini": haec sunt temporalia. pus est nobis rore coeli, id est, pluvia coe- pinguedine terrae, id est, fecunditate soli. nim seritur in petram, in aquam aut in sil- rtet sementem fieri in terra fertili et fecun- s etiam pluvia opus est. Et hanc partem locupletem et delicatam; dicit enim, eum de frumento et musto copioso, non tan-

tum de aqua parce et duriter, sed abundan
Habebis, unde corpus cures egregie, non
tantum alatur, sed satis crasse et in abun
nium rerum, ut Moses loquitur, Deut. 3
„Incrassatus est dilectus, et recalcitravit ii
incrassatus, dilatatus est".

Certus est igitur Iacob pro se et
victu domestico, et eo non tenui, sed la
cato. Idque sane videre est in libris Reg
do haec promissio sit impleta. Agnoscai
se habere corporalia donante et bened
neque somnient, sicut ethnici et infideles,
sive bona, sive mala in hac vita objici;
haec tanta dona contingere, ut pro hi
Deo grati sint: sicut concionantur Apost
(v. 17.): „Benefacit de coelo nobis, dan
tempora fructifera, implens cibo et la
nostra".

Monachi et alii indocti ante haec t
euerunt contemtum temporalium bonorum
agrorum, et ipsi tamen ad ea maxime it
mederunt et biberunt lautissima et opti
haec somnia Monachorum discamus, eti
lia beneficia esse benedictiones divinas.

Altera pars benedictionis est politi
regnum spectat; constituitur enim domi
rum et gentium, quod futuri sint post
et reges, non tantum patresfamilias. S
populi ei, cum subjicientur non patribus
principibus et regibus. Neque unus tan
serviet, sed pluraliter populi et tribus n
etiam impleta sunt tempore judicum et
filii Israël terram Canaan occuparent,

cum Idumaeos subigerent, sed et omnes populos et reges illius terrae exterminarent.

Tertia pars benedictionis est spiritualis et sacerdotii. Fratres ex eodem patre et matre eadem nati adorabunt te, qui in politia et oeconomia forsan eadem dignitate possunt frui. Sed sacerdotalem dignitatem tu solus obtinebis. Atque haec praecipua pars est benedictionis. Prius dixit: „Servient tibi populi, et adorabunt te tribus terrae". Id adorare est politicum. Hoc aliud est, et pertinet ad fratres et filios ejusdem matris: quanquam posset referri ad politiam. Sed rectius de tertia parte benedictionis accipitur, cum politiae antea meminerit.

Hae igitur sunt tres hierarchiae, quas saepe inculcamus, videlicet oeconomia, politia et sacerdotium, sive domus, civitas et ecclesia. Domus habet panem quotidianum, et est quasi diurnum regnum. Politia habet temporalia, et est plus, quam diurnum, quia durat toto tempore exclusa aeternitate. Sed sacerdotium supra domum et civitatem ecclesiasticum, coeleste et aeternum est. Ad hunc modum filio Isaac pulchre prospectum est. Constitutus enim est haeres, ut habeat cum posteris suis domum suam, regnum et ecclesiam. Estque opulenta et magnifica benedictio, qua confirmatus est de futura haereditate, quam sine ulla disceptatione certo sperare et exspectare potuit.

Neque vero haec benedictio inanis tantum sonus verborum est, aut verbalis quaedam imprecatio, qua alius alii bona dicit et comprecatur, ut cum dico: Det tibi Deus sobolem pulchram et morigeram. Haec verba sunt tantum optativa, quibus nihil alteri confero, sed tantum exopto, estque benedictio pure eventualis et incerta. Haec vero benedictio Patriarchae

Isaac est indicativa et certa in futurum. N
exoptatio, sed donatio boni, qua dicit: Accip
dona, quae verbis promitto. Aliud enim est,
dico: Optarim, te habere robustum et sanum
esse praeditum bono ingenio, ubi verbum h
non sequitur. Aliud est, quando porrigo sa
pecuniae, et dico: Accipe mille aureos, qu
dono. Aut cum Christus dicit paralytico: „Tol
batum tuum, et ambula" (Matth. 9, 6.).
benedictione diceret: Utinam esses sanus et
integris: sed morbus non tolleretur, nec seq
restitutio virium; ideo est verbalis tantum.

In scriptura sancta autem sunt reales ben
nes, non imprecativae tantum, sed indicativae
stitutivae, quae hoc ipsum, quod sonat, re ip
giuntur et afferunt. Cujusmodi etiam nos in
testamento habemus per sacerdotium Christi, qu
nostra benedictio, cum dico: Accipe absolu
peccatorum tuorum. Si dicerem: Utinam esse
remissa peccata, utinam esses bonus et in gra
aut precor tibi gratiam, misericordiam, regnun
num et liberationem a peccatis, haec caritatis
dictio dici posset. Sed benedictio promissi
fidei et praesentis doni haec est: Ego absolv
peccatis tuis in nomine Patris et Filii et S
sancti, hoc est, reconcilio animam tuam cum
aufero a te iram et indignationem Dei, et co
te in gratiam, do tibi haereditatem vitae aete
regnum coelorum. Ista omnia sunt potestati
senter et vere tibi donantis, si credis, quia no
opera nostra, sed Dei per ministerium nostrum
igitur benedictiones imprecativae sunt, sed col
Quando baptiso te in nomine Patris et Filii

ritus sancti, perinde est, ac si dicerem: Rapio te ex manibus Diaboli, et offero te Deo, idque vere et realiter.

Ad eundem modum Patriarchae habuerunt in manu potestatem benedicendi, id est, tradendi certa promissione, quod habituri essent posteri victum, regnum et sacerdotium: non aliter ac si diceret Isaac: Do tibi frumentum, trado tibi regnum et sacerdotium. Iudaei nimis frigide has benedictiones tractant: tantum enim accipiunt eas more humano et modo optativo, non in definitiva sententia. Benedictio vero talis sententia est, quae definit et concludit aliquid, ein endlicher Spruch oder Urtheil. Talis potestas magna profecto res est; vere enim confert ac largitur bona corporalia pro domo, temporalia pro regno, aeterna pro sacerdotio; pro hac potestate laudaverunt ipsi Deum, qui eam hominibus concessisset, per quos benediceret et donaret omnis generis beneficia.

Verum ingens et deploranda haec miseria est, quod videmus, sanctissimos Patriarchas tam certa fide ista tradere et accipere, nos vero nostram benedictionem in novo testamento tam frigide et oscitanter curare. Me profecto mei vehementer pudet pigetque, quoties me cum illis comparo. Vide enim mulierem istam Rebeccam, quae vivit in carne et sanguine, perinde ac nos, similiter et Isaac et Iacob. At quam certa, viva et firma fide rapiuntur in illa futura bona? Ut ipsam praesentiam carnis non curent, imo videntur dormire, stertere in corporali hac vita, respectu futurorum, quae ipsis promittuntur.

Nos opulentius donum aut certe non minore mensura et copia habemus, sed eandem fidem non habemus; sumus stertentes, semimortui, oculi cali-

Diabolus et mundus, venient fratres, et mal
tibi, persequentur te et conabuntur benedictiom
turbare et evertere.

Ac respondit tandem eventus vaticinio. (
enim passus est Iacob statim a principio ben
nis? Frater Esau minatur ei mortem. Ibi stat
ponitur ei crux oeconomica. Est pater futurae
ritatis, sed dies noctesque in periculo vitae v
expositus parricidio fratris: et magna cura pa
et difficultate subducitur, ut evitet hoc peri
cogitur exsulare in Syria circiter viginti annc
Iam vero benedictionem! Potuit sane ei in
venire: Quomodo conveniunt ista, quae dixisti
„de rore coeli et pinguedine terrae", cum ta
ficultatibus? Nam ne micam quidem panis
cum proficiscitur in Syriam; pauper et egenu
quatuordecim annis, et in illa servitute m
digna patitur. Ideo monet eum pater, futu
sentiat maledictionem pro benedictione.

Postea vero, cum fames orietur in terra (
gravissime periclitabitur cum universa famili
tremum vere discrimen vitae. Tandem in
quam crudeliter et indigne tractantur filii
Ubi igitur benedictio? Respondeo: „Non
pane vivit homo, sed in omni verbo, quod e
de ore Domini" (Matth. 4, 4.): verbo erigit
bo sustentatur homo. Tametsi igitur in pr
non adest panis in oeconomia, tamen non i
non derelinquitur; sed fides in verbo Dei p
media penuria et corpus et animam, ac tande
famem cum saturitate et abundantia commuta
quirentes enim Dominum non minuentur on
no" (Ps. 34, 10. 11.). E contra vero de c

ditur: „Divites eguerunt et esurierunt“. Item (Ps. 37, 2.): „Tanquam foenum velociter arescent“.

Sed fide haec accipienda et exspectanda sunt, sicut Iacob fide statuit, sibi nihil unquam in sua domo defuturum: et eventus tandem pulcherrime respondit. Cum enim sequeretur benedictio, ditior factus est suo socero Laban, sed per tentationes. Tentabatur enim, sed non deserebatur: quia benedictio impugnatur, sed non expugnatur, pulsatur et impellitur; sed non dejicitur. Sicut inquit Psalmus (118, 13. 14.): „Impulsus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem“. Dominus dat benedictionem mixtam cum patientia, et ornatam reliquiis sanctae crucis, ut erudiamur in tentationibus, et discamus, non solum in pane, sed in quolibet verbo Dei vitam nostram positam; panem vero tandem subministrat Deus certo et infallibiliter, postquam sumus exercitati in fide, an velimus Deo credere in ejus promissionibus. Promittit enim; sed tentat et subducit benedictionem, quasi nulla exspectanda sit. Sed tum vere benedictionem cogitat et sentit, cum nos sentimus maledictionem. Potest ergo impugnari et premi benedictio; sed submergi et expugnari non potest, sicut de veritate dicitur.

Atque haec maledictio sive crux oeconomica fuit, quae satis duriter Patriarcham exercuit. Sed et politiam vide in posteritate. Inspice Davidem, qui primus rex fuit secundum benedictionem, quoties, quaeso, regnum ejus concutitur et periclitatur, quasi jamjam ruiturum? Primum Saulis temporibus, deinde per filium Absolonem et improbum consiliarium Achitophelem: et quidem Absolonis tempore accedebat mala

conscientia. Sed erigebat tamen et sustenta
promissione divina: sicut dicitur 21. Psalmo (
„ Domine, in virtute tua laetabitur rex". Ite
63, 12.): „Rex vero laetabitur in Deo; laudal
omnes, qui jurant in eo" etc. Et 2 Regg. 15. (
15, 25. 26.): „Si invenero gratiam in oculis
ni, reducet me; si autem dixerit: Non places,
sto sum; faciat mihi, quod bonum est coran
Erat enim ei promissum et stabilitum regnun
non sine maxima molestia et tentationibus.

Ad eundem modum in ecclesia plus male
nis, quam benedictionis conspicitur. Id enii
quoque experientia discimus, qui sumus in
professione, quibus datus est Baptismus, p
clavium, sacramentum altaris. Sed quam mult
etiam optimi, quos Satan ita impugnat et in
dum ex oculis removet istas coelestes benedic
ut videantur nihil prorsus harum benedictionu
tinere, imo magis sentiunt infernales maledictio
angustias, quam benedictiones divinas et coe
Alii ruunt in manifesta scelera et contemtum
festum, et abjiciunt benedictiones. Illi vero, qu
nent et amant eas, adeo infirmi sunt, ut habean
multis et crebris admonitionibus et iterationibu
bus excitentur, et acuatur in eis, ut Moses (D
7.) loquitur, verbum Dei.

Nihil autem interea decedit de benediction
manet rata, firma, opulentissima ac major
nostro. Paulus idem queritur, esse sibi datum s
lum carnis (2 Cor. 12, 7.). Item: per multas t
lationes oportere nos ingredi regnum coelorum
14, 22.). Non igitur deerunt maledictiones, sed
tra audentior ito, esto fortis et persiste in ben

maxime omnia plena maledictione videantur.
statuamus: Certum est, me esse baptisatum:
rbum ex ore ministri: usus sum sacramento
laec est divina et immutabilis veritas; etiamsi
mus sum, tamen illa est certa et rata. Res
entissimae et locupletissimae; sed cor est
et vacillans in apprehendendo. Atqui hoc
caveamus, ne abnegemus: ac si non confiteri
s magno clamore, at parvo murmure utcun-
emus. Si non possumus canere laudando
saltem biscamus, ut in his benedictionibus,
nos collocavit Filius Dei, perseveremus, quae
enti certamine et variis tentationibus retineri
ssunt. Sic enim Patres habuerunt benedictio-
tas et firmas, sed non sine tentatione. Et
s ob eam causam tam sedulo ad perseveran-
s hortatur: „In patientia possidete animas
" (Luc. 21, 19.). Filii regni estis, peccata vo-
t condonata, Diabolus est victus et prostratus
dibus vestris, peccatum et mors nihil noce-
ed estis innocentes. Ferte igitur aequis animis
tiones contrarias.

squam vero posuit maledictiones, hoc est,
et tentationes, quae comitantur illas tam in-
ct opulentas benedictiones, addit amplius:
licens tibi sit benedictus". Ac si dicat: Non
ent aut impugnabunt vos omnes. Sed multi
t, qui vos benedicent et participabunt vestris
tionibus. Hic erit fructus tentationum, si per-
eritis in fide. Sicut inquit Christus (Ioh. 12,
Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti
in terram mortuum fuerit, ipsum solum ma-
autem mortuum fuerit, multum fructum affe-

ret". Unus Christianus tentatus plus prod
centum non tentati. Quia in tentationibu
benedictio, ut multos possit docere, conso
siliis juvare in corporalibus et spiritualibus
mundo estis maledicti, sed simul etiam rep
dictione coelesti.

Iam et vocabulorum quorundam gra
explicationem videamus. Adorare significat
inclinare corpus, et reverentiam alteri
ejus vocabuli usus late patet; adorantur e
fratres, proximi. Supra adorat Abraham fi
Deinde transfertur ad spiritualem adoratio
est incurvari coram creatore; aliter enim c
ter creatura adoratur. Sed cur dicit: „Eri
fratrum", cum unum tantum fratrem hab
Est singularis phrasis scripturae sanctae, c
nepotes vocantur filii, et fratrum filii vo
tres. Qui nati sunt ex Rebecca et filiabus,
filii. Ita Esau est pater filiorum et nepotu
vero in scriptura sancta appellantur non
rini, sed etiam posteri et nepotes.

Factum est autem, cum Isaac
benedicere Iacob, et egressus est
foras a facie Isaac, patris sui, ve
frater ejus, de venatione sua. Et f
que ipse cibos, et intulit ad patre
dixitque ei: Surgat pater meus,
dat de venatione filii sui, ut bene
hi anima tua.

Finita benedictione sequitur nunc la
contraria benedictio Esau. Atque haec alt
historiae hujus. Diligenter vero verba ora

considerentur. Iacob enim non dixerat in tertia persona: surgat pater, sed: surge, quaeso. Sed hypocrita ille utitur singulari rhetorica: quemadmodum solet id genus sanctorum uti verbis ad ornatum, elegantiam et splendorem accommodatis. Iacob simpliciter et nude more dialectico suam petitionem proposuit. Hic adhibet rhetoricas amplificationes, quae Iacob nunquam in mentem venissent. „Surgat, inquit, pater meus, et comedat de venatione filii sui". superbe rhetoricatur, ac si solus et unigenitus filius, Iacob vero non sit filius. Sic enim solent hypocritae: vocant se ecclesiam, et majorem larvam et splendidiorem ornatum habent, quam vere pii. pii vero neque audaciae, neque splendoris tanti est, sicut Iacob non audet tam arroganter patrem compellare. Vestium hic nullam mentionem facit Moses, quibus tamen haud dubie usus est. Rebecca eas fortassis iterum in suum locum clam reposuit, nihil amplius sollicita de iis asservandis aut custodiendis. Eat sane, cogitavit, vestiat et ornet se rhetorice, quantum volet; meus filius benedictionem jam est adeptus.

Et dixit illi Isaac, pater suus: Quis es tu? Ait ille: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Et expavit Isaac pavore magno valde, et ait: Quis ille, et ubi est ille, qui cepit venationem, et attulit mihi, et ego comedi ex omnibus, priusquam tu venires, et benedixi ei, eritque benedictus.

Hic incipit gnaviter mentiri, ac utitur sane verbis splendidis et magnificis: Ego sum filius tuus primogenitus, inquit: amplificat suam orationem

Adam, Noah, Abraham et aliis. Tales se non possunt, nec debent mutari, quia Deus n tat sua dona. Non revocat Baptismum, non tionem et alia, quae per verbum suum impe remittit mihi peccata, tum vere sunt remissa.

Disputant etiam de dolo: an Patres sanc se egerint, et an peccarint, dolose agendo. enim audivimus, eos egregie mentitos esse, n tum officiose, sed etiam realiter. In hoc facto nullum peccatum inest. In re quidem et in c tu humano est fraus et dolus, quia Iacob del trem pilosis manibus et collo obducto pellib coram Deo non est fraus, quia debebatur ei genitura et benedictio, quam et a fratre em jam ante auctoritate divina habebat sibi des juxta oraculum: „Major serviet minori". Erg re insidias, et per fraudem alteri rapere, quo tibi dedit, non est peccatum. Sicut Aegy spolium est quidem vere spolium secundu cium humanum; sed non peccaverunt Israëlit liando Aegyptios, si quidem jusserat Deus, rent Aegyptiis: „Commoda mihi argenteum lum et vestem" (Ex. 11, 2.), quibus exornem Domini, cum ipsi fugam meditarentur. H manifestum praeceptum Dei: Volo, ut defrau spolies Aegyptios, quia debebant Aegyptii I mercedem pro servitute et pro tyrannide du Quanquam levis sane et exigua compensat pro oppressione populi tam diuturna, proq occisis.

Ad hunc modum de hac fraude Iacob et dicendum est. Quando enim sancti fraudem

abent de ea mandatum Dei, tum est quidem fraus onspectu hominum, sed est sancta, justa et relia fraus. Itaque non opus est quaerere et dispu-, quomodo et an peccarit Iacob; sed eo respidum est, quod auctoritate divina ipsi fuit concesa antea, quod per fraudem fratri eripuit. Sic in lis sancti saepe hostes fefellerunt, sed illa sunt ndacia, quibus licet uti in ministerio Dei adversus abolum et hostes Dei.

Sic piscator piscem fallit inescando: quam similitudinem non incommode Patres ad Christum accommodaverunt. Is enim venit in mundum vestitus ..., projectus est in aquam, quasi hamus; eum postquam momordit Diabolus, subito a Deo retractus ... ex aquis, et in siccum conjectus et protritus: hoc est, Christus obtulit Diabolo infirmam humanitatem, tegentem illam aeternam et insuperabilem majestatem; ibi impegit Diabolus in hamum divinitatis, qua devicta est universa ipsius et mortis ac inferorum potentia: sicut dicitur, Col. 2. (v. 15.): „Exspolians principatus et potestates, palam triumphans illos in semet ipso". Non injuria autem queri potuisset Satan, se indigne delusum et deceptum esse: si quidem putasset, se occisurum hominem, et ab eo in fraudem illectus ipse occideretur. Verum idem ei mirando consilio Dei accidit, quod vulgo dici solet: ars ut artem falleret.

Et dixit Esau: Vere vocatum est nomen ejus Iacob. Nam supplantavit me jam duabus vicibus: primogenituram meam tulit, et ecce, nunc quoque accepit benedictio-

tristissimam sententiam: „Pro eo, quod a sermonem Domini, abjecit te, ne sis rex" (15, 23.).

Sic et Adam conabatur peccatum suum e et culpam rejiciebat non in mulierem tantu etiam in Deum: „Mulier, inquit, quam tu n disti sociam, dedit mihi de ligno, et comedi et Heva se excusabat, et accusabat serpente eam decepisset. Haec nequaquam poenitent debet. Sensus enim verae poenitentiae talis e cur Deum offendi? Cur iram et judicium ejus sum me concitavi? Statuat in me, quodcunque rit exemplum, tantum ignoscat et condonet pe Sicut in libro Iudicum (10, 15.) precantur raël: „Peccavimus, redde tu nobis, quicqu placet, tantum nunc libera nos". Talis orati vere et serio poenitentes: Faciat sane mecum voluerit Dominus, modo sit mihi propitius. ibi Deus ad veniam dandam et ad ignoscend paratissimus, ac statim offert remissionem pecca

Quantum vero absit Esau ab hac vera hu et agnitione peccati, testantur ejus verba, quil pudentissime mentitur se primogenitum, cu sit, et suam primogenituram dicit, quam ante te projecerat. Denique, quod multo gravius e trem innocentem accusat et damnat: se no excusat et laudat: „Vere, inquit, vocatur Iaco supplantavit me". Ne verbo quidem memi peccati. Non dicit: Ego peccavi, hactenus no nec intellexi, me peccasse. Nunc erudior ipsa et judicio divino. Iam tempus est, ut agnosca catum; sentio enim, Deum horribiliter offensu *venditione*, meo contemtu. Neque vero invideo

corde ei faveo, et gaudeo, ei obtigisse hanc
ionem. Ego peccavi, et doleo ex animo, non
amissam benedictionem, quam ob iram Dei
oncitatam. Nihil minus dicit aut cogitat: imo
r in malitia sua: Ego sum justus, frater est
rapuit mea fraudulenter, et possidet aliena,
li male vertat. Ita alienam justitiam damnat,
itum suum defendit. Postremo horribile odium
adversus fratrem; non favet ei gratiam,
eus ei donavit, et ipse jure et sua culpa ami-
iper et mortem ei minatur. Bellam vero poe-
m!
inde aliud nihil est, quam dolor de amisso
accepto damno. Sic etiam fures et malefici
sceleribus dolent, non quod serio resipiscant
detestentur, sed quia poenae metu et sensu
ur. Quemadmodum nos sub Papatu pro pec-
enitentiam egimus, cum ad confessionem sin-
anis adigeremur; libentius enim etiam tum
sent peccatis homines, si licuisset. Ac mox
scha ad ingenium redibant, et gaudebant, se
esse carnificina illa confessionis. Poenitere
st serio sentire iram Dei propter peccatum,
imo angatur peccator, et excrucietur desiderio
t misericordiae Dei. Hunc vero erigat et con-
qui potest, ne desperet et pereat, sicut Iudas
at. Talis enim animus non aliter affectus es,
t omnium rerum libens jacturam faciat, tan-
consolationem inveniat, ut habeat auxilium,
minimo puero annuntiante promissionem sa-
odo enim liberer ab ira divina, qua miseré
rucior, cogitat; nihil ero sollicitus de iis
ndis, quae amisi. Si egi stulte, feram sane

pretium vel poenam ob stultitiam, tantum ut Deus sit propitius. Esau vero sic sentit: Si ha ego meam primogenituram, non morarer, si pitius esset Deus, sive non.

Sic igitur intelligatur locus illa ad H (12, 17.): „Non invenit locum poenitentiae" non fuit vera poenitentia, Sed de damno doluit et de stultitia sua, qua perdidit primo ram et gloriam suam. Ideo ruit horribiliter in fratris et Dei, qui benedixit Iacob per parent

Estque haec insignis idea et exemplu poenitentis, quod ideo observandum est, ut di discernere veram poenitentiam a ficta et si quam nos dicimus ein Galgenreu. Fur enim videt sibi supplicium crucis imminere, etian et libenter diutius viveret. Sin autem Deus hanc gratiam et lucem, ut vere agnoscat p et iram Dei, nihil amplius sollicitatur de vi tum ut juvetur, ne de animae salute in dub niat. Atque ibi docendus et erigendus est m dia et gratia Dei in Christo exhibita, non con aut satisfactione Papistica. Alioqui actum fuerit.

Respondit Isaac, et dixit ad Esau: tibi illum in dominum, et omnes ejus constitui illi in servos. Frum vino stabilivi eum: et tibi jam q ciam, fili mi?

Benedictio Iacob includit tres hierarch mesticam, regiam et sacerdotalem. Pro h administrandis attribuit ei etiam bona mu politia habet regnum et gubernationem in

n ecclesia habet administrationem remissionis peccatorum et vitae aeternae. Est igitur Iacob Episcopus, habet prophetiam, habet verbum, remissionem peccatorum et cultuum Dei. Deinde addit: Subjeci i fratres in politia; et subjiciet ipse sibi populos. I sub Davide factum est, qui primus implevit benedictionem subjectis Syris, Palaestinis, Arabibus, Edomitis. Quid ergo nunc faciam, ait Isaac? Ultra has es benedictiones quid dabo tibi? Ipse tulit omnia; ; factum est hoc haud dubie singulari Dei consilio voluntate, cujus fuit haec benedictio; ideo non possum mutare. Sed non cessat Esau: imo instat pud patrem orando et obsecrando, ut sibi quoque benedicat.

ixit vero Esau ad patrem suum: Num nam tantum benedictionem habes, mi pater? Benedic etiam mihi, mi pater. Et levans vocem suam flevit.

Hinc illud est, quod in epistola ad Hebraeos 2, 17.) dicitur: „Quanquam cum lacrymis inquisiset eam". Haec enim est anxia et ardens illa obsecratio cum lacrymis, qua multum et anxie inquit, sed sero ac frustra. Cum enim semel recessit eus, cumque semel ablatum est verbum et gratia vina, non facile invenitur iterum. Romae olim fuit clesia pulcherrima, majore numero confessorum et artyrum, quam usquam alibi in toto orbe terraum; verum ea sublata quam horribiles tenebrae et bominationes successerunt? Nunc adeo si vel clamando et ejulando tabescerent, aut prorsus emorentur cum Esau, nihil tamen proficiunt ad recuperandam priorem illam lucem et gratiam Dei.

Nos ante haec tempora in Papatu clamavim pro salute aeterna, pro regno Dei, vehementer a ximus, imo occidimus corpora nostra: non gla nec armis, sed jejuniis et macerationibus corpo quaesivimus, pulsavimus noctes atque dies. Ego i nisi liberatus fuissem consolatione Christi per ev gelium, non vixissem biennium, ita excruciabar, fugitabam ab ira Dei: nec deerant lacrymae, ge tus, suspiria; sed nihil promovebamus. Itaque frustra tam diligenter monet Paulus: „Ne in uum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc tempus ceptabile, ecce nunc dies salutis" (2 Cor. 6, 1 Utamur ergo oblata gratia, dum licet, aperiamus et cor, et sinamus nobis infundi benedictionem. enim sublata actum est de nobis.

Germani proverbiali imprecatione utuntur mala: Gott geb faulen Händen die Drüse: Male manibus remissis ac ignavis. Monent enim, ut p senti occasione sine cessatione utamur. Ita qua docetur evangelium, audiamus illud et discamus tis animis: sicut inquit Christus: „Dum lucem h tis, ambulate, ut non vos tenebrae comprehend Adhuc modicum lumen in vobis est: dum lucem betis, credite in lucem, ut filii lucis sitis" (Ioh. 35. 36.).

Ac sane Iudaeorum exemplum satis testa quam horribiles tenebrae eos comprehenderint, p quam non crediderunt in eum, qui tanta signa f coram eis. Illi enim egregie implent figuram ist Esau: clamant dies ac noctes, macerant corpus juniis et orationibus jam sesquimille annis, or ardentissime: Domine Deus, mitte Messiam. prop

nomen, propter verbum, propter regnum tuum, quibus precibus et querelis vel saxa et rupes moveri possent; sed non inveniunt poenitentiae locum: non quod non sit poenitentiae locus, sed quod perversa via ad coelum incedunt, ac suis meritis benedictionem acquirere volunt, quod est impossibile. Peccatum suum non agnoscunt, sed justificant se, perinde ac Esau. Nos sumus Israël, dicunt, sicut Esau dicebat: „Ego sum filius tuus primogenitus". O Deus, gentes rapuerunt primogenituram et benedictionem etc. Sentiunt quidem iram Dei, sed peccatum nolunt agnoscere. Sentire autem peccatum et iram Dei propter peccatum est maxima gratia, et prope est salus talibus peccatoribus, ut facile ad poenitentiam perducantur. Sed defendere et excusare peccatum est „Deum judicare", id est, damnare in sermonibus suis, Psalm. 51, (v. 6.). Ideo Esau exemplum est omnium Iudaeorum.

Nos quoque cum Monachi essemus, ideo nostris macerationibus nihil proficiebamus, quia nolebamus agnoscere peccatum et impietatem nostram. Imo ignorabamus peccatum originis, nec sentiebamus, incredulitatem esse peccatum, quin et dubitationem de divina misericordia statuebamus et docebamus. Itaque quo magis currebam et desiderabam ad Christum venire, hoc longius ipse a me recedebat. Post confessionem et missationem nunquam poteram acquiescere animo, quia conscientia non potest firmam consolationem ex operibus habere. Fruamur itaque praesenti benedictione, et oblata gratia post renatam lucem evangelii, nec simus negligentes aut ingrati. Si enim semel ablata est benedictio, non est id in nostro arbitrio, ut eam recuperemus, sed in dona-

tione Dei gratuita, atque ita, ut nullius lacry
clamoribus, laboribus moveatur.

Ego id primum bene videbam, omnino opus
se gratuita donatione ad lucem et vitam coeles
consequendam, atque anxie et sedulo laborandam
illa sententia intelligenda, Rom. 1, (v. 17.): „I
tia Dei revelatur in evangelio". Ibi diu quaerel
et pulsabam. Obstabat enim vocabulum illud: ;
stitia Dei", quod usitate sic exponebatur: Ius
Dei est virtus, qua ipse Deus est formaliter ju
et damnat peccatores. Sic omnes Doctores hunc
cum interpretati fuerant, excepto Augustino: Ius
Dei, id est, ira Dei. Quoties vero legebam hunc
cum, semper optabam, ut Deus nunquam revel
evangelium. Quis enim possit diligere Deum
centem, judicantem, damnantem? Donec tanden
lustrante Spiritu sancto locum Abacuc (2, 4.)
gentius expenderem: „Iustus ex fide vivit".
colligebam, quod vita deberet ex fide exsistere,
que ita abstractum referebam in concretum, et
riabatur mihi tota sacra scriptura et coelum ip
Hoc vero tempore ingentem istam lucem vide
clarissime, ac licet ea nobis abunde frui. Sed
temnimus et fastidimus gemmam et thesaurum il
coelestem. Olim igitur rursus eo ademto iterum
mabimus et pulsabimus, sicut de fatuis virginibu
parabola dicit Christus, sed frustra. Ideo timea
Deum, et simus grati. Moveat autem vos inpri
meum et aliorum exemplum, qui viximus in m
et inferno, nec habuimus benedictionem tam co
se, ut vos habetis. Diligenter igitur exercete et
gitate doctrinam de benedictione, ut eam et reti

si, et in alios quoque propagare possitis. Nos, iod debuimus, fecimus.

espondit ei Isaac, pater suus, et dixit: cce ubertates terrae habitatio tua erit, t de rore coeli desuper. In gladio tuo vises, et fratri tuo servies. Eritque, quano dominaberis, et rumpes jugum ejus de collo tuo.

Dat ei portionem de domestica benedictione. olitica enim et ecclesiastica penes fratrem Iacob unt. Non est autem haec benedictio. Tantum enim icit: Tu debes habere terram frugiferam, hoc est, ictum et amictum. Ne populus carnalis Iudaicus rorsus nihil haberet, attribuit ei carnalem promisionem. Deinde addit: „In gladio tuo vives", id est, fendes te gladio tuo: sed non vinces, nec regnais. Omnia intelligenda sunt sine benedictione. on constituit te Deus dominum super alios popus, multo minus super fratrem, quem ante excepit, ipsum Iacob dominum super fratres constituit. ris contentus tua habitatione in terra fertili, et deendes te gladio, ut sis tutus ab hostibus, ita taen, ut fratri subditus sis eique servias. Haec duo m inter se conferantur. Iacob est doctor ecclesiaicus et politicus magistratus super fratrem Esau; ejus benedictio vocatur benedictio. Hujus vero sau benedictio non dicitur benedictio; non enim abet textus: Erit benedictio tua, sed sic: De pinguedinibus terrae erit habitatio tua; estque eadem ox, quae in primo Psalmo (v. 1.) ponitur: „In sede derisorum". Diligenter hoc cavit scriptura sancta, ne vocaretur Esau benedictus, quia benedictio

extenditur in latum, longum, pingue et omn
na. Nec dicitur: Det Dominus Deus tibi. Si
additur: Dominus, fit benedictio. Hoc igitu
Deus non benedicet tibi ex virtute hujus ben
nis, sed in eventum aliquid habebis, quod d
bi Deus, sicut Arabibus, Aegyptiis, qui for
alimoniam et defensionem habuerunt, non agn
tes divinam benedictionem. Hoc diligenter not
est. Illa duo vocabula: Deus et benedictio, n
nuntur in textu; ideo non est benedictio.

Addit amplius: „Eritque, quando domi
ei" etc. Haec etiam singularis particula est.
ter enim plura ei daret Isaac, et diligenter q
quid amplius in eum conferat. Pertinent autem
ad Herodem et ejus generationem. Iudaei ex
de tempore regis Ioram sub Helisaeo, a quo
runt Idumaei propter impietatem regis: et n
mala sententia. Tum enim rupit Edom jugu
liberavit se a dominio Israël. Sed existimo,
intelligi de Herode, qui fuit filius Idumaei An
qui sub Iulio Caesare fuit in magna auctori
dignitate, ac regnum Israël duriter afflixit. I
est igitur, ut excuteret jugum de cervicibus s
etiam dominaretur.

Inde vero quaestio emergit, quomodo sit
ta prophetia sive promissio, quod Iacob sit b
tus, et major sit serviturus minori, minor
dominaturus. Et infra sequetur, quod Iacob
Esau, et ipse et familia, filii et uxores. Or
ibi quatuor acies, quae omnes prosternunt
ram Esau, et adorant eum. Deinde longo te
dominantur Idumaei in Israël. Ac Herodes cu
steris suis regnat potenter, paene usque ad v

se regnum, sed revera non amisit, quia
tigatus est: non fuit amissum regnum, sed
Ad eundem modum Iacob adorat Esau,
um Angelo, ita ut paene desperaret de
benedictione. Non aliud enim sensit in illa
m se subjectum iri fratri, et fratrem se et
et conjugem trucidaturum. Sed post luctam
b Angelo Israël, et tum maxime constitui-
illa lucta, cum subjacet. „Si enim cum
tus es, inquit Angelus, magis cum homi-
laberis". Id non est amittere benedictionem
m, quando tentatur aliquis in fide de reg-
edictione. Sicut Abraham tentatur ad ho-
ilii vita, quando dicit ad eum Deus: „Im-
i filium tuum"; sed propterea non amisit
ed copiose et cum fructu recepit: perinde
lus insuper confirmat benedictionem Iacob
nem ejus: „Non dimittam te, nisi benedi-
i". Non igitur cecidit, aut sublata est be-
sed tentata est et impugnata, ut fortior et

mum regni Herodis: quanquam non fuit confirmatum ante Christum natum: sicut Philo testatur, eum sex annis legitimo, et XXX. annis tyrannico imperio regnasse, quod regni appellatione neutiquam dignum est. Pater vero Antipater ante eum praefectus tantum Iudaeae fuit. Deinde non habuit quietem regnum, quia assiduo rebellabant Iudaei propter promissionem, quam pertinaciter tuebantur, et videbatur indignum, cum dictum esset: Tu debes fratri tuo Iacob servire, quod ipsi Iudaei servo suo Herodi cogerentur subjecti esse. Regnavit itaque Herodes, sed non legitimo imperio.

Postremo sic etiam responderi potest, obtinuisse eum regnum non auctoritate divina, qua ante in Israël et Iuda reges constituti fuerant, sed per tyrannidem Romanorum ex ira Dei, ut diriperet regnum illud, quod jam ad finem tendebat, ac paulatim dissolvebatur. Ideo ejus dominatio non est contra promissionem, qua fuit illud ipsum tempus terminus regni, quo nasciturus erat Christus.

Atque hae sunt contrariae duae promissiones duorum fratrum. Iacob domesticam, politicam et ecclesiasticam benedictionem adeptus est: Esau nullum prorsus habet, sed tantum habet promissionem, qualem caeterae gentes habuerunt, ut Syri, quorum dominium interdum Iudaei tulerunt. Regnum autem non amiserunt nisi in fine, ut impleretur prophetia Iacob, qui praedixerat, si veniret Silo, finiendum esse regnum cum sacerdotio et lege (Gen. 49, 10.).

Oderat itaque Esau Iacob propter benedictionem, qua benedixit eum pater ejus; *dixitque* Esau in corde suo: Appropin-

quabunt dies luctus patris mei, et occidam Iacob, fratrem meum.

Diximus de poenitentia istius impii hominis Esau, quod ploraverit, et, ut Hieronymus vertit, irrugierit clamore valido propter surreptam sibi benedictionem, quam tamen ipse antea sua sponte vendiderat. Nunc sequuntur verba digna tali poenitente: qualis enim poenitentia, talis est et fructus poenitentiae et satisfactio. Sic enim ait: „Prope sunt dies luctus patris mei". Quare? Quia interficiam fratrem. Pulchram vero poenitentiam; irascitur non solum fratri, sed et parentibus et Deo ipsi, cujus novit esse benedictionem, atque adeo ab eo solo exspectandam. Sic scilicet poenitendum est. Antea plorabat, clamabat: O pater Isaac, benedic et mihi, filio tuo. Nunc in furorem versus triplicatum parricidium cogitat. Primum enim vult fratrem occidere. Hoc scilicet est Deo satisfacere pro delicto in poenitentia: inde autem utrunque parentem in luctum gravissimum vult conjicere, quo et illi exstinguantur. Fratrem fuste vel gladio, parentes luctu et moerore necabit. Hoc scit futurum impius Esau; ideo prudens et sciens dicit, se hoc dolore parentes enecaturum.

Id nimirum est Diabolico furore et malitia correptum esse, dum sic cogitat: Si mihi benedictione carendum erit, efficiam, ut et caeteri omnes ea priventur, nec frater, nec parentes, neque tota ecclesia eam retineat. Nam duo tantum fratres sunt, ad quos pertinet benedictio, sive successio regni et sacerdotii. Et si Iacob fuisset occisus, non tamen rediisset ad Esau haereditas benedictionis. Aut enim ad supplicium raptus esset, aut in exsilium ejectus,

sicut Cain. Gravissime itaque periclitabatur ecclesia et benedictio divina in domo Isaac. Atque ibi vides, qualis fuerit poenitentia Esau; est simpliciter furor Diabolicus, quo ex animo abjicit omnem reverentiam et timorem Dei et parentum, atque omnis pietatis et honestatis prorsus obliviscitur: ita ut, si posset, deletam vellet benedictionem cum patre et matre cumque universa ecclesia. Si enim processisset furor ejus, et esset interfectus Iacob, profecto Isaac, senex tenerrimi cordis, et mater Rebecca miserabili et acerbo moerore essent exstincti. Sicut Adam, nisi divinitus et miraculose servatus esset, impossibile fuisset vivere propter caedem filii factam a Cain, ita hos parentes dolores tam acres confecissent.

Videtis itaque, quomodo grassetur Diabolus in oeconomia et familiis etiam sanctissimorum hominum. Non frustra toties monemus, toties exhortamur et clamamus, ut diligenter et sine intermissione oretis; propterea quod Diabolus non procul abest, sed est in medio nostrum. Vide, quam turbam dederit in sanctissima ecclesia Patrum, in domo Isaac, ubi Esau machinatur interitum fratris, necem parentum, totius ecclesiae eversionem et vastationem. At vero justus hic dolor est, et habet causam justam, cur adeo commoveatur Esau: sed sua ipsius culpa; ipse enim peccavit, cum parvipenderet et contemneret id, quod nunc tantopere desiderat. Ac jam cum sentit iram Dei, ad insaniam adigitur prae dolore et impatientia.

Hanc ingentem malitiam Diaboli agnoscamus, qua in domibus sanctissimorum hominum habet proprios liberos, qui fratrum et ipsorum parentum vitae insidiantur. Isaac est Patriarcha sanctissimus, pa-

ter

ter promissionis. Rebecca sanctissima mulier et mater ejusdem. Ex horum autem carne et sanguine natus est Esau, qui ipsorum mortem exoptat et meditatur ipse. Quid nobis non erit timendum? Parentum autem luctus longe est acrior et acerbior, quam filiorum, quam fratrum aut cognatorum. Sunt enim maximi et gravissimi affectus, quos in tota rerum natura Deus creavit, et indidit parentibus erga sobolem. Ac si quando sauciantur eorum animi dolore aut moerore propter calamitatem liberorum, ea praesentissima pestis et venenum est vitae ipsorum: ideo facile necantur parentes, si non gladio, tamen moerore et luctu. Ego ipse vidi, multos honestissimos parentes ab improbis liberis moerore animi interemtos esse. Iuventus hoc nec cogitat, nec intelligit; sed docendi et monendi sunt liberi, ne fiant matricidae et patricidae. Manet enim eos atrocissimum judicium et vindicta divina: sicut inquit Paulus (1 Tim. 1, 9.): „Lex est posita patricidis et matricidis". Saepe filii secure in varia scelera prolabuntur, nulla ratione habita reverentiae erga parentes. Filiae pudicitiam prostituunt, et probro afficiunt bonos et honestos parentes; sed hisce flagitiis occidunt patrem et matrem, quia sunt praediti tenerrimo illo sensu ac στοργῇ erga prolem, quam liberi tam acrem et ardentem non habent, imo ne intelligunt quidem.

Caveat igitur juventus, et discat colere et revereri parentes, et haec vocabula: pater et mater, habere pro sanctissimis reliquiis: quin mortem potius oppetendam ducant, quam ut parentes offendant. Nihil enim habent ipsi in hac vita, quo afficiantur magis, quam liberorum amore et caritate: ideo fa-

cillime laeduntur: tametsi tu non sentias, sed es submersus in peccato, in carne, et parvipendis ipsorum erga te curam et sollicitudinem. Vae autem tibi, si non responderit tua reverentia et observantia; sic enim subito fies patricida aut matricida, priusquam cogites. Ac frustra exspectabis deinde benedictionem: quin potius crucem aut gladium et horribilem maledictionem tibi accerses. Ita enim ait vox divina: „Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem suam" (Deut. 27, 16.). Item: „Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur" (Exod. 21, 17.). Item: „Patri matrique qui maledixerint, sanguis ejus sit super eum" (Lev. 20, 9.). Esau hic vere maledicit suo patri, si non verbis, tamen re ipsa. Hoc enim vult, cum ait: „Appropinquabunt dies luctus patris mei". Usitata translatio habet: Venient dies; sed Hebraea vox significat: prope sunt, hoc est, non diu aberit, quando interturbabo laetitiam patris et matris ac fratris Iacob, sicut ipsi mea gaudia perturbarunt. Miscebo eis fel et absinthium, ut vulgo dicitur. Haec sane sunt verba atrocissimae maledictionis, quae testantur, eum agitari a Diabolo et furiis.

Haec igitur una est de maximis calamitatibus generis humani: stultitia nimirum et improbitas filiorum, qua occidunt parentes, antequam intelligunt magnitudinem sui peccati: quia non sciunt, quanto dolore, quanta aegritudine afficiantur parentes propter ipsorum improbitatem: parentes vero sentiunt, ac dolore animi tabescunt, et consumuntur. Non frustra ergo usus est Deus in quarto praecepto vocabulo honorandi. Non enim dicit: Obtempera, audi *parentes*, sed honora. Vult haberi hoc nomen sa-

crosanctum, quia novit Deus malitiam originalis peccati, cujus tanta vis est, ut impellat homines ad caedes parentum suorum, utque in suum sanguinem saeviant. David hoc malo duriter conflictatus est, et didicit, quantus sit dolor, quanta angustia ex malitia liberorum. Sensit enim hostem filium Absolonem, qui saluti et vitae ejus corporali et aeternae insidiabatur; sed incidit is tandem in horrendam maledictionem, cum factis suis dignum exitium invenit.

Hortor itaque et oro ex animo omnes adolescentes, ut fugiant et detestentur hoc peccatum, et adsuefaciant animos ad reverentiam parentum, ac ad eam rem assiduis precibus auxilium divinum implorent. Si hoc in domo Adae, in domo Abrahae inter Ismaël et Isaac, in domo Isaac inter Iacob et Esau usu venit (omitto jam gentilium plurima exempla): quid nos non exspectabimus parentes, et quid vos filii non timebitis? Videtis enim, Diabolum esse in medio nostri, videtis etiam tristissima exempla poenarum omnibus aetatibus, quibus afficiuntur contumaces liberi, qui parentes contumelia afficiunt et sua contumacia excruciant. Quam misere et subito ruit Esau, antequam praevideat aut cogitet de tam tristi casu. Et quomodo cogitaret, cum unus ipse imperet in domo patris politice et ecclesiastice, cum sit dominus et princeps domus.

Haec enim est idea domus et familiae Isaac. Senex pater est defunctus omnibus officiis patrisfamilias, omni administratione sive domestica, sive politica seu ecclesiastica. Captus enim est oculis, non, ut ego existimo, senectutis vitio, sed alio quodam casu aut tentatione; id quoque cumulo afflictionum et crucis ipsius ut *accederet. Fuit enim* vir sanctus

et dilectus Deo, ac propterea multis tentationibus exercitatus: privatus igitur usu oculorum cogitur abstinere ab omni gubernatione, nisi forte voce aliquid monendum aut imperandum sit. Rebecca est materfamilias, sed sine auctoritate. Similiter et Iacob spretus et contemtus est. Solus Esau est dominus, habens uxores duas et multos liberos, quia tricesimo septimo anno demum post nuptias ipsius, quas quadragesimo aetatis suae celebravit, benedicitur Iacob. Ac uterque jam habet septuaginta septem annos. Interea vero multos liberos generavit Esau.

Etsi igitur Rebecca sustinuit partem gubernationis tanquam materfamilias, tamen id cum maxima difficultate et maximis molestiis fecit, quia duae nurus erant ethnicae et impiae dominae, quae contemnebant socrum quasi deliram anum. Et usitatum est, ut omnes nurus aegre patiantur dominium socruum. Istae vero non erant peregrinae, sed indigenae in hac terra, quae nupserant homini peregrino Esau, pauperi et abjecto: ideo superbe et magno contemtu opposuerunt se Rebeccae. Ita misera Rebecca vixit in magnis angustiis et summo contemtu. Sicut supra, 26. (v. 35.) dictum est: „Ambae erant מרת, amaritudo utrique parenti", affligebant et excruciabant assiduo optimam mulierem, quia erant reginae in domo. Esau war ein Jungcker, affinitate junctus nobilibus et magnatibus in terra. Iacob erat exsul propediem ejiciendus, quia Esau liberos suos cogitabat haeredes instituere: et habuit haud dubie ad eam rem hortatores affines et duas conjuges. Ideo est certissimus de dominio et pontificatu; regit enim domum loco patris tanquam vicetenens patris. Sanctissima autem mater Rebecca ambulat in luto aqua-

rum multarum, et multa indigna patitur a nurubus; pater enim senex et privatus lumine abdicavit omnem gubernationem.

Quanta interea passa est Rebecca? Quantum injuriarum et contumeliarum ferendum et mussitandum fuit? Proinde non sine causa fovet et tuetur Iacob, ut is benedictionem acquirat, tam superbe imperante Esau in domo, tanto fastu exsultantibus affinibus, ac sese jactantibus, quod per hunc principem Esau vellent et ipsi Hithaei regnare. Ibi haud dubie Rebecca anxias et ardentes precationes cum lacrymis coram Deo effudit, cum videret, transferendam esse gloriam promissionis ad gentes, ad Hithaeos. O Deus, clamavit, prohibe tu, ne succedat ipsorum conatus.

Sic igitur florente republica et principe Esau superbissimo, contemto autem et abjecto Iacob cum matre sanctissima, non aliter sibi persuasit Esau, quam se esse regem omni jure divino et humano. Et accedit patris Isaac studium, favor et beneficentia, quae est confirmatio et argumentum certissimum, quo fretus nihil amplius sollicitus est de venditis et repudiatis primogenitis. Securus est de omnibus, ac si in coelo ipso et Paradiso esset constitutus.

Vide autem, quam subito et inopinato eum opprimat ira et judicium Dei. Mandat enim pater, ut exeat venatum, et afferat sibi cibos delicatos, cum esset benedicendus: ibi haud dubie habuit comites affines et alios necessarios Esau. Atque ita egreditur cum canibus et reliqua turba venatorum, qui ipsi gratulati sunt. Et familia quoque jactavit: Cras benedicet Isaac principem et sacerdotem nostrum Esau: plena fuerunt omnia gaudio et exsultatione; sed quid

fit? Redit Esau cum pompa et magnifica expectatione domum, offert patri cibos, quos paraverat. Ibi repente omnes res et spes omniaque gaudia concidunt, et prosternitur ipse quasi subito fulmine coelitus ictus. Ideo magnam causam irascendi habuit. Tantam enim laetitiam et pompam tam subito mutari? Quas ibi diras, quantas exsecrationes in fratrem conjecit? Qui fletus, quae perturbatio, querelae et consternatio totius familiae, uxorum et affinium? Qui enim mane hora sexta fuerat dominus, rex et sacerdos, vesperi factus est servus. Ita omnes subito tanta de spe decidunt contra omnem spem et exspectationem.

Caro in ejusmodi casu non potest patiens esse. Quid nunc faciam? cogitavit Esau, major est ignominia, quam ut eam sustinere ac perpeti queam, tanta contumelia rex ego et sacerdos in domo patris mei affectus sum. Et frater meus, qui fuit hactenus abjectissimus, nunc erit mihi dominus. Et addidit diras et exsecrationes: Ei da schlag der Teufel in der Höll zu, das höllisch Feur etc. Illa insperata dejectio de tanta spe non potuit non commovere eum vehementissime.

Vides igitur, quantum et quam horribile malum sit peccare secure, et non poenitere; id enim causam praebuit huic casui Esau, qui per iram Dei omni benedictione coelesti sicut Lucifer coelo excidit, antequam praevideret aut cogitaret. Cum enim amitteret benedictionem, qualis tunc erat, simul etiam patrem et matrem, haereditatem universam cum regno et sacerdotio amittebat. Ideo furenter irascitur et fremit, cum ait: „Appropinquabunt luctus patris *mei*“. *Sic* enim locutus est ad affines, cum quibus

consilia sua contulit, et ad familiam, quae vidit eum ira et furore ardentem. Accessit fletus et lacrymae liberorum, qui viderunt, se privatos esse et frustratos spe superbissima. Hi fuerunt ei stimuli ad furorem: Num hoc patieris, dixerunt, tot bona tam repente tibi eripi? Non patiar, dixit, sed interturbabo illam laetitiam etc. Talia jactavit haud dubie inter affines et uxores, duo illa carcinomata Rebeccae, quae insanientem jam prae iracundia magis inflammarunt.

Atque haec est facies et idea domus Isaac, sanctissimi Patriarchae, quae est perturbatissima per consilium Spiritus sancti, quod Rebecca executa est, ut benedictio transferretur a filio majore in minorem. Necesse enim fuit, sequi maximam perturbationem, cum essent confusae omnes illae magnificae spes et rationes Esau. Erat enim jam in possessione sacerdotii et dominii, nec poterat timere ruinam aut ejectionem. Sed est insigne hoc exemplum poenae divinae, qua subito ruit princeps ille et dominator superbissimus: ita ut propemodum uno momento ad restim redigatur, qui paulo ante aeternum regnum sibi promiserat. Hoc diligenter nobis ob oculos ponamus. Ea enim est ingenii humani perversitas: dum peccamus, sumus securi; cum vero sentimus iram et poenam divinam, sumus miseri et desperati. Sicut in domo Esau fuit luctus et ejulatus maximus, ploraverunt uxores, liberi, tota familia: ipse ad desperationem et in furorem adigitur, quia res magna est et horribilis ira Dei, quod usque adeo incenditur, ut velit et parentes occidere, et delere ecclesiam.

Nuntiata vero sunt Rebeccae verba Esau, filii sui majoris, et mittens vocavit Iacob, filium suum minorem, dixitque ad eum: Ecce Esau, frater tuus, consolatur se de te, ut occidat te.

Non clam habuit comminationem istam Esau, sed flentibus liberis et uxoribus, atque affinibus furentibus prae ira et indignatione palam dixit: Sinite modo, non erunt diuturna gaudia Iacob et parentum: faciam, ut et ipsi nobiscum doleant et lamententur. Haec verba cum quispiam ex servis, prae caeteris bonus ac fidelis, audivit, mox accurrit ad Rebeccam, et ei nuntiavit. Nec potuit ipsa aliud cogitare, quam eum vehementer commotum iri, et habere justissimam causam irascendi, si quidem in certa spe benedictionis possidendae totos septuaginta septem annos vixerat, et pater eam ipsi destinarat summo studio et benevolentia, quibus omnibus nunc excidit. Quin et illud Rebeccae in mentem venit, se omnium horum malorum et horribilis turbae caput et causam esse, quanquam re vera non erat. Sed peccatum Esau, et principaliter oraculum Dei, quo dictum fuerat: „Major serviet minori“, in causa fuit. Itaque Esau sua culpa hoc malum sibi accersivit, quia offendit et contemsit Deum, gloriam et honorem primogeniturae vilipendit, et vendidit vilissimo pretio, pro edulio rufo.

Vide igitur, quantum malorum ex hoc uno peccato ortum sit? Nam post oraculum divinum totius hujus turbae causa est peccatum Esau. Et his duobus consolata est se Rebecca: primum oraculo divino, deinde peccato Esau, qui postquam etiam ad

cognitionem et sensum irae Dei pervenit, incipit furere, et non poenitere. Atqui peccare et sentire poenam, neque eam agnoscere, quod Dei justo judicio infligatur, sed tantum indignari et irasci de amisso bono, id non est poenitere, sed fremere contra Deum: perinde ac nos hodie, cum affligimur bello Turcico, peste, fame aut aliis modis a Diabolo vexamur, omnes querimur de magnitudine calamitatum, sed neminem audias, qui dicat: Peccavimus, inique egimus, Domine Deus, miserere nostri, memento misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Non convertimur ad Deum punientem: sicut idem queritur Isaias 9. (v. 13.): „Populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non exquisierunt".

Clamamus igitur et querimur omnes miserabiliter de poena, saevitia, crudelitate barbari hostis et malis, quibus obruimur; sed de peccato non dolemus: ideo nostra poenitentia est Esavitica poenitentia. Tandem vero audiemus id, quod Proverb. 1. (v. 24—28.) scriptum est: „Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit, qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus vester quasi tempestas ingruerit, quando veniet super vos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me, et non exaudiam" etc. Quid enim est indignius, quam nos a Deo flagitare salutem, liberationem, benedictionem in corporalibus et spiritualibus: ac interea tamen idolatriam exercere, occidere fratrem, parentes, ac omnis generis cupidita-

tibus frenum laxare? Non abibunt ista sine certis et tristissimis poenis. Eadem enim comminatio in Isaia exstat, cap. 65. (v. 12. 13.): „Pro eo, quod vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui, elegistis, propter hoc dicit Dominus Deus; Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis" etc.

Habent vero et pii ac innocentes suas calamitates et afflictiones, ac saepissime publicis malis implicantur; semper enim in tot millibus, sive in tanta multitudine superesse aliquos pios necesse est. Illi vero quando orant, non abjiciuntur aut deseruntur perinde ac impii. Sed id eis accidit, quod 1 Petr. 4. (v. 17.) dicitur, ut judicium a domo Dei incipiat: impiis vero exhauriendae sint faeces. Certissimum enim argumentum est, quando hi patiuntur, qui orant, et ex animo Deum colunt impendentis exitii impiis et securis. Atque illi quidem tantum paululum gustant de calice furoris: horum vero quis erit exitus, qui non crediderunt evangelio? Sicut nos hodie sumus in congregatione eorum, qui meriti sunt interitum et perditionem, et experimur jam judicium incipere a domo Domini. Sustinemus enim communes aerumnas satis graves; quemadmodum Daniel et alii pii in exsilio Babylonico communem calamitatem ferebant. Sed longe tristiora tyrannis et hostibus denuntiantur, sicut testatur vox divina in Ieremia (49, 12.) contra Ammonitas, Idumaeos et alios: „Quia haec dicit Dominus: Ecce, quibus non erat judicium, ut biberent calicem (hoc est, qui non erant meriti) bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes".

In talibus ergo aerumnis praeparandus est animus ad patientiam, ut boni consulamus judicium Dei. Nihil enim nocebit nobis, qui poenitentiam agimus, et peccatis impiorum non participamus et serio oramus. Sed vae illis, quibus faeces exhauriendae fuerint. Nam tales ex poena irrogata pejores fiunt, et non agnoscunt peccatum, quod commiserunt, clamant et fremunt propter calamitatem, non dolent de peccato. Si propter peccata clamares, exaudiret te Deus; sed quia dissimulas, excusas, defendis peccatum, non audiam clamorem tuum de poena, dicit Dominus. Haec de causa hujus tristissimae et subitae ruinae Esau cogitanda sunt, ut causas poenarum intelligere et fugere discamus. Et in communibus periculis spem et invocationem retineamus, ne fracti calamitatibus ad impios deficiamus.

Postquam igitur Rebecca accepit nuntium de Esau irato et spirante caedem fratris, alloquitur filium Iacob: „Frater tuus consolatur se de te, ut occidat te“, quaerit vindictam, qua se consoletur et ulciscatur, quae est sane pessima consolatio. Fuge igitur ad fratrem, ne tentemus Dominum, cede ad tempus furori Esau, ne detur locus irae. Ita interponit se mediatricem, necdum desperat de placando Esau, sicut caritas omnia credit et sperat. Deinde etiam oravit, ut placaretur cor ejus, idque haud dubie etiam blanditiis et muneribus apud affines et uxores egit, ut ipsi iratum Esau reconciliarent. Ipsius etiam Esau animum tentavit blandis verbis, ne saeviret tantopere: „Sis contentus eo, quod pater tibi attribuit“, dixit, „sat habes“. Deus alia et majora dabit. Ejusmodi consiliis et blandimentis usa est ad componendam turbam hanc, quia fuit astutissima et

prudentissima mulier, sed cum pietate et timore Dei.

Nunc igitur, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban, fratrem meum in Haran. Manebisque cum eo diebus paucis, donec aversus fuerit furor fratris tui: donec avertatur ira fratris tui a te, et obliviscatur eorum, quae fecisti ei. Et ego postea mittam, et assumam te inde. Quare orbabor utroque vestrum uno die?

Hebraea vox חֵמָה significat vehementem iram, quae est quasi aestus et fervor quidam, a יָחַם calefacere, exaestuare, sicut apud Poëtam ira describitur (Virg. Aen. 9, 66.): Ignescunt irae, et duris dolor ossibus ardet. Ita Esau quoque exarsit ira. Igitur fuga consulendum putat Rebecca filio, ne, si retineret eum apud se, videretur eum temere periculo exponere. Nihil enim non audet designare animus incensus ira, sicut dici solet: Ira furor brevis est (Hor. Ep. 1, 2, 62.). Cedendum igitur est furori, ne iratus in te saeviat, et damnum det, quod nunquam postea sarciri queat. Haec prudenter cogitata et dicta sunt a Rebecca: Non volumus Deum tentare, et dicere: Qui benedixit tibi, servabit te quoque. Facit quidem Deus, quae proposuit, sed per media. Credit igitur, defendendam esse ecclesiam et benedictionem; sed tamen utitur mediis a Deo concessis ad evitandum periculum.

Hoc exemplum diligenter notandum est propter eos, qui omnia referunt ad praedestinationem, et ita tollunt omnes actiones et media, quae ordinavit Deus.

Sic enim dicunt: Si debent haec fieri, tum fient necessario, etiam sine mea opera. Aut si etiam non necessaria pericula adeant, custodiam et defensionem sibi promittunt, quia Deus hoc necessario faciat juxta suam promissionem. Hae cogitationes profanae et impiae sunt, quia vult Deus, te uti mediis, quibus potes; vult, te oblatam occasionem amplecti et ea uti, si quidem per te ea vult efficere, quae ordinavit. Sic enim voluit, ut pater te generaret, mater te aleret, cum quidem potuisset te creare et alere sine parentibus. Sic in communi vita necessariae operae faciendae sunt, seminandum est, plantandum est, quaerendus est victus etc. Postea faciet Deus, quod vult. Sed si dixeris: Non praebebo lac puero; si enim debet vivere, vivet, falleris, et graviter peccabis. Ideo enim Deus dedit ubera matri ad lactandam prolem: posset quidem sine lacte infantem alere, sed non vult. Utendum igitur est mediis ab ipso ordinatis.

Sic Rebecca potuit certo statuere: filius meus Iacob non occidetur, nec benedictio revocabitur; tamen non negligit, quod sui est officii. Sed dicit ad Iacob: Fuge ad fratrem Laban, donec cesset et defervescat ira fratris; posset quidem Deus te defendere, verum non est praebenda occasio Diabolo, sed praecidenda: vides, quomodo frater nunc furibundus domi oberrat, et si apprehenderet te, haud dubie occideret. Aut si ipsius animus per patrem leniretur, tamen ab affinibus, uxoribus et liberis non minus periculum est, qui non tam facile placari poterunt *), et placato etiam Esau tibi malum machinabuntur, cum sciant, se rem gratam facere patri Esau. Cum igitur possis fugere ad fratrem meum, et de-

*) In ed. princ. *poterant.*

clinare hoc periculum, utere occasione et consilio isto. Interea placabimus et affines, et nurus. Docebimus eos de divina voluntate, quod Deus hoc ita praesciverit et ordinaverit: tu tantum ad tempus discedas. Ego dabo operam, ut leniantur animi, adibo ipsos, colloquar, et Deum orabo.

Haec insignis prudentia est sanctissimae mulieris, qua in tanta turba, quam concitavit, et in tanto periculo sibi et filio pulchre cavet. Est enim et domus, et ecclesia Isaac vehementer perturbata et confusa, nec potuerunt tam repente animi justo dolore exacerbati mitescere. Hoc videt Rebecca, et tamen non tentat Deum, nec desperat. Utrunque enim praestandum est: non est tentandus Deus in periculis, et non est desperandum de salute.

Haec ad doctrinam et consolationem ecclesiae pertinent, cujus hic imago proponitur. Semper enim in maximis et inextricabilibus humana ratione periclis et malis versatur, estque haec usitata ejus vox et titulus: „Salva, nos perimus“ (Matth. 8, 25.), sed tamen non perit. Assiduis fluctibus et procellis agitatur, ut ob oculos nihil aliud obversetur, quam perditio, et nos clamemus: Perimus, et tamen salus est in Deo. Sicut Rebecca et Iacob in tantis difficultatibus ex Dei promissione pendent, et tandem eluctantur et vincunt.

Deinde hoc quoque discendum est ex hoc exemplo, ne statim desperemus de hominibus peccantibus, sed cogitemus verbum illud Christi, quod respondet discipulis suis, cum dehortarentur ipsum, ne rediret in Iudaeam, propterea quod paulo ante Iudaei ipsum voluissent lapidibus obruere: „Nonne duodecim sunt *horae* (Ioh. 11, 8. 9.)“? hoc est, tempore mutantur

nimi, mitigantur, placantur, ut corrigant malitiam iam. Tempore defervescit furor ille et fervor irae. it est sane verisimile, quod Esau multum placatus it illis duodecim aut amplius annis, quibus mansit icob in Mesopotamia. Et accessit successus tempoalis, de quo nihil diminutum fuit: imo aucta est npia praesumtio, quod nihilo minus retineret beneictionem, si quidem plane contrarium fiebat ab eo, uod erat in benedictione Iacob. Is enim erat quiem institutus haeres regni et sacerdotii, sed parum accedit, quia ejicitur in exsilium, et maledictioni imilior ejus fortuna et tota vita videtur, quam beedictioni. Esau vero manet in possessione, cum saac captus oculis abdicasset gubernationem familiae t ecclesiae. Ideo manet dominus domus absente Iaob, et usitatas operas, sicut hactenus, obit.

Haec cum viderent duae nurus et affines, ipsi uoque facile acquieverunt, cogitantes: Eat sane enedictus ille, nos manemus in domo, ipse est proigus. Et multum aucta est haec fiducia, cum tot nnos abesset Iacob: forsan, dixerunt, deliravit senex saac, inductus in fraudem per stolidam Rebeccam. Ion placuit haec benedictio Deo: et magnum sigum est, quod non sit benedictus, quia cogitur exulare. Nos sumus uxores principis, sacerdotis, nurus saac, cui promissio facta est; non igitur curabimus igitivum istum. Sic haud dubie senserunt omnes, ui fuerunt in familia Esau. Quando enim res seundae sunt, et accedit falsa persuasio de benedicone, statim dicitur: Deus est propitius. Prosperitas ero et impia opinio faciunt superbos et securos. lic potest fieri, quod Esau etiam mitigatus sit cum xoribus et liberis, cum cogitaret, imo esset persua-

sissimus, irritam esse benedictionem Iacob, si quidem non defendebatur divino miraculo; sed deserebat eum Deus, sinebat, eum ejici domo etiam per matrem et patrem. Ideo non potuit aliud statuere, quam irritam esse factam hanc benedictionem a Deo.

Neque vero putabimus, haec sine gravi tentatione summoque dolore parentum gesta esse. Certe Rebeccae fides iterum coepit laborare; vehementer enim hoc doluit, quod Esau maneret in priore dominatione absente Iacob: quanquam parentum tam piorum affectus non possunt satis explicari aut cogitari. Mea profecto fides tantum non posset ferre. Est jam mater septuaginta septem annorum: tot enim anni sunt, ex quo prolatum est oraculum, cum haberet adhuc gemellos in utero: „Major serviet minori". His annis exspectavit anxie benedictionem et Iacob cum ea, et propterea caelebs vixit, sine conjuge et liberis, tanquam abjectus et repudiatus. Esau interea quadragesimo anno aetatis duxit duas conjuges, jamque liberos, et ex liberis nepotes habet. Est dominus et princeps et sacerdos in domo. Haec ferre et adspicere quotidie cogitur tam longo tempore Rebecca. Tamen perdurat etiam regnantibus duabus nurubus, quae erant ipsi duae amaritudines, excruciantes senem Isaac et veram matremfamilias. Illis enim oportuit Rebeccam tradere claves et omnem administrationem. Vide igitur, an non sit haec insignis fides et spes Rebeccae, exspectantis tam longanimiter benedictionem.

Quid Isaac? Huic ad varias tentationes et vexationes accessit miseria et crux paene intolerabilis, ut senex privaretur lumine. Illa venerabilis senectus non *videt solem*, non alia, quae ipsi et necessaria et ju-

cunda

ında adspectu erant. Audit quandoque querelas ab ;ore Rebecca, a filio Iacob aut a reliqua familia de ıperbo imperio et injuriis Esavitarum, de his dole- ; et queri potest, emendare non potest. Et ex an- ;oedente colligitur consequens, degenerasse prorsus lium Esau, ethnicorum religione et moribus magis ıptum, quam pietate et doctrina patris, nurus etiam: uod essent gentiles, fuisse alienas a vera doctrina t insolentiores ob mariti dominium.

Itaque fides horum sanctissimorum parentum ita ;ntata et exercitata est, ut animi nostri nec com- rehendere, nec cogitando assequi queant: idque non ecem aut viginti, sed amplius centum annis duravit. }uanta vero miseria est, tot annos sedere in tenebris, ı luctu et omnis generis vexationibus tantum virum, uem Deus ita dilexit, ut benediceret ei, et promit- eret haereditatem regni coelorum et vitae aeternae, ıunc Deus permittit oculis et lumine privari, ac tot t tantis difficultatibus excruciari. Cur igitur murmu- abimus, cur irascemur Deo, si quid adversi, si quae ;alamitates nobis accidunt? Nihil quidem illae Pa- ;riarcharum afflictiones sunt ad Christi passionem ;ollatae; sed magis tamen movent animos nostros,]uia Christi passio nobis non est perfecte cognita, ıeque credimus, eum fuisse tam miserum hominem ;t abjectum, sicut revera fuit. Deinde quilibet cogi- ;at, Christum, cum esset Deus, facile omnia ferre et ıuperare potuisse. Neque vero quisquam est, qui pos- ;it se cum Isaac conferre, qui eandem tolerantiam et constantiam in adversis praestare possit. Certe fides horum parentum probata est, et inventa purior, quam aurum. Et in hac fide et spe tandem obtinue- runt, quod desiderarunt.

Quod reddidimus: diebus paucis, in Hebraeo est: diebus unis, Germanice: ein oder zwen Tage. In fine subjungit causam, cur jubeat eum discedere: „Quare orbabor utroque vestrum uno die"? Videt enim sapientissima mulier, si Esau occideret fratrem, quod ipse quoque capite plectendus esset juxta legem universaliter sancitam ab initio, ut homicida aut in exsilium ageretur, sicut Cain, aut per hominem, id est, magistratum occideretur. Videtur autem Rebecca hoc loco dubitare de veritate promissionis et benedictionis divinae, cum ablegat filium metu irati fratris. Cur enim non retinet eum, cum sciat, divinitus ei conservationem certo exspectandam esse?

Respondeo, ut supra: Potuisset sane sic dicere Rebecca: Manebis mecum, nihil metues iratum Esau, quia Dominus erit pro te sollicitus; is custodiet te juxta benedictionem; sed non facit hoc, quia vult docere suo exemplo credere et sperare omnia de Deo, sed non tentare Deum. Fides est certissima et firmissima propter verbum et promissionem, quam habet. Ac potuisset sic statuere: Filius habet benedictionem, fiat, quod debet fieri, non potest perire, relinquam eum domi. Sicut ante dictum est de impiis et profanis hominibus, qui rejiciunt omnia in fatalem quandam gubernationem Dei. Sed pia et prudens mulier utitur remediis, quae sunt ad manum, subministrata divinitus. Sicut non est dicendum: Nolo edere, nolo bibere; si erit mihi vivendum, vivam. Si non erit vivendum, nil proderit cibus aut potus. Item: Ego sum masculus; igitur futurus sum pater, etiamsi non duxero uxorem. Hunc quis non judicet furiosum, qui sic sentiat? Debes enim uti *donis* Dei oblatis ad manum: non debes rejicere in

aedestinationem vel promissionem. Nobis non est putandum de eventu rerum sine verbo, et tamen promissione non est dubitandum. Ubi non est omissio, ibi nihil tentandum est, sed sequendum t exemplum Rebeccae, quae poterat niti hac promissione: Iacob vivet, quia debet fieri pater posteritis; sed non contemnit oblatum medium, imo utir eo, ut possit effugere periculum filius. Id nimim est credere, et tamen non tentare Deum.

Caeterum non credere promittenti, et tentare eum, in aequo posita sunt, et utrobique gravissime ccatur, quia Deus vult, nos creaturis uti, quas det, et ideo dedit, ut iis utamur. Non igitur tentanus est Deus, sicut Iudaei in deserto tentabant Deum, atrociter puniebantur, quod exemplum etiam a ivo Paulo allegatur, 1 Cor. 10, (v. 9.). Et detestana est insania illa hominum fanaticorum admodum estilens, quae tamen late hodie serpit, ut dictum it antea. Tales enim subvertunt universam pietatem, um sine verbo in praedestinationem omnia rejiciunt.

Porro Rebecca ablegat Iacob, non solum ut delinet furorem fratris, sed ideo etiam, quia cogitat e uxore filio prospicere, sicut sequetur postea. Neue sic cogitat fanaticorum more: Habet benedictioem, sive maneat in terra, sive non, perinde est: ive duxerit uxorem, sive non, tamen erit pater seiinis, et habebit aeternam posteritatem. Aut etiamsi Cananaeam duxerit, quas ego indignas judico hoc onore, Dominus tamen efficiet, ut fiat digna mater stius prolis. Nequaquam hoc cogitat, sed vitat istas Cananaeas, quas semper aversata est, et id agit quanum potest per Isaac, ut ducat Iacob uxorem ex sua generatione.

Admoneat igitur nos hoc exemplum Rebeccae, ut in omnibus rebus et actionibus nostris faciamus, quod in nobis est, hoc est, utamur mediis juxta promissionem, et postea Deo commendemus eventum et praedestinationem. Habes enim Dei verbum et praecepta: secundum ea noveris tibi ambulandum esse, ne impingas. Sed qui extra promissionem evagantur, et fingunt sibi peculiarem eventum ex promissione divina, illi et praeceptum et promissionem Dei amittunt. Id vero est contemnere Deum praecipientem et promittentem. Hoc ingens peccatum ut vitaret Rebecca, mulier exercitatissima, tametsi jam de promissione certa erat, tamen quia de eventu sollicita est, utitur mediis, quibus erat utendum, adit maritum, docet, unde petenda sit uxor filio, ablegat Isaac filium, ut esset occasio vitandi Cananaeas, et ducendi aliam ex sua stirpe natam. Porro, quod promittit, se missuram et revocaturam Iacob, ejus postea non meminit amplius Moses. Ac videtur mortua esse intra illos viginti annos, quibus Iacob servivit Laban. Haec enim postrema mentio est Rebeccae in hac tota historia.

Et dixit Rebecca ad Isaac: Taedet me vitae meae propter filias Heth. Si acceperit Iacob uxorem de filiabus Heth, ut sunt istae de filiabus hujus terrae, ut quid mihi vita?

Rursus vide prudentiam et astutiam piae mulieris, quae non ostendit patri causam, cur ableget filium, non indicat, quanta sit calamitas et perturbatio domus, quod velit frater occidere fratrem; sed *pia astutia* celat maritum tragoediam hanc. Sumi

utem hinc debet doctrina moralis, optima sane et ulcherrima, ut discamus esse pacifici, et aliorum tiam perperam dicta et facta simpliciter, candide et extre interpretari, ornare, tegere, sanare: das best a den Sachen reden, non exacerbare, sed excusare t mitigare causam etiam pessimam: qualis haec est, um frater insidiatur vitae fratris. Hanc in se recipit Rebecca sola, suis cervicibus imponit, et sic ei medetur, ut et consilium, et conatus impius impediatur, t veneranda ista canities senis Isaac non contristetur. Si enim rescivisset Isaac, moerore animi consumi t exstingui potuisset. Verisimile enim est, sicut sura ex historia ostendimus, ipsum tot annis multa ndigna passum a filio tam superbe imperante, quibus si accessisset hoc extremum malum, dolore et egritudine animi contabuisset.

Proinde aliam causam affert Rebecca hujus discessus Iacob, nempe connubium, quod velit eum ontrahere non in ista terra cum filiabus Heth, sed um alia, quae ex sua familia oriunda sit: quia pius t fidelis homo debet habere salutarem linguam, sicut dicitur, Proverb. 12. (v. 18.): „Temere loqui erinde est, ac gladio fodere: at sapientum lingua alutaris est". Adsuefaciamus itaque nos, ut ad exemlum Rebeccae simus boni mediatores in malis caus, neque nimium noceamus peccanti et ei, qui reus it, sicut ipsa sapienter cavet filio Esau: non vult um accusare apud patrem, et simul parcit optimo arito, seni et oculis orbato, ne eum perturbet; ipsa otius suffert et devorat hoc malum.

Si fuisset improba mulier, insufflasset in ignem, tque oleum et picem flammae suffudisset. Sic enim olent perversae naturae ad calumniandum et ad ma-

ledicendum nimium proclives. Lingua autem justi lingua vitae est, quia bene loquitur de Deo, et utitur lingua ad componendas discordias, ad offensiones leniendas et sanandas, ad animos afflictos erigendos et confirmandos. Sicut recitatur pulchrum exemplum de Monica, Augustini matre, si quando rixae ortae fuerant inter vicinas mulieres, et ipsa audiret utrinque multa acerbe et aspere dici, non spargebat ea, neque ab alia ad aliam deferebat, sed sedulo celabat: et fingebat interim, cum ad unam ex iis, quae mutuo se oderant, veniret, optimam et honestissimam ejus mentionem ab altera factam esse. Ita mitigabatur haec, altera inscia et ignorante, ut omnem offensionem et simultatem animo ejiceret. Sic etiam piorum hominum linguae debent esse salutares, linguae curationis, mitigationis et misericordiae, sicut Ecclesiastic. 36. dicitur.

Lingua autem aspera et maledica saepe ex una guttula et ex una scintilla ingens mare et incendium ingens exsuscitat. Ideo fugiamus vitium id, et sequamur exemplum Rebeccae et Monicae, ut, cum audimus pessima, nos optima loquamur et optime interpretemur: nisi id eveniat, ut salus alicujus periclitetur propter odium implacabile alterius; ibi is, qui periclitatur, admonendus est, ut possit cavere vim aut insidias adversarii: sicut iste, qui Esau prodidit in hoc parricidiali bello apud Rebeccam matrem, optime fecit. Et eo ipso salutaris lingua fuit, quia jussit eum cavere sibi loco, cui imminebat periculum. Insidiae igitur et homicidia non sunt reticenda, sed aperienda. Non debuit hic nuntius dicere, qui Rebeccae periculum Iacob a fratre nuntiavit: Esau bene est contentus, nihil mali cogitat, amat fratrem etc. Sed fuit accusandus et retegendus Diabolus, qui in

aula instigavit et incendit principem suum ad
n faciendam. Nisi enim indicasset, adjuvisset
idam: quia vero nuntiavit, prohibuit homici-

aec est doctrina moralis, quae utiliter hoc loco
ur, et diligenter notanda est; utrunque enim
us in hoc exemplo, caventur insidiae et caedes
ita Iacob, et mira prudentia omnia teguntur,
senem parentem parricidiales minae Esau de-
ur. Ac sane optima causa est, quam affert Re-
Iam enim haeres institutus erat Iacob, erat ei
ctio collata et tota ecclesia commissa. Nunc
id restat, dixit ad Iacob, ut detur ei baculus
ıum, quo nitatur, hoc est, ut habeat conjugem
et adjutorium coram ipso. Honestissima ora-
non solum ab utili et honesto, sed etiam a
ırio; si enim debet uti benedictione, oportet
abere uxorem. Hactenus vixit caelebs, cum
bjectus et extra numerum. Nunc Esau abjectus
ında igitur est uxor Iacob, qui benedictionem
s totam gubernationem deinde sustinebit. Hac
ca persuadet Isaac, ut dimittat filium, quia est
entum necessitatis, quod superat omnia argu-
ab utili et ab honesto. Sicut in Gellio (Noct.
6.) exstat honesta vox Metelli: Si volumus
cives, necesse esse, habere etiam uxores etc.;
r posteritatem enim conservanda sunt connubia.
ıd quare non despondes ei aliquam ex Cana-
m virginibus? Non placent istae, inquit: et
etoria utitur ab utili et ab honesto. Nolo, ut
talem, quales sunt istae duae nurus nostrae.
, mi Isaac, quanta passi simus hisce triginta
ab uxoribus Esau, quomodo me conculcarint,

te vero despexerint, et superbissime, imo tyrannice se gesserint. Si igitur me salvam vis, prohibe, ne ducat gentilem de filiabus hujus terrae vel aliis Cananaeis, quia oderunt nos, cum audiant, nos habere promissionem hujus terrae: id ipsis est intolerabile, et propterea cupiunt nos excutere vi et omnis generis injuriis.

Porro scriptura non facit mentionem nominatim fratris Laban, ad quem ablegatura erat filium. Forsan autem quaesivit Isaac: Unde ergo eligemus ei aliquam virginem? Ibi ipsa respondit: Eat ad fratrem meum Laban. Huic consilio acquievit senex Isaac, et ipsius arbitrio permisit omnia. Rebecca enim jam gubernat domum, sed magna difficultate et periculo, rebus sic perturbatis et afflictis.

Sic igitur post consultationem istam mittitur Jacob in exsilium. Is, qui jam benedictus est, et institutus haeres, ejicitur domo, et fugit iratum fratrem. Bellam vero benedictionem, et initium tantarum promissionum egregium scilicet! Ego enim instituor haeres, potuit cogitare, et ejicior: et is, qui ejectus est, manet, et rerum omnium potitur in domo. Quomodo conveniunt haec cum promissione et tam ampla benedictione?

Hoc ergo unum de mirabilibus exemplis est gubernationis divinae, quo ostendit Deus, se exigere fiduciam verbi et promissionum, etiamsi contraria fiunt ab iis, quae in promissione continentur, ut adsuescamus confidere Deo in rebus absentibus, et procul extra conspectum nostrum positis. Sic enim Iacob habet promissam benedictionem, sed secundum fidem, quae non est apparentium, sed sperandarum rerum. Sic ego credo promittenti Deo, quod diligat et re-

spiciat, curet et exaudiet me, idque in praesenti et in promtu habeo, tametsi non appareat. Vivit igitur Iacob in sola fide, ejectus misere, solitarius et inops, nihil habens in manu, nisi baculum et buccellam panis in sacculo.

Hoc est initium benedictionis, quia, quod per fidem incipitur, id nondum habetur, sed speratur. Sicut nobis promisit vitam aeternam Deus, dedit absolutionem, dedit Baptismum. Hanc gratiam praesentem habeo per Christum; sed exspecto vitam aeternam, quae promittitur in verbo. Hoc verbo qui vivunt, sunt sancti et beati: impii vero tantum pane, non verbo vivunt. Ideo nec credunt, nec exspectant aeternam vitam. Iacob exspectavit LXXVII. annis futuram benedictionem. Iam postquam eam adeptus est, cogitur exsulare, atque incipit regnum et sacerdotium ejus cum maxima cruce, maxima calamitate et extrema penuria. Cogitur carere dulcissimis parentibus, et parentes carissimo filio carent tam longo tempore.

Si quis autem haec obiter tantum adspicit et audit, putat levia et facilia esse; sed experiundo discitur, quam sit res difficilis et plena tentationibus, relinquere parentes, benedictionem, haereditatem, et fugere in locum miseriae et paupertatis. Haec enim est mirabilis illa gubernatio Dei, quam caro neutiquam ferre potest, quia in fide consistit. Scribuntur vero ista nobis in exemplum, ut discamus pendere ex invisibili Deo, et eo acquiescere, quod saltem hujus invisibilis et incomprehensibilis Dei verbum comprehensibile habemus. Atque ita vitam nostram instituamus, ut nihil de invisibili creatore nostro habeamus praeter verbum et sacramenta, parentes item et

magistratus, per quos secundum verbum gubernatur haec vita, et exspectemus in spe et longanimitate promissionem ipsam, quia Deus non mentietur, nec fallet nos. Caro quidem difficulter credit, quia est adsueta rebus praesentibus, et movetur his, quae sentit et videt. Oportet autem crucifigi et mortificari carnem, et abstrahi a sensibilibus, ac docere, ut possit vivere et agere secundum invisibilia et ea, quae sensu non percipiuntur. Haec est mortificatio sensus carnis, quae simpliciter vult dormire secura in utramvis aurem, in rebus praesentibus et visibilibus. Ideo cum sentit contrarium, ringitur et dolet.

Ideo proponendum est hoc exemplum ob oculos, quomodo Iacob constituatur rex et sacerdos, quomodo investiatur in regnum et sacerdotium suum. Miserabilis enim haec pompa et ritus est regem inungendi et investiendi. Non induitur stola, non ornatur infula aut corona regia, non sceptrum traditur in manus, sed pera et baculo instruitur, et ejicitur in exsilium; benedictio autem relinquitur fratri Esau, ad quem, ea minime pertinebat. Tandem vero mortificato Iacob per fidem invisibilis Dei, sequitur etiam res visibilis, et possidetur terra per semen Iacob, et nascitur Christus ex isto semine, aeternus rex et sacerdos, cujus regnum et sacerdotium benedictione hac continetur.

Sic David ungebatur in regem super Israël, reprobato et abjecto Saule divinitus. Sed contra haec omnia Saul manet in regno, sicut antea, gerit res feliciter domi et adversus hostes, quin ipsum David tanquam seditiosum ac insidiantem regno crudeliter persequitur. Ac David interea vagatur in terra, ubi *rex a Deo* declaratus fuerat, tanquam profugus et

exsul, sicut testatur historia, toto decennio eum sic errasse, quotidie persequente et insidiante Saule. Num id regnum videtur, in terra propria decem annis exsulare? Quid possit esse mirabilius? quid indignius, quam regem declarari sine regno, sine sceptro, sine certa sede, imo non terra tantum et regno, sed etiam domo propria, conjuge et liberis orbari?

Sed superat haec omnia Christi exemplum. Nonne is novissimus virorum et despectissimus juxta Prophetam factus est, cum vult adscendere in coelum, et intrare in gloriam suam? Mortem, peccatum ac Diabolum superaturus affigitur cruci, moritur et in sepulchrum conditur, tanquam abjectissimus omnium hominum et Daemonum. Num id est intrare in gloriam, aut vincere et triumphare de morte? Est sane, quia hae sunt viae Dei absconditae, quae intelligendae sunt non secundum carnem et sensum humanum, sed secundum scripturam et Christum ipsum, qui ait ad discipulos: „Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam" (Luc. 24, 26.)?

Ad eundem modum Iacob oportuit viginti annis exsulare, et postea demum fieri regem et sacerdotem. David oportuit decem annis hinc inde agitari, et diversissima diverticula quaerere, ubi lateret tutus unam noctem, interdum unam horam: num is rex est divinitus constitutus et confirmatus? Atqui sic audis eum canentem, et mirifice suum regnum praedicantem: „Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua" (Ps. 63, 12.), hoc est, illi exsultabunt, qui sentiunt, eum regem esse a Deo constitutum et inunctum. Sed ubi erant illi? Totum reg-

num. enim et omnis potestas erat penes Saul, ipso ne vestigium quidem pedis in terra possidente.

Ita nos, qui credimus verbo Dei, sumus ecclesia, habentes certissimam promissionem, in quam vocati et baptisati sumus, qua alimur et sustentamur: habemus sacramentum altaris et potestatem clavium. Non autem sumus Christiani, nec ideo baptisati sumus, ut possideamus hanc terram. Nec in hanc vitam baptisati et renati sumus, sed in vitam aeternam. Quid fit autem de nobis quoque? Id nimirum, ut cum glorificanda est ecclesia, et ad illa aeterna gaudia, quae exspectat in verbo et spe, adducenda est, tum subjicitur infinitis persecutionibus tyrannorum et Diabolorum, exagitatur et laceratur per falsos fratres multis et miserrimis modis. Num hoc est ducere in vitam aeternam? Imo aeternae miseriae objicere est. At vero animi erigendi et confirmandi sunt contra hanc viam crucis. Quia enim habemus verbum et promissionem, ideo certo secutura est gloria, quae est promissa. Et vivit interim ecclesia et servatur fide, quae firmiter statuit, Deum non mentiri. Et discit hanc admirandam sapientiam carni et rationi absconditam, quod Deus est mirabilis in suis sanctis, et quod mirabilia sunt consilia ejus. Unde et nomen habet Dominus et dux noster, Iesus Christus, ut dicatur admirabilis, Isaiae 9. (v. 6.).

Pertinent igitur ista ad nos erudiendos, ut, si velimus pie vivere, aliter rationem vitae nostrae instituamus, quam mundus et caro solet. Oportet enim, ut simpliciter pendeamus ex invisibili Deo, et cum gaudio agamus Deo gratias, quod habemus verbum Dei promittentis, de quo inquit Petrus: „Habemus firmiorem propheticum ser-

nem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae
enti in loco caliginoso, donec dies illucescat, et lu-
er oriatur in cordibus vestris" (2 Petr. 1, 19.). Verbum
im est lux vitae nostrae, alioqui nihil habemus de glo-
. Scio, me esse baptisatum; scio, me manducasse
rpus et sanguinem Christi, esse absolutum, voca-
m et doctum verbo evangelii. Amplius de vita ae-
rna nihil habeo. Nondum habeo corpus clarifica-
m, superans splendorem solis et stellarum, sed ha-
o animum adhuc praegravatum multis magnis ma-
et terroribus, circumfero corpus obnoxium mul-
infirmitatibus et morti. Nihil minus igitur cum in
rpore, tum in anima apparet, quam vita aeterna;
d promissio non fallet nos. Haereamus igitur et
rsistamus in fide et in spe, et simus contenti ver-
promittente. Postea habemus externam hanc vi-
m et societatem, habemus parentes, magistratus,
ternum ministerium verbi et externa bona ad hanc
tam necessaria, quae omnia praeparatio et aditus
idam sunt ad vitam futuram.

Haec est doctrina ecclesiae propria et praecipua,
adita a Spiritu sancto, mundo et carni ignota, qua
ocemur, quod simus domini et haeredes vitae ae-
rnae non alia ratione, quam Iacob fuit haeres be-
edictionis, qui, cum eam esset adeptus, e terra et
omo patria in exsilium mittebatur. Hic est enim pro-
essus divinae majestatis cum suis sanctis, et haec fi-
es est sanctorum; de quibus hactenus. Sequuntur
m moralia et fructus fidei.

VIGESIMUM OCTAVUM CAPUT GENESIS.

Vocavit itaque Isaac Iacob, et benedixit eum, praecepitque ei, et dixit ad eum: Noli accipere uxorem de filiabus Canaan. Surge, vade in Mesopotamiam, ad domum Bethuel, patris matris tuae, et sume tibi inde uxorem de filiabus Laban, avunculi tui.

Prima particula hujus capitis non est theologica. Non enim tradit exempla aut doctrinam spiritualem, de fide et aliis cultibus spiritualibus. Quanquam, quae hic aguntur, et fidem et timorem Dei requirunt et includunt. Sed moralis locus est de conjugio, qui in ecclesia retinendus, et diligenter urgendus est propter necessitatem et dignitatem conjugii. Nam post doctrinam evangelii et fidei, quae est propria ecclesiae doctrina, inprimis debet honorari et ornari conjugium, idque vel ob hanc causam, quia mundus et caro, quid sit conjugium, et quanti sit faciendum, non intelligunt. Ita quidem usitate definiunt: Conjugium est conjunctio aut consuetudo masculi et feminae, retinens individuam vitae consuetudinem. Sed haec non est integra definitio, quia desunt causa finalis et causa efficiens. Tantum a causa materiali sumta est; conjunctio enim masculi et feminae est materiale. Verior autem et integra definitio haec est: Conjugium est legitima et divina conjunctio unius maris et unius feminae ordinata ad invocandum Deum et conservandam et educandam sobolem ad administrationem ecclesiae et *politiae.*

In doctrina igitur Christiana, qua docemus post ·angelii et fidei doctrinam, quomodo pie et hone- e nos gerere in hac vita debeamus, conjugium est rimum et principale, quia initium et origo est to- ns vitae. Et nihilo minus saevit in hoc vitae genus tan, quam in ecclesiam, quod inde apparet, quia lmodum rara res est commodum et salutare con- igium ac mutuus amor, cum inter ipsos conju- es, tum vero, quod ad liberos et vicinos attinet. st enim septum spinis et tribulis: quod initio qui- em non apparet adolescentibus, cum amore et bidine caeca impulsi temere irruunt in conjugium. ostea vero cum sentiunt et experiuntur molestias difficultates omnis generis, sero et frustra poe- tent.

Proinde Christiani ita se comparent, atque ita itam suam instituant, ut cogitent, conjugium non se temerariam aut fortuitam rem, pendentem ex ostro arbitrio et fortuito eventu, sed esse legiti- am et divinam conjunctionem. Cujus rei hoc il- stre argumentum est, quia creavit Deus masculum feminam, et non solus vir, aut mulier sola nas- tur, sed uterque vir et mulier. Itaque conjunctio aec statim in prima nativitate suam originem ha- et, ac propterea vere legitima est et divina. Dein- Deus non instituit conjugium propter volupta- m et delicias carnis. Haec non est finalis causa, d duplex finis est conjugii, primus, ut sit reme- ium adversus libidinem, secundus et magis princi- alis, ut sit fons et origo generis humani, ut nas- itur proles et propagetur genus hominum: sive, ut reconsulti dicunt, ad replendam civitatem. Sed ex cris literis hic finis addi debet: ad educandos li-

beros in disciplina et timore Domini, ut sint idonei ad gubernationem ecclesiae et politiae.

Hoc igitur caput diligenter tenendum et observandum est piis, quod uterque sexus a Deo conditus est ad conjunctionem et consuetudinem individuam vitae, hoc est, Dei voluntas est, qua vult, nos masculos et femellas legitime conjungi, ut educemus prolem, quae ecclesiae et Deo serviat. Hoc ubi firmiter retinebimus, facilius etiam feremus et superabimus omnes molestias et difficultates, quae in hac calamitosa vita conjugibus objiciuntur. Postquam enim homo per peccatum originale morti et potestati Satanae subjectus est, non cessat Satan, conjuges et corpore et anima horribiliter vexare et affligere. Hoc illud est, quod hoc genus vitae tantopere deformat, ac tam molestum, odiosum et invisum reddit, ut natura a conjugio non aliter atque a cruce abhorreat: sicut testantur ethnicorum exempla et voces turpissimae. Et hodie multos audias, qui studiose omnia incommoda et omnes difficultates colligunt, quibus abduci se patiuntur, ne animum ad conjugium adjungant.

Neque vero invitos et nolentes ad conjugium cogendos arbitramur. Si enim datum est, ut possis abstinere et vitare sine peccato, abstineto sane, si id sine peccato potes facere. Si vero non potes absque peccato vitare conjunctionem cum femina, utere remedio divinitus ostenso. Ac si non quaeris generandi officium, at remedium quaere adversus peccatum, ut vitetur fornicatio et adulterium, vitentur pollutiones et vagae libidines. Plus satis enim miseriarum est, quod sumus oppressi omnis generis calamitatibus, *peccato* et morte. Ne insuper addas peccatum

pecca-

peccato, et malam conscientiam tibi aliis sceleribus accumules. Atqui, inquiunt, nimis miserabile et nimis molestum vitae genus est! Respondeo: Est duplex genus vitae, alterum est peccati, alterum est poenae. Iam considera, utrum sit melius: vivere in poena sine peccatis, an e contra in peccatis sine poena. Ratio sic corrupta est, ut poenas illas peccati non possit aequo animo ferre. Ideo appetit ea, quae suavia, laeta et jucunda sunt, crucem autem et molestias fugit. Sicut Socrates interrogatus, utrum melius esset, ducere uxorem, an non? respondit: Utrumvis feceris, poenitebis. Si duxeris deformem, habebis poenam, si formosam duxeris, habebis communem. Ille in poenam tantum et abusum respexit.

Christianus autem sic in animum inducat suum: Contemnenda est poena, et omnis molestia ex oculis removenda, atque audendum est in nomine Domini, quia cogitandum est de vita sine peccatis, sine immunditia, sine pollutione et maculis, ut possis habere bonam conscientiam coram Deo. Non enim sperandum est regnum, non beatitudo aut vita aeterna in hac vita: non sinunt hoc peccatum originis, infirmitas carnis et Diabolus. Si autem omnino ferenda est miseria, cum Deo potius perferamus, quam cum Diabolo; qui enim fugiunt conjugii onera, vivunt quidem suavem et jucundam vitam, habent sua scorta, quae modo abjiciunt, modo recipiunt pro arbitrio, sed cujusmodi conscientiam tales habere putabimus? Sane pessimam. Et quod longe est gravissimum, sustinent hi quoque easdem, imo plures molestias, quibus afficiuntur a scortis indignius, quam a conjugibus. Ita duplicem poenam su-

stinent, communem illam, et illi addunt poenam aeternam.

Haec igitur post ecclesiastica dogmata de conjugio quoque docenda et diligenter inculcanda sunt in ecclesia, ut sciant homines, quomodo vivant in hac vita sine peccato. Deinde etiam piorum animi erigendi et exhortandi sunt ad contemnendas illas molestias conjugii. Oportet enim conjugem se virum praebere non noctu tantum, sed alias etiam ad poenas et ad voluntatem Dei sustinendam, ad ferendam et devorandam improbitatem familiae, injurias vicinorum et alia, quaecunque incidunt incommoda. Ideo deligendi sunt ad conjugium optimi viri et optimae mulieres, sicut Abraham et alii sancti Patres fuerunt robore et corporis, et animi praestantes. Alii, qui onera et molestias conjugii metuunt, et propterea ab eo abstinent, idem faciunt, quod in proverbio dicitur: De fumo ad flammam tendunt: quia quaerunt aliud genus vitae, quam id, quod natum est in peccato. Ibi vero inveniunt Diabolum et infernum, quia non possunt effugere concupiscentiam, morbum originis, peccatum et mortem in carne et animo haerentem.

Sume igitur animum, et cogita, hanc vitam nihil aliud esse, quam ipsam miseriam, cujus aerumnas, labores et difficultates ita superabis, si respexeris in Deum creatorem et patrem tuum; cujus voluntati et ordinationi te cum humilitate et patientia submittas, sic statuens: Ego credam in Deum, qui creavit me masculum, agam ei gratias, quod habeo ejus verbum, quod placuit ei, me esse maritum, esse *uxorem*, ut educarem sobolem, gubernarem fa-

iliam, quod per evangelium habeo promissionem tae aeternae, et consolationem in hac praesenti vi. Sicut inquit Paulus, 1 Tim. 4. (v. 8.): „Pietas ad nnia utilis est, promissionem habens vitae, quae ınc est, et futurae". Et Rom. 15. (v. 4.): „Quaeınque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta ınt, ut per patientiam et consolationem scripturaım spem habeamus".

Ad hunc modum rectius de conjugio sentire et dicare discamus, quam caro et mundus solet. Ac ›rtemur juvenes, ut aequo animo patiantur et fent, si qua incidunt mala. Adsuefaciant se ad in›cationem, et dicant: Domine Deus, ego sum tua eatura, a te conditus masculus, et ordinatus ad hoc :nus vitae, in quo jam haereo multis malis et dif;ultatibus implicitus; sed da, ut vere agnoscam, me se creaturam tuam, te mihi esse patrem et contorem, utque a te auxilium et defensionem ex›ectem.

Talis precatio necessaria est omnibus conjugibus, uia omnes experimur crucem et molestias nobis imositas. Atque utinam tolleretur aliquando caelibatus collegiis sacerdotum et Episcoporum, et concede:tur aut mandaretur eis conjugium, sicut nostrarum :clesiarum ministri pie et honeste in conjugio vi- unt: non ita inhiarent ad Episcopatus et Canonicaıs. Neque enim tanta foret potentia et opulentia ollegiorum. Sed frustra haec optamus, sunt pecora ampi et faeces terrae.

Haec initio hujus capitis dicenda fuerunt de conıgio, quia narrat Moses, quomodo Isaac vocaverit acob filium, *ac cum eo locutus* sit de constituenda

re familiari, de ducenda uxore. Atque initium conjugii fuit virtute, ordinatione et vocatione divina. Quales autem habiturus sit miserias et molestias in conjugio, in sequentibus videbimus; in toto enim conjugio nihil habet proprii, nihil laeti et jucundi praeter prolem: alioqui est miserrimus, vivit in exsilio, et servit socero Laban, qui eum indignis modis tractat.

Ordinatio autem et vocatio ad conjugium haec est, cum praecipit Deus per os parentis ipsi Iacob, ut ducat uxorem. Addit autem pater alterum mandatum, ne ex Cananaeis unam deligat, sed potius ex filiabus Laban sibi accipiat uxorem. Pertinet igitur hic locus ad doctrinam de auctoritate et consensu parentum necessario ad jungenda connubia. Nos enim clandestina sponsalia et connubia reprobavimus et damnavimus, quia post renatam clarissimam lucem evangelii scimus, quod conjugium sit res sancta et licita, ac divina ordinatio. Non est turpe aut inhonestum fieri conjugem, sicut ante haec tempora in errorem per Monachos inducti sensimus, sed est honorificum et sanctum. Scimus quidem, horribiliter deformatum esse concupiscentia: qua de causa multi turpe duxerunt ambire puellam, contrahere nuptias, tanquam foedam et impuram rem: non enim discernebatur opus illud generationis ab aliis peccatis, scortatione et adulteriis. Verum jam didicimus et certi sumus Dei beneficio, quod sit conjugium honorabile, sicut dicitur, Hebraeorum 13. (v. 4.): „Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus", et quod sit Dei voluntas et institutio, ut quisque *habeat certam* conjugem, legitime sibi junctam.

Proinde nulla causa est, cur abhorreamus ab hoc vitae genere, aut pudore et verecundia deterriti, clam et furtim illud ineamus contra honestatem et parentum voluntatem. Non vereatur puella adire parentes, et petere sibi in matrimonium honestum adolescentem. Et parentes nunc recte instituti sunt, et promti ad consulendum liberis: sunt et pii pastores et magistratus, qui possunt parentibus persuadere sua auctoritate, ne praebeant se duros et difficiles.

Fugienda itaque sunt sponsalia illa furtiva, et cum honore Dei et reverentia parentum ineundum est sanctissimum foedus conjugii. Hujus doctrinae illustre exemplum hoc loco proponitur. Praecedit enim auctoritas et jussus parentis Isaac, qui mandat filio, ne ducat Cananaeam, et huic summa voluntate obtemperat Iacob. Esau diversum fecit, duxit duas conjuges Hithaeas, invitis parentibus, quo facto vehementer eos offendit, ut et Isaac et Rebecca cum dolore quererentur, se a nurubus misere excruciari. Hoc gravissimum peccatum et scelus fuit. At vero alioqui plus satis molestiarum in conjugio sustinemus: cur insuper per peccatum et contemtum parentum alia et graviora mala ac iram Dei nobis accersimus? Quin potius contrahimus conjugia in nomine Domini, ut Iacob faciebat, et tamen non deerunt difficultates et omnis generis aerumnae. Facilius autem eas tolerabis, si hanc conscientiam ad conjugium afferes, ut possis dicere: Sic placuit parentibus, amicis, tutoribus et Deo. Non enim accedis tua ratione et sapientia nixus, posthabita auctoritate et consensu eorum, quos Deus te revereri voluit; ideo certus es de defensione et benigna voluntate Dei. Nisi vero id feceris, ad communia mala etiam

accedit mala conscientia, quae omnes molestias augebit et aggravabit. Hoc quid aliud est, quam malum malo accumulare, et saevitiam Satanae adversus te augere?

Sed hunc locum supra etiam et alibi tractavi copiosius, et est diligenter inculcandus, quod clandestina matrimonia sint prohibita, non tantum legibus civilibus Caesarum, sed etiam exemplis et testimoniis divinis; propter jurisperditos, qui decreta juris pontificii praeferunt sacrarum literarum et civilium legum auctoritati, et pudet eos fateri et agnoscere, quod aliquando docuerint absurda. Atqui theologica professio longe est sublimior, et tamen cogimur agnoscere infinitos et crassissimos errores theologiae Scholasticorum. Isti vero jurisconsulti scienter et prudenter manifestum errorem conantur retinere et defendere, quod est indignissimum. Reclamant enim aperte jura civilia, et testantur, filiosfamilias parentum in nuptiis contrahendis habere consensum oportere. Refragantur exempla sacrae scripturae. Quid igitur ad nos stolidus Papa cum suis decretis?

Isaac prohibet filio, ne ducat gentilem, et jubet eum ire ad fratrem matris Laban, ibique uxorem ducere. Non cogit quidem Iacob, ut ducat eam, quae patri placet; sed vult tamen eum eligere honestam, quam ipse amet et ducat: patris enim jussus debet praecedere; filius debet parere. Nec cogendus est, ut ducat, quam odit, sed sponsalis amor debet esse liber, et pater non inhibeat, sed promoveat et adjuvet. Hic verus ordo et ratio est contrahendi matrimonii, quae non est pervertenda, quia *sufficit diei* afflictio sua, hoc est, ipsa miseria con-

jugii, quas abunde satis habebis, cum ingressus fueris hoc genus vitae. Vitabis igitur, quantum poteris, offensiones parentum et Dei, ac potius cum bona gratia et bona voluntate Dei et parentum incipe, ut totius vitae curriculum si non absque poenis et molestiis, tamen sine culpa, si non mero gaudio, tamen cum innocentia cordis, sive bona conscientia et beneplacito divino possis absolvere. Sufficit tribulatio carnis, ac servet nos Deus a tribulatione spiritus.

Ex altera autem parte, qui prorsus abhorrent a conjugio, sive praetextu sanctitatis, sive ut liberius vivendi potestatem habeant, exhortandi sunt ad hoc sanctissimum vitae genus, ne se polluant libidinibus infandis et usitatis collegiis Canonicorum et Cardinalium. Si non habes donum castitatis, ducas uxorem in nomine Domini: si non potes ditescere, sis contentus quotidiano victu. Non potes esse rex et dominus, sis servus. Crede in Deum, et exspecta aeternam vitam in hac misera et calamitosa vita, quae non est perpetua, sed brevis admodum. Aut si etiam centesimum annum attigeris, quid est tam exigui spatium temporis collatum ad aeternitatem? Nos Christiani scimus, restare aliam et meliorem vitam, quam exspectamus, ad quam semper nobis est respiciendum. Et quia interea hoc nostrum corpus non caste et continenter vivit, feramus sane leges spinarum et tribulorum in conjugio, et simus laeti, quod Deus in his miseriis benigne nos respicit et tuetur. Placet enim Deo, quod laboras, quod sudas in spinis conjugii. Sufficiat tibi gratia ipsius, neque difficultates te absterreant: Ad haec collige labores et aerumnas

sanctissimorum Patriarcharum, et videbis, quantas vel solus Iacob sustinuerit in conjugio.

Deus autem omnipotens benedicat tibi, et faciat te crescere, atque multiplicet te, ut sis in congregationem populorum. Et det tibi benedictionem Abrahae, tibi et semini tuo tecum, ut possideas terram peregrinationis tuae, quam dedit Deus Abraham. Dimisit itaque Isaac Iacob ad Laban, filium Bethuel Syri, fratrem Rebeccae, matris Iacob et Esau.

Isaac supra dedit filio Iacob benedictiones; eas hoc loco repetit cum imprecatione. Est autem benedictio, ut supra etiam monuimus, res ipsa tradita et donata praesenter: sicut mihi traditur Baptismus in praesenti, traditur remissio peccatorum, quia non spero remissionem peccatorum, sed habeo eam in fide praesenter. Non credo, Christum passurum pro me, sed per fidem certus sum, quod jam pro meis peccatis sit passus, et resurrexerit propter justitiam meam. Igitur non est nuda oratio aut imprecatio, sed qua trado tibi in praesenti per virtutem clavium remissionem peccatorum, gratiam et favorem Dei, ut certo possis statuere, te habere Deum, cui sit de te beneplacitum. Hoc tibi trado tanquam certam possessionem. Sic ecclesia habet praesenter faventem et arridentem sibi divinam majestatem, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Christum et Angelos congratulantes, et universas creaturas applaudentes atque exspectantes redemtionem ipsius, sicut dicitur, Rom. 8. (v. 19.).

Longe igitur alia res est benedictio, quam im-

precatio, quae tamen hoc loco additur: Deus benedicat tibi, hoc est, faciat te crescere etc. Supra dicta est benedictio: hic additur oratio. Saepe enim dictum est, duo esse et fuisse semper officia sacerdotalia a principio mundi. Alterum est docere, quod fit pro concione aut in absolutione, in qua trado gratiam Dei sanguine Christi confirmatam. Alterum est orare pro se et aliis, quod fieri solet finita concione; quamlibet enim concionem sequi debet precatio. Auf eine gute Predig soll ein gut Vater unser folgen, quia orandum est pro incremento fidei, ut crescamus in benedictione, ne Diabolus eam a nobis auferat. Utrunque igitur est faciendum: docendum et orandum est, quia haec sunt duo officia sacerdotalia, audire loquentem Deum, et loqui cum Deo audiente nos, descendere et adscendere. Per benedictionem, per concionem et per administrationem sacramentorum descendit Deus, et loquitur mecum: ibi audio ego. Et rursus adscendo, et loquor in aures Dei, audientis orationem meam.

Notanda est et appellatio Dei singularis hoc loco: שַׁדַּי, a שַׁד, hoc est uberibus, mammis. Hoc nomine dignatur appellari Deus, et convenit cum appellatione Graeca πολύμαστος, mammosus. Ab alendo et fovendo vult celebrari, quia fovet universas creaturas. Non solum est creator, sed etiam nutritor et altor. Supra eadem appellatione ad Abraham usus est: „Ego sum Deus omnipotens, qui facio omnia crescere, augeri, vivere et ali“. Invocat igitur Iacob illum Deum, qui non est creator tantum, sed etiam altor et nutritor, ut det filio terram peregrinationis. Est tua terra, vult dicere, sed tu es hospes et peregrinus in ea. Alius tenet eam, tu

metsi tu pro tua habeas, et debeatur tibi jure divino. Iacob igitur terram sibi debitam non possidet, quod fuit sane grave et difficile; nobis autem prorsus intolerabile esset, si haberem propriam domum, et alius eam inhabitaret, ego hospes panem, vinum et omnia necessaria mea pecunia cogerer emere, ut peregrinum illum alerem et vestirem. Magna igitur fides fuit sanctissimorum Patriarcharum, id quod haec verba Isaac plena fide testantur. Ac haud dubie intellexerunt, illis promissionibus corporalibus terrae Canaan includi aeternas et spirituales. Ideo speraverunt aliam patriam, si quidem promittuntur temporalia, et dantur tamen aliis. Atque hactenus de fide et promissione benedictionis, item de conjugio satis.

Videns autem Esau, quod benedixisset Isaac Iacob, et quod misisset eum in Mesopotamiam, ut inde uxorem duceret, atque praecepisset ei, cum benediceret eum, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Canaan: et quod Iacob obedisset patri suo et matri suae, et abiisset in Mesopotamiam: videns etiam Esau, quod non libenter adspiceret filias Canaan pater suus, ivit ad Ismaëlem, et accepit Mahalath, filiam Ismaëlis, filii Abraham, sororem Nebajoth, super uxores suas sibi in uxorem.

Videtur furiosus Esau aliquanto mitior factus esse, postquam videt, cessisse fratrem Iacob ex domo paterna; cogitavit enim: Sat habeo, dummodo *ego in domo* et possessione maneam. Ille meus fra-

ter benedictus abiit, et reliquit benedictionem. Et putat, fuisse tantum accidentalem benedictionem, qua benedixerit ei pater, ut haberet portiunculam aliquam, qua in exsilio et peregrinatione se sustentaret. Fuitque ei gratissimum, quod Iacob non repugnavit parentibus, sed tam facile obedivit, et contentus modico cessit in exsilium: potuisset patrem urgere, cogitavit, ut ampliorem benedictionem impertiret, sicut ego urgendo et instando extorsi, ut nunc in domo maneam. Sed sunt simplices homines pater et mater et frater Iacob: parentes mittunt filium in exsilium, filius obedit summa voluntate, quia trepidat ad meas minas et iram meam; ideo prudenter sibi fuga consulit. Ego enim sum dominus et princeps, Iacob est et fuit hactenus semper servus.

Pulchrum sane exemplum impiorum, qui sibi sic blandiri et se consolari solent etiam scripturis sanctis, quae tamen ipsis summopere adversantur. Sicut e contra homines pii et timentes Deum sententias et dicta pro se et in suam ipsorum vitam et consolationem invertunt, et accipiunt tanquam in sui perditionem prolata; metuit pius iram Dei, ubi speranda erat misericordia, e contra impii ad se detorquent locos misericordiae et gratiae divinae. Sicut Papistae et Turci somniant, se solos esse filios Deo dilectos et acceptos, somniant, se residere in sinu Dei Patris, exempla poenarum et comminationes procul a se amotas volunt. Ea vero nos pertimescimus, et putamus, ad nos et nostri perditionem pertinere, cum non velit nos terrere Deus, sed consolari, confirmare et exhilarare.

Sic Esau vidit, et vidit cum singulari volupta-

te, quod parentes metu irati filii ablegant Iacob: nihil potuit ipsi accidere jucundius. Vult igitur patri vicissim benefacere et gratificari, ne videatur ingratus aut inobediens erga parentes. Cum enim audit, displicere patri uxores Hithaeas, cogitat: En ducam unam, quae patri placebit. Ac vadit ad patruum suum Ismaël, et ducit filiam ejus. Utrum vero placuerit patri simulatio et dolus iste, an non, scriptura non significat. Ego non puto, quia Isaac non sensit benedictionem in Esau haerere, sed scivit, eam deberi Iacob. Et vidit etiam, Esau, quicquid ageret, simulanter et dolose agere. Est autem hoc insigne et pulcherrimum exemplum impiorum hominum et hypocritarum, qui florent in hac vita, et omnibus rebus abundant. Investiuntur cum gloria et pompa in regna et opes mundi, perinde ut Episcopi nostri; sed in fine videbitur, cujus toni.

Hactenus vero Moses historiam Isaac et Rebeccae paucis complexus est, in qua recitavit gravissimas tentationes et certamina, quas uterque domi et foris magno animo, in verbo et fide sustinuit. Accepta enim promissione de multiplicatione seminis, totos viginti annos vivendum fuit Isaac cum conjuge sterili: et ea cum exauditur, tamen non sine tentatione et periculo vitae fert uterum, et edit geminos. Postea, impetrata sobole, propter famem novae sedes quaerendae sunt, peregrinandum est cum liberis et familia inter Philistaeos, ubi pudicitia Rebeccae periclitatur, ac deinde pastorum, imo et regis ipsius jurgia et odia ferenda sunt. Sed in his omnibus verbo et promissione eriguntur et sustentantur sancti homines, et regis quoque et adversariorum animi *rursus placantur* et reconciliantur.

Tandem vero cum jam defuncti essent externis stationibus, accedit insuper domestica crux ex improbitate et contumacia filii Esau et duarum nuruum, as audivimus admodum duriter exercuisse senes rentes. Ac in primis Rebecca hoc gravius tulit, m accederet sollicitudo, ne primogenitura et benectio in Esau transferretur contra sententiam oracu- divini, id quod et pater ipse agebat, et Esau surbe sibi arrogabat. Sed lucet ibi mirabilis et dina potentia verbi in promissione, quod necesse at manere immotum et firmum, etiam ipso Isaac r errorem repugnante. Itaque consilio et astutia ebeccae, quae retinebat veram sententiam promisonis, pulchre decipitur, ut praeter omnem opinioem et inscius benedictionem debitam Iacob confeit. Esau vero benedictione excidit, et dignas poeas impietatis et contemtus luit. Haec exempla mibilium certaminum et aerumnarum, quarum plena t tota vita hujus Patriarchae, exstare in ecclesia rodest, ut accendantur mentes piorum ad similem lerantiam, exspectationem, fidem et invocationem adversis.

Sequitur porro historia Patriarchae Iacob, cui on incommode quintum librum genesis tribuemus. ostquam enim adeptus est benedictionem a patre, ejus consilium et monita de ducenda uxore audit, nulla deinceps mentio fiet Isaac et Rebeccae usae ad trigesimum quintum caput, ubi commemobit Moses, quomodo senex et plenus dierum Isaac ortuus sit, et collectus ad populos suos. Etsi vero sau interea dominatur in ecclesia et domo Isaac, et atrem profugum hostiliter persequitur, tamen Ia

cob propter promissionem et benedictionem solus est Patriarcha, et, ut ita dicam, lux mundi, caeteris omnibus defunctis, et patre Isaac per aetatem ad gubernationem ecclesiae minus idoneo. Videbimus igitur, quomodo Deus hunc quoque Patriarcham mirabiliter ducat, et exerceat per ingentia pericula et difficultates, in quibus praesentiam et defensionem Dei experietur non secus, atque Abraham et Isaac experti sunt, et de omnibus malis et aerumnis fortiter in fide promissionum Dei triumpharunt.

VIGESIMI OCTAVI CAPITIS
PARS POSTERIOR.

Egressus itaque est Iacob de Beersaba, ut veniret in Haran. Et cum venisset ad locum quendam, pernoctavit ibi; nam occiderat sol. Et tollens de lapidibus illius loci posuit pro capitis sui cervicali, dormivitque in loco illo.

Primus locus admodum insignis est, et accurata tractatione dignus. Continet enim multiplicem et amplissimam doctrinam et fere ampliorem, quam nos explicando assequi possimus. Iacob enim proficiscitur in exsilium, coactus fugere fratris furorem, et ipsi fratricidae sibi debitam benedictionem relinquere: quanquam is eo ipso placatus est, quia possessor benedictionis fugit, et relinquit ipsi possessionem integram tot annis. Haec nimirum in administratione divina stulta et inepta sunt coram oculis nostris, quod haeres, qui futurus est lapis in caput anguli, reprobatur ab aedificantibus. Ad id destinatus erat, ut esset dominus in domo, et est ei commissa divina auctoritate gubernatio domus et ecclesiae: sed hoc non est possidere domum, aut gubernare familiam et ecclesiam, fugere haec omnia et

deserere. Ideo ratio concludit, esse mera et inania verba in promissione divina, quia res non sequitur, sed in oppositum et contrarium ducitur.

Pertinent autem haec ad nostram doctrinam, quia theologia non est philosophia, quae res praesentes spectat, rebus prosperis inflatur, et iisdem ablatis frangitur. Estque hoc argumentum rationis et omnium Epicureorum, quod Deus videtur mendax, quia promittit benigne, et profert bona verba, sed dat malas res. Dat Iacob benedictionem, et rursus eam sinit auferri. Contra maledictus Esau manet in domo cum suis liberis, uxoribus et tota affinitate, et gubernat omnia: sicut antea est paterfamilias et sacerdos ecclesiae. Iacob vadit in exsilium, et deserit suam benedictionem. Haec nimirum est administratio rerum divinarum. Angularem lapidem oportet reprobari, ut discamus discernere inter gubernationem divinam et humanam: et quod non sit amissa benedictio Iacob, sed sit tantum tentatio, an firmiter eam fide tenere et exspectare velit. Sic enim et Abraham jubetur immolare filium tanquam amissurus, sed mox eum recipit majore gloria et fructu. Sic David unctus in regem exsulat decem annis, est servus servorum, et rex solo titulo et inanibus verbis, quae audivit ex Samuele: sed durat tamen et perseverat in fide et exspectatione, donec eventus promissioni cumulatissime respondet.

Hic cursus perpetuus est ecclesiae omnibus temporibus, promittere, et postea ita tractare eos, qui credunt promissionibus, ut cogantur exspectare invisibilia, credere, quae non vident, sperare, quae non apparent. Hoc qui non praestat, non est Christianus. Christus enim ipse sic intravit in gloriam

suam,

nam, ut descenderet prius ad inferos. Regnaturus rucifigitur, glorificandus conspuitur. Primum enim portet pati, deinde demum glorificari.

Facit autem hoc ideo Deus, ut probet corda ostra, an promissis bonis ad tempus carere velinus: in aeternum non carebimus, hoc certum est. Et nisi tentaret nos Deus, ac differret promissa, non ossemus eum diligere ex toto corde. Si enim statim objiceret omnia, quae promittit, non crederenus, sed immergeremur praesentibus bonis, et oblisceremur Dei. Sinit igitur ecclesiam affligi, et pati esuriam, ut discat, non solum in pane, sed etiam a verbo sibi vivendum esse, et ut augeantur in piis fides, spes et exspectatio auxilii divini; verbum enim st vita et salus nostra. Et si in hac vita ab Adae filiis dici et credi potest, quod vulgo dicitur: Quod differtur, non aufertur, cur idem nos Christiani non sentiamus et credamus?

Difficile quidem est et molestum hanc opem et consolationem retinere. Sicut inquit Salomon, Proverb. 13. (v. 12.): „Spes, quae differtur, affligit animam“; sed res tamen promissa consolatur et sustentat animum. Itaque muniendus est et confirmandus diligenter adversus indignationem carnis, quae in hac exspectatione pugnat adversus fidem et spiritum, sicut murmur illud carnis describitur in exemplis duarum conjugum, Tobiae et Hiob. Sic enim ait uxor Tobiae (2, 22.): „Manifeste vana facta est spes tua, et elemosynae tuae non apparuerunt“. Et uxor Iob (2, 9.): „Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo et morere“. Idem et amici objiciebant: Ubi nunc fides tua? Si placeres Deo, non ita te affligi sineret etc. Haec sunt ignita tela Diaboli,

quibus nos percellere conatur, ut desperemus, et deficiamus a Deo. Sed opponenda est consolatio toties repetita. Est dilatio, non est perditio: est mortificatio nostri, non est perditio nostri, sed aedificatio. Benedictio differtur; sed exspecta et persevera in fide. Neque cantes illud in Psalmo (115, 2.): „Ne dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum". Sed illud potius cogita: „Quare tristis est anima mea, et quare conturbas me? Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi" (Ps. 42, 6.). Es wird noch gut werden. Ibi enim pugnat contra se ipsum David. „Anima mea, inquit, conturbas me", quia non adest, quod vis. Exspecta saltem, et acquiesce, quia Deus adest et verbum suum.

Si igitur carnales homines possunt se consolari et erigere hoc symbolo: Quod differtur, non aufertur, quare non idem nos faciamus? Et talibus exemplis etiam humanarum rerum administratio plena est. Saepe enim princeps aliquis promittit per literas et sigilla, se donaturum fundos, arcem, aut simile aliquid. Ibi quoque non subito id donatur, sed exspectanda est opportunitas, exspectandus est locus, persona, tempus. Quanto magis exspectemus bona promissa a Deo, qui non est vanus, nec mentiri potest, sed certo servat et praestat promissa. Sicut Iacob firmiter credit promissioni ipsius, et tamen interim sustinet moram et dilationem hanc. Scit, se factum esse dominum ecclesiae et totius orbis terrarum: quia ab Abrahae domo translata est benedictio in domum Iacob. Et tamen pergit in exsilium, et vivit apud eos, qui sunt idolatrae.

Talibus exemplis nos quasi nube quadam sumus *circumdati.* Tota enim ecclesia et quilibet Christia-

nus, quia Christus ipse, Dominus noster, tolerat hanc voluntatem et gubernationem divinam, quae est tentare, sed non damnare, differre, sed non auferre. Haec igitur Christianorum doctrina propria est, quae pendet ex verbo, et certo statuit, Deum infallibiliter daturum, quae promisit. Sed hanc mirabilem gubernationem Diabolus et caro non possunt ferre. Facilius possumus tolerare dilationem promissae rei apud homines, quam apud Deum, quia obstat peccatum originis, ne feramus in divinis rebus, quod in humanis non adeo molestum est ferre.

An non igitur turpe est, quod habentes tam certas et firmas promissiones de vita aeterna et benedictione, tamen dubitamus de voluntate Dei, aut certe infirmiter credimus? Sum baptisatus, et habeo spem vitae aeternae: neque tamen possum tam firmiter credere, ac si princeps aliquis promitteret praedium aliquod, et promissa literis et sigillis confirmaret. Quo magis laudandum est robur illud et firmitudo fidei in hoc nostro Patriarcha. Is enim suscepturus gubernationem domus, quam habet ex institutione et benedictione divina, fugit et relinquit adversarium et hostem Esau in regimine et possessione, qui fungitur et fruitur omnibus his, quae ad Iacob pertinebant. Nihil movetur tamen fides ipsius, ut vacillet aut deficiat, tametsi appareat, benedictionem prorsus irritam et nihili esse. Quanquam non dubito, imo libenter sic cogito, illos sanctissimos Patriarchas fuisse homines, habuisse carnem et sanguinem, perinde ac nos habemus. Si enim Petrus, Paulus et alii Apostoli habuerunt carnem et sanguinem, ergo et illi humani aliquid passi sunt. Caro enim et sanguis luctatur contra spiritum.

Non est igitur dubium, quin Iacob senserit interdum dubitationem, et tentatus sit, utrum esset benedictio irrita, an rata. Caro enim ejus fuit vera caro, et Diabolus fuit ei hostis. Non igitur externam tantum tentationem sensit, cum cogeretur ire in exsilium, et pelleretur domo et possessione propria, sed accessit etiam interna tentatio longe gravior et sublimior, cum veniret ei in mentem: Quid, si mater te fefellit? Vides enim, fratrem manere in possessione, et potiri benedictione. Quid, si Deus mutavit sententiam? Esau enim habet rem ipsam. Ego nihil praeter nuda verba habeo. Ac propter geminam istam tentationem consolabitur eum postea Deus novo verbo.

Discenda igitur est patientia ex Patrum exemplis, qui tentati sunt per omnia, non tamen sine peccato, quo solus Christus caruit. Certe Iacob non fuit tentatus sine peccato: non fuit Christus ipse, nec habuit carnem carentem peccato. Et tentatus est nobis in exemplum, ut discamus, quid sit fides, quid vita Christiana. Talis enim est, quae habet promissionem certam, quae non solum differtur, sed in contrarium ponitur. Iacob debet esse rex et sacerdos dispensatione divina; sed longe diversum fit ab eo, quod promissum est. Ibi cogitavit: Nihil fiet unquam, non respondebit eventus promissioni. Sed fides luctata est adversus carnem: Tu caro et Satan mentiris, quia Deus dixit et promisit; is non mentietur, sive fiat contrarium, sive ego interim moriar. Sic fides dixit, et ex tenebris jussit splendescere lumen. Proinde non est ridicula aliqua et frigida qualitas, stertens et otiosa in corde. Sed agitatur et vexatur horribilibus tentationibus de nihilitudine et va-

nitate promissionum divinarum. Ego enim credo in Christum, quem non video; sed habeo ejus Baptismum, sacramentum altaris, consolationem per verbum et absolutionem. Atqui nihil video eorum, quae promittit: imo sentio contrarium in carne? Ibi ergo luctandum est et pugnandum adversus diffidentiam et dubitationem.

Sed fides informis nihil valet, nec potest sustinere et ferre illos impetus. Vera autem et vivax fides, quae vincit dubitationem, revera est vivacissima qualitas, si tamen ita appellanda est, et est irrequietum bonum in corde nostro, quod Diabolus singulis momentis impetit et oppugnat; sicut inprimis in agone mortis discitur et sentitur, utrum sit fides informis, an vera et viva fides. Christianus enim subit mortem, ingreditur sepulchrum, absumitur a vermibus, breviter in nihilum redigitur, quod sane contrarium est omnibus promissionibus divinis. Quid igitur faciat? Ibi nimirum experitur, fidem non esse nudam qualitatem, si quidem terrores mortis vincit, et dicit: Tametsi non mortem tantum, sed et mille Diabolos et infernum ipsum cervici impositum sustineres, tamen non faciam Deum mendacem. Sic enim affecti sunt animi piorum in ejusmodi agone: Etsi effunderet infernus omnes flammas, et evomeret in me, quicquid est mali, tamen maneo in fide illa. Credo in Iesum Christum, Filium ejus unicum: Domine Deus, serva me per Christum, ne oriatur blasphemia illa: Tu mentiris. Contrarium quidem sentio; sed verbum tuum habeo, quod non fallit, imo est mihi omnia in omnibus.

Ad hunc modum scriptura sancta commendat Patres, et proponit exempla fidei ipsorum luculenta.

Neque est ulla alia doctrina in mundo praeter scripturam sanctam, quae docet, solam fidem esse victricem mundi: quae fides est, habere verbum in corde et non dubitare de verbo, atque interim pati simpliciter contraria, non frangi, non fatigari usque in finem, hoc est, donec veniat promissio. Hiob ad uxoris exprobrationem duravit fortiter; respondet enim: „Quasi una de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus" (Hiob 2, 10.)? Si habuimus vitam, si comedimus et bibimus hactenus Deo alente et sustentante, cur non etiam adversi aliquid feramus? Tobiae uxor etiam cecidit. Sed David manet firmus et constans toto decennio, cum esset quidem rex sine corona, sine terra, sine populo, imo a Saulitis esset hostis declaratus et seditiosus. Postea cum Absolon regno eum ejicit, tantum dicit (2 Sam. 15, 25. 26.): „Si placuero, reducet me. Si autem dixerit mihi: Non places, praesto sum, faciat mihi, quod bonum est coram se". Id nimirum est firmiter retinere promissionem (Deut. 8, 3.): „Non in solo pane vivit homo" etc. Haec de fide et promissionibus, quae et hoc loco et saepe alias repetenda et diligenter inculcanda sunt, quia caro semper reluctatur.

Porro quaestio hic nascitur: Quare sanctissimi parentes Isaac et Rebecca mittunt filium ad idolatras? Quia audiemus infra, Laban habuisse argenteos deos etc. Conjiciunt igitur filium in apertum periculum, et videntur sic tentare Deum. Quando enim certum et manifestum periculum adeo, tunc recte judicor tentare Deum. Quomodo igitur stat fides cum illa tentatione; qua involvunt filium periculo idolatriae et aliorum pessimorum exemplorum?

Si quidem Laban non solum coluit deos argenteos, sed etiam fuit avarus, sordidus et plenus vitiis, sicut infra apparebit. Potuit igitur Iacob ex ejus conversatione corrumpi, et multis vitiis contaminari contra fidem et bonos mores. Respondeo: Quo iret? Ducenda erat uxor, paranda gubernatio ecclesiae et domus. Erant autem Cananaeae feminae prorsus idolatrae, sine omni verbo. Illic vero in domo Nahor reliqua fuit aliqua cognitio pietatis, quia linea sive series Patrum a Noah usque ad Abraham, in qua numeratur Nahor, frater Abrahae, habuit verbum. Quanquam enim in Abrahae domum est translata ecclesia, mansit tamen etiam in familia Nahor verbum et verae pietatis studium. Patriarchae Loth scriptura nullam amplius mentionem facit. Nahor vero habuit familiam sive posteritatem, in qua natus fuit Hiob, qui fuit de terra Uz: quidam de Edom descendisse eum contendunt. Sed Hieronymus et alii deducunt ejus originem a Nahor, fratre Abrahae. Est ergo Hiob patruelis ipsius Isaac, quia est ex familia Nahor oriundus. Dicunt, et Bileam ex eadem familia natum esse, qui fuit primum sanctus vir et pius sacerdos: sed postea corruptus et subversus largitionibus regis Moabitarum lapsus est. Et volunt, eum, qui in Hiob dicitur Elihu, esse Balaam; sed illa relinquimus tanquam incerta. Consentaneum tamen est, quod illa linea Patriarcharum servaverit cognitionem Dei etiam extra ecclesiam Abrahae, et manserit in puriore et vera religione. Hoc primum responderi ad illam quaestionem potest.

Deinde etiamsi retinetur sanae doctrinae professio, tamen semper sunt admixti hypocritae, et coguntur vere pii ferre in suis coetibus eos, qui colunt

Mammona, aut aliis vitiis dediti sunt, et tamen consentiunt de doctrina et usu sacramentorum. Sunt Christiani nomine, quia non pugnant contra doctrinam, nec persequuntur, sed habent suam carnalem sapientiam, et sunt plerunque animalia ventris. Quodsi illi omnes cavendi, et tantum cum piis habitandum esset, ubi nulli essent hypocritae, tum ex hoc mundo exire nos, ut inquit Paulus, oporteret. Ecclesia non potest prohibere, ne sint in suo coetu hypocritae, hoc est, falsi fratres, modo non impugnent doctrinam, non damnent nos, quales Babylonii tempore Abrahae erant: modo sinant nos cum ipsis vivere, sinant nos docere veritatem. Sint sane Mammonistae et propriarum opinionum: maneant modo quieti, et servent fidem et pacem publicam. Si veri hostes sunt, erumpent, ut aut ferre nos amplius nolint, aut nos cum ipsis habitare non possimus: illos vero hypocritas cavere non possumus. Et est aliqua spes, quod possint emendari. Qui avarus est, aut aliis vitiis deditus, et sentit suum peccatum, non defendit, de eo sperabimus, quod possit corrigi. Est quaedam stultitia vel infirmitas hujus vitae et naturae humanae. Neque nos per omnia possumus esse perfecti, quia secundum carnem non facimus ea, quae vult spiritus. Ac propterea oramus: „Dimitte nobis debita nostra". Non defendimus peccata, non serimus errores et pravas opiniones pro vera doctrina. Caeterum quilibet Christianus vexatur a Diabolo et carne, et agnoscit malitiam et corruptionem naturae: sicut de se queritur Paulus, Rom. 7. (v. 19.): „Quod nolo, malum, hoc ago".

Ita Nahor retinuit promissiones factas Patribus, *licet non tam* pure, ut Abraham, qui segregatus

erat ab aliis, ut esset pater ecclesiae, tamen aliquam lucem habuit. Non potuit igitur meliorem locum, in quem se conferret, Iacob invenire. Et servandum fuit illud, quod vulgo dicitur, arandum esse cum bobus, si desunt equi. Homines enim sumus, homines cogimur ferre, qui si etiam peccant, tamen admittunt admonitionem et correctionem. Ergo non est tentare Deum conversari cum talibus, qualis Laban fuit, cum quo habitavit Iacob. Haud dubie enim multi ex hac domo Nahor salvati sunt, qui inter caeteras gentes tanquam lux quaedam fuerunt docendo et propagando veram cognitionem Dei. Sicut Hiob fuit egregius vir, item amici Hiob. Et Bileam fuit excellentissimus Propheta, principio vere pius, et habuit singularia dona spiritus: vere et recte populo Israël initio benedixit. Postea Diabolus subvertit eum; sic enim potest fieri, ut doctrina pura et sincera maneat, etiam illis subversis, qui primum erant sinceri.

Civiliter ergo non possumus vitare consortium etiam manifeste impiorum. Ecclesia non potuit vitare Romanorum tyrannidem: Abraham non potuit cavere Ur. Verum quando novi aliquem avarum et aperte aliis injuriam inferentem, hoc faciendum est, ut ne admittatur ad ecclesiam et ad communionem: inde potest et debet excludi. Sic igitur potest responderi ad quaestionem, cur miserint Isaac et Rebecca filium in Haran, videlicet, quia adhuc in doctrina consentiebant, ex parte, tametsi sua vitia quoque haberent. Et fuit perpetua et constans necessitudo inter Nahor et Abraham eorumque posteritatem. Fuerunt eo tempore quasi luminaria illius saeculi, apud quos fuit promissio et verbum, et non apud Chaldaeos. Ubi autem est ministerium verbi, ibi

est ecclesia; et e contra, ubi est vera ecclesia, ibi est verbum.

Sed videamus verba et grammaticam. Cum magno enim affectu et significatione ingentis tristitiae ista dicuntur, quod Iacob, institutus dominus et haeres, egreditur de Beersaba, et procul usque in Haran proficiscitur. Quilibet autem ex se conjecturam faciet, quanto dolore bonus et sanctus ille Patriarcha sit contristatus. Haud dubie enim emensus est iter illud tam longinquum multis lacrymis, crebris suspiriis et singultibus, quia clam aufugit, ut occultet se a furore fratris Esau, ne insequeretur ipsum, et in itinere occuparet, et vim aliquam faceret. Proficiscitur igitur solus sine servo, sine duce aut comite. Sic ire in exsilium et tenebras, et discedere a patre, a matre, relinquere dulcissimam illam parentum consuetudinem, permittere, ut furiosus frater cum uxoribus dominetur se absente in ista peregrinatione, profecto magna fuit miseria. Et fuit Iacob homo et humanis affectibus obnoxius, non aliter atque nos sumus. Imo quo fuit spiritualior, hoc magis affecit et excruciavit animum ejus malitia pessimorum hominum, et sua ipsius peccata et aerumnae. Sunt enim tenerrimi homines sancti, ac magis et vehementius commoventur, quam caudices et stipites illi Monachi et justitiarii. Fuit igitur profectio satis tristis et molesta praeter periculum, quod imminebat a fratre. Non fuit jucunda deambulatio, nec quievit aut progressus est tardius, sicut securi et tuti ab omnibus insidiis solent, sed festinavit, cucurrit. Neque adjunxerunt ei parentes socium ideo, ut facilius fratrem Esau celaret discessum suum. Potuisset enim *praecludere viam*, et, quod constituerat, Iacob oc-

cidere. Est autem usus Moses figura, quam dicunt ὕστερον πρότερον; prius enim aufugit Iacob, quam resisceret *) Esau, eum aufugisse.

Postremo accesserunt ad hanc ingentem animi perturbationem Diaboli ignita tela, quibus instigavit eum, ut cogitaret: En, quid feci? Rapui benedictionem fratris, turbavi domum, irritavi fratrem et totam ejus familiam et affinitatem. Hac tentatione haud dubie Iacob non caruit: et quanquam eas vicit, tamen valde excruciarunt et anxerunt animum ipsius. In hac igitur tanta moestitia, turbatione, curis et lacrymis perrexit sanctus Patriarcha: singulae enim circumstantiae tales sunt, ut non immerito lacrymas ipsi excusserint.

Haran civitas est, in quam Thare, pater Abrahae, fugit ex Ur Chaldaeorum, et habitavit ibi. Atque inde vocatus est Abraham in terram Canaan. Nahor autem, frater Abrahae, et posteri ejus manserunt illic. Hieronymus dicit, vocatum esse Charran, et sita est in Mesopotamia inter Tigrim et Euphratem, quo loco populus Romanus ingentem cladem accepit duce Crasso adversus Parthos, qui aquilas et signa Romanis rapuerunt, et Crassum ipsum miserabiliter trucidarunt. „Venit ad locum" etc. Moses in Hebraeo singulari verbo usus est פָּגַע, quod non potest reddi Germanice. Idem enim sonat, quod dicimus: er trafe eben an, vel occurrit ei locus, begegnet. Significat etiam verbum id intercedere, ut supra 23. apud Ephron: „Intercedite pro me, ut vendat mihi agrum". Non igitur significat proprie venire, sed: occurrit ei locus, incidit in illum locum. Inde refertur ad intercessionem, propterea quod is, qui in-

*) Scribe resisceret.

tercedit, occurrit ei, qui placandus est. Germanice dicimus: Er kam ohngefähr an den Ort: casu in locum illum veniebat. Perinde igitur est, ac si diceret Moses: Iacob tristis et perturbatus, non cogitaverat illo loco quiescere; sed ita accidit praeter opinionem. Multo minus cogitavit, visurum se ibi apparitionem ea nocte; sed in fuga voluit aut progredi ulterius, aut citra illum locum consistere. Non destinaverat eo loco pernoctare, es gerieth also, nihil minus cogitans, quam se ibi pernoctaturum, et visurum apparitionem istam; sed quia sol eum praeoccupat suo occasu, cogitur ibi manere.

Significat igitur Moses, fuisse Iacob perturbatum et sollicitum de suo periculo, de parentum, quos deseruerat, statu et incolumitate, atque in illa moestitia festinasse, ut cito in locum optatum perveniret, et tamen ibi constitisse propter noctem ingruentem. Qui autem fessi sunt tristitia, fuga, sollicitudine, defatigatione corporis, facile sopiuntur, et suaviter obdormiunt. Sicut discipulos in horto invenit Christus dormientes prae tristitia. Alii interdum prae moerore somnum oculis capere non possunt; sed Patriarcha noster curis et ex itinere lassus obdormit. At qualis lectus? Quod cubile aut stratum? Humi recumbit, et capiti cervical supponit saxum, quod eo loco invenit. Non videtur ausus se credere ulli civitati aut pago, quia habuit suspectos omnes homines. Ideo pernoctat in agris, loco deserto et caliginoso post solis occasum. Non habuit foenum aut stramen, quod substerneret, sicut et discipuli in horto nec plumas, nec pulvinaria habebant. Sed ut quilibet in terram procubuerat, ita aut recumbens, *aut sedens* quiescebat, et somnum capiebat non mi-

nus dulcem et gratum, ac si habuisset plumas aut foenum substratum. Ita prorsus Patriarcha Iacob quiescit in solitudine ista, constitutus in summo periculo et dolore propter fugam et avulsionem a dulcissimis parentibus. Sunt enim maximae et gravissimae tentationes, quarum gravitate afflictus et oppressus animus opus habet quiete, ut respiret paululum, et mitigetur dolor.

מְרַאֲשֹׁת significat hoc, quod capiti supponitur, et vox est a capite dicta. Iudaei dicunt, sicut Lyra recitat, Iacob supposuisse capiti tres lapides, qui, cum evigilasset, conjuncti fuerint in unum. Nam hic lapides dicit plurali numero, postea autem lapidem dicit in singulari. Utrum hoc ex Patribus habeant Iudaei, an non, nescio. Satis pulchra cogitatio esset, si esset orta ex Patribus. Videretur enim voluisse relinquere indicia futurae fidei in Christum. Somnium autem Iacob, quod sequitur, prorsus non intelligunt Iudaei.

Et habuit somnium. Et ecce, scala erat posita in terra, cujus culmen pertingebat usque ad coelum: et ecce Angeli Dei adscendebat et descendebant per eam, et dominus innitebatur scalae, dixitque: Ego, Dominus Deus Abraham, patris tui, et Deus Isaac, terram, super quam tu dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum sicut pulvis terrae.

Haec est pulcherrima concio et insignis gemma hujus totius historiae, quae accurate et diligenter inspicienda est propterea, quod saepe diximus, in legendis sive historiis Patrum et sanctorum praeci-

pue id spectandum esse, quod Deus cum ipsis loquitur, qua de causa sancti sunt, et sancti appellantur. Duplex enim est sanctitas: prima, qua sanctificamur per verbum. Altera est, qua per opus et vitam sancti sumus. Sed hae duae sanctitates sunt accuratissime distinguendae. Illa enim prior et purissima sanctitas est verbum, in quo non est vitium, nec macula, nec peccatum: sed ita sanctum est, ut non indigeat ulla remissione peccatorum, quia est veritas Dei, juxta illud Ioan. 17. (v. 17.): „Sanctifica eos in veritate: sermo tuus est veritas". In illa sanctitate nos gloriamur, qui vocati sumus per verbum, et est extra nos, non est opus nostrum. Non est formalis justitia, sed coelestis sanctitas, communicata nobis per verbum, et quidem vocale. Illam ergo justitiam praedicamus, et opponimus omnibus justitiis, sanctitatibus Papae et omnium hypocritarum, quia est sanctitas impolluta. Ego habeo verbum, ego sum sanctus, justus et purus, absque omni crimine et accusatione, in quantum habeo verbum. Sicut Christus ipse inquit: „Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis" (Ioh. 15, 3.).

Sed hanc sanctitatem ignorat Papa, et contemnunt omnes justitiarii, et haerent in justitia legali. Non adscendunt ad coelestem sanctitatem, qua coram Deo grati sumus propter suum verbum. Ideo legendae sanctorum Patriarcharum inprimis hac parte observandae sunt, quando Deus loquitur cum eis. Nam ex verbo cognoscis, quam magni sint sancti, si etiam nullum unquam miraculum ederent: quanquam id est impossibile; sed antequam caro aliquid *facit, sumus* sancti per verbum. Sic igitur conclu-

do: Verbum non est opus meum; ergo, quando glorior in meo opere, amitto verbum. E contra, si glorior in verbo, perit opus meum.

Hoc nemo potest persuadere Papistis, qui perpetuo vetus illud obganniunt: Ratio deprecatur ad optima etc. Sed nos meminerimus, duplicem esse sanctitatem. Una est verbum, quod est ipsa sanctitas; habentibus autem verbum imputatur ista sanctitas. Et persona simpliciter reputatur sancta, non propter nos aut opera nostra, sed propter verbum. Atque ita constituitur tota persona justa. Quamobrem ecclesia vocatur sancta, et nos vocamur sancti, quia habemus sanctitatem irreprehensibilem, non ex nobis, sed ex coelo. Et haec sanctitas non est contemnenda, nec pudeat nos appellari sanctos. Nisi enim gloriamur de hac sanctitate, facimus injuriam vero Deo, qui nos sanctificat suo verbo. Sed sum peccator, inquies. Scio, te esse peccatorem, et si non esses, non vellem te sanctificare, non opus haberes verbo. Ideo autem, quia peccator es, sanctifico te.

Altera sanctitas est operum, caritas gratum faciens. Ibi non solum Deus loquitur, sed studeo ego sequi loquentem Deum. Quia autem haeret in nobis infirmitas, ideo non est pura justitia. Sed regnat Pater noster, et orandum est: Sanctificetur nomen tuum. Id ad nostram et operum sanctitatem pertinet, quae est formalis, et pertinet in sanctitatem decalogi et Pater noster; sed prior in symbolum, in Credo referenda est, quia per decem praecepta non apprehendo promissionem verbi. Nec per Pater noster, sed meam caritatem et opera mea illis amplec-

tor; per fidem autem apprehendo verbum, id est, ipsam puritatem.

Haec non satis possunt dici et inculcari, et est tamen facilis distinctio praecepti et promissionis. Aliud est verbum, quod absque caritate et justitia mea justificat credentem. Aliud est, quando praecepta Dei apprehendo, ut non furtum faciam, non committam adulterium etc. Sed Papistae ita tenebris suis submersi sunt et obruti, ut audientes doctrinam hanc non audiant: neque nos ipsi satis firmiter retinemus. Discite igitur vos ex lectione harum historiarum, quod nos inter legendum semper soliti sumus haerere in hoc loco, quando Deus loquitur cum Patriarchis, quia ibi legenda est optima et pretiosissima.

Iam concionem ipsam videamus. Et vel hinc apparet, in quanta moestitia et angustia animi fuerit constitutus Iacob. Versatur enim in tenebris, ut ita dicam, exterioribus, ejectus domo, patria, desertus et solitarius, incertus, ubi tuto latere possit. Et accessit insuper Diabolus, qui miris et mille modis afflictos animos excruciare solet: ita ut vere illud vulgo dicatur: Nulla calamitas sola: quia circuit Satan tanquam leo rugiens, et quaerit, qua parte sepem facillime transcendere, quibus machinis inclinatum currum possit evertere: Wo der Zaun am niedrigsten ist, da steigt er hinüber, und wenn der Wagen wankt, so stöſset er ihn gar um. Sic afflictis et tentatis addit et accumulat tentationem, ut praecipitet eos in desperationem, in blasphemiam aut impatientiam.

Haec sunt opera, hae insidiae usitatae et perpetuae *Diaboli*. Ideo haud dubie Iacob praeter corpo-

ralem

ralem crucem et exsilium impeditus fuit ignitis telis Diaboli. Forsitan cogitavit de rapina primogeniturae, de patre decepto; ita enim solet Diabolus ex optimo opere pessimum et ingens peccatum facere. Et hujus gravissimae tentationis hoc signum est, quod Deus cum ipso loquitur: non enim solet frustra sermones et verba sua profundere, nisi magna et necessaria causa eum ad loquendum impellat. Nec solet alloqui aut consolari eos, qui rident ipsum, qui exsultant et ferociunt adversus eum in voluptatibus aut sapientia carnis, qui vivunt secure sine timore et reverentia Dei. „Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium“, inquit Hiob (28, 13.), sed sub cruce oppressorum, et conflictantium cum spiritualibus tentationibus. Ibi et causa et locus est consolationis, ibi adest Deus et consolatur afflictos, „ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas“, Psalm. 125. (v. 3.). Item: „Loquetur ad servos suos pacem“ (Ps. 122, 8.). Si enim nimis diu abesset, nemo posset sustinere et perseverare in istis tentationibus et furiis. Magna igitur haec consolatio est in tristissima et ingenti perturbatione, qua magis sopitum esse Iacob apparet, quam defatigatione corporis. Accessit enim ad fugam et exsilium Diabolus, perterrefaciens eum intus in corde.

Somnium vero Iacob hoc est. Scala statuta est super terram, quae summitate coelum attingit, et super ea Angeli adscendunt et descendunt. Et ipse Dominus supra scalae incumbit, et loquitur illam promissionem huic tertio Patriarchae. Non per hominem loquitur, sed per se ipsum, id quod in historiis Patrum diligenter observandum diximus.

Scala autem est pictura sive imago quaedam, necessario aliquid significans: quia Angeli sunt spiritus et ignis, juxta illud Psalmi 104. (v. 4.): „Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem". Ideo non opus habent scala, in qua adscendant, vel descendant, multo minus Deus ipse, ut incumbat scalae, cum loquendum est ad Iacob, haeredem promissionis. Varie autem expositae sunt imagines sive picturae hujus scalae, quas omnes colligere et recitare non est operae pretium.

Lyra dicit, per gradus significari Patriarchas, qui initio evangelii Matthaei in genealogia Christi recensentur. Vtrunque enim latus significat, Christum tam ex peccatoribus, quam ex justis descendere. Angelos dicit significare revelationem incarnationis Christi per Patres, Prophetas et Apostolos. Adscensum interpretatur sanctorum devotionem, quando orant. Haec non est impia cogitatio; sed non videtur esse primaria expositio aut allegoria.

Glossa ordinaria interpretatur Angelos adscendentes beatos in coelo ministrantes Deo. Deinde descendentes, ut ministrent hominibus: sicut scriptum est, Hebr. 1. (v. 14.): „Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis"? Et Daniel. 7. (v. 10.): „Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei".

Gregorius vocat Angelos praedicatores, qui adscendentes contemplentur de Christo: postea descendentes ad ecclesiam serviant membris ecclesiae. Sed quis omnes speculationes enumeret? Sunt quidem piae, sed non in tempore aut loco dictae, ut multa sunt *in Patribus*. Verum est, quod concionator primum

adscendere debet per orationem, ut accipiat a Deo verbum et doctrinam; debet item studere, discere, legere, meditari. Postea debet descendere et docere alios. Haec gemina officia sunt sacerdotum, converti ad Deum oratione, ad populum autem doctrina. Sed haec in suo gradu et loco relinquantur.

Quia vero hujus scalae mentio fit in evangelio, Ioannis capite 1., illum potius textum inspiciamus. Ibi enim videtur Dominus ipse interpretari hanc picturam. Quando Philippus adducit Nathanaël ad Christum, inquit: „Ecce verus Israëlita" (Ioh. 1, 47.). Ibi, ut Augustinus ait, revocat nos ad memoriam istius scalae Iacob, qui etiam Israël appellatur. Christus sic ait (ib. v. 50.): „Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majora his videbis". Et addit (ib. v. 51.): „Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et Angelos Dei adscendentes et descendentes supra filium hominis". Huic expositioni salvatoris nostri oportet nos credere et acquiescere, quia melius intelligit, quam omnes alii interpretes, qui tamen in hoc omnes recte consentiunt, quod hoc somnium significaverit infinitum illud, ineffabile et admirandum mysterium incarnationis Christi, qui descensurus erat de Patriarcha Iacob. Sicut dicit Deus: In semine tuo etc. Revelavit igitur ipsi Iacob, fore eum patrem Christi: filium hominis nasciturum esse de semine ipsius. Hoc Deus non frustra locutus est: imo pinxit illam scalae imaginem ad Iacob confortandum et consolandum in fide futurae benedictionis. Sicut supra Abrahamo et Isaac eandem promissionem dedit, ut docerent et propagarent eam ad posteros, tanquam certam et infallibilem, et exspectarent salvatorem de sua carne. Ita miserum et af-

flictum Iacob in peregrina terra tanquam truncum inutilem confirmat Deus: et transfert omnes benedictiones in ipsum, hac nova pictura, ut certum faciat, eum esse hunc Patriarcham. ex quo venturum sit semen promissum Adae. Ergo oportet nos accipere Angelos in propria significatione, ut Christus vocat, Ioannis 1. Angelos Dei, id est, beatos. Illi adscendunt et descendunt in Christo, vel super Christum. Scala significat adscensum et descensum, qui fiunt per scalam, per gradus. Si removeas scalam, nihil aliud significat, quam adscensum et descensum. Angeli autem non utuntur materiali scala, nec imaginaria; sed tamen est adscensus et descensus, id est, Angelica quaedam scala. Haec primaria significatio est, sicut Christus ipse sine scala exprimit descensum et adscensum Angelorum super filium hominis.

Sed quis est iste adscensus et descensus? Respondeo: Hoc ipsum mysterium, quod in una illa et eadem persona est verus Deus et homo. Unitas igitur personae implet hoc mysterium. Et nos credentes implemus verbum Christi: „Videbitis Angelos adscendentes et descendentes“, quia credimus in unum Dominum, filium ejus unigenitum, natum ex Maria virgine, verum Deum et hominem. Hoc tantum mysterium est, tam grande, tam ineffabile, ut Angeli ipsi non satis mirari, nedum comprehendere queant: sed, ut 1 Petr. 1. (v. 12.) dicitur: „in quae desiderant in aeternum usque prospicere“. Quia Angeli non possunt satis laetari et admirari illam ineffabilem conjunctionem, et unitatem diversissimarum naturarum, quam non attingunt, neque adscendendo, neque descendendo. Si sursum oculos erigunt, *vident incomprehensibilem* Dei majestatem supra se.

Si infra respiciunt, vident Deum et divinam majestatem subjectam daemonibus et omni creaturae.

Ista sunt admiranda, videre hominem et infimam creaturam, humiliatam infra omnes, et eandem sedentem ad dexteram Patris, elatum supra omnes Angelos, videre eum in sinu Patris et mox subjectum Diabolo: sicut Psalmo 8. (v. 6.) dicitur: „Minuisti eum paulo minus ab Angelis". Item: „Delapsus ad inferiores partes terrae", Ephes. 4. (v. 9.). Haec est mirabilis adscensio et descensio Angelorum: videre in eadem et una persona summa et infima conjunctissima, summum Deum jacentem in praesepi. Ideo ibi adorant Angeli, laetantur, canunt: „Gloria in excelsis Deo". Et contra cum humilitatem humanae naturae considerant, descendunt, et canunt: „Et in terra pax".

Nos quoque cum in altera vita idem videbimus, longe aliter sentiemus et loquemur, quam nunc, quia jam talia sunt, quae nec Angeli comprehendunt, nec possunt satiari, imo semper desiderant prospicere in illam ineffabilem bonitatem, sapientiam, clementiam, misericordiam effusam in nos; quando, quae summa persona est, tremenda supra omnes creaturas in majestate, ea fit infima et contemtissima. Hoc mirabile spectaculum cernemus in illa vita, eritque perpetuum gaudium beatorum, sicut est Angelorum unicum desiderium et laetitia, quia vident Dominum omnium, qui idem et nihili, id est, infimus est.

Nos carnales et rudes non intelligimus, nec aestimamus magnitudinem harum rerum: vix lactis potum, non solidum cibum gustavimus de illa ineffabili conjunctione et consortio divinae et humanae naturae, quae est talis, ut non solum humanitas sit

assumta, sed talis humanitas morti, inferno obnoxia facta et subjecta; et tamen in ea humiliatione devoraverit Diabolum, infernum et omnia in semet ipso. Haec est communio idiomatum: Deus, qui creavit omnia, et est supra omnia, est summus et infimus, ut oporteat nos dicere: Ille homo, qui flagris caesus, qui sub morte, sub ira Dei, sub peccato et omni genere malorum, denique sub inferno est infimus, est summus Deus. Quare? Quia eadem est persona. Duplex quidem est natura, sed persona non est divisa. Utrunque igitur verum est: summa divinitas est infima creatura, serva facta omnium hominum, imo ipsi Diabolo subjecta. Et e contra: infima creatura, humanitas vel homo sedet ad dexteram Patris, summa facta, et subjicit sibi Angelos, non propter humanam naturam, sed mirabilem conjunctionem et unionem, quae constituta est ex duabus naturis contrariis et inconjungibilibus in una persona.

Hic est igitur articulus ille, quo offenditur totus mundus, ratio et Satan; sunt enim in eadem persona maxime contraria. Is, qui est summus, ut Angeli non capiant, non modo comprehenditur, sed ita comprehensus, ita finitus est, ut nihil magis sit finitum et conclusum: et e contra. Sed non comprehenditur, nisi in verbo illo tanquam uberibus, in quibus lac propositum et infusum est, quod fides apprehendit, nimirum: Credo in Filium Dei, Dominum nostrum, Iesum Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine (haec sunt ubera), passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, adscendit in coelum, sedens ad

dexteram Dei, Patris omnipotentis, subjectis sibi omnibus Angelis. Ibi est Deus et homo, summus et infimus, infinitus et finitus in una persona, evacuans et implens omnia.

Hic nimirum est adscensus et descensus Angelorum Dei et beatorum, qui in hoc intuentur, in hoc incumbunt, hoc praedicant, sicut videre est in die nativitatis. Descendunt, quasi nullus Deus sursum in coelo sit: veniunt ad Bethlehem: „Ecce, annuntio vobis gaudium magnum: natus est vobis Dominus". Et Hebr. 1. (v. 6.), cum introducit primogenitum in mundum, dicit: „Et adorent eum omnes Angeli Dei", nimirum jacentem jam in praesepi ad ubera matris adorant. Imo in cruce, descendentem ad inferos, subjectum peccato, inferno, portantem omnia peccata totius mundi adorant, et submittunt se perpetuo huic infimo. Sic igitur adscendunt Angeli, et vident Filium Dei ab aeterno genitum: et contra descendunt, cum vident eum in tempore ex Maria natum. Et sive adscendentes, sive descendentes adorant.

Ad hunc modum Christus hanc scalam exponit. Et hanc judico principalem et propriam interpretationem esse hujus loci. Et haec est illa ingens et inenarrabilis dignitas humani generis, quam nemo potest eloqui, quod Deus hac miranda conjunctione copulavit sibi humanam naturam. Ambrosius et inprimis Bernardus admodum delectantur hoc loco prae omnibus dulcissimo, et opere isto incarnationis, et quidem recte et pie. Nam talis delectatio erit gaudium supra omne gaudium, et beatitudo aeterna, cum illic vere intuebimur nostram carnem per

omnia similem nobis, et in summo pariter et infimo loco. Haec enim omnia fecit pro nobis: descendit ad inferos, et adscendit ad coelos. Hoc conspectu Angeli perpetuo fruuntur in coelis, et hoc illud est, quod ait Christus (Matth. 18, 10.): „Angeli eorum vident faciem Patris, qui in coelis est", assiduo intuentur divinitatem, et nunc descendunt de coelo, postquam homo factus est, et intuentur Christum, admirantur opus incarnationis, vident hominem factum, humiliatum, positum in gremio matris, et crucifixum et abjectum hominem adorant, et agnoscunt Filium Dei.

Bernardus valde dilexit incarnationem Christi, item Bonaventura, quos duos maxime laudo propter illum articulum, de quo tam libenter et praeclare cogitant, et magna laetitia et pietate in se ipsis exercent. Bernardus existimat, et satis pie imaginatur, Diabolum lapsum esse invidia illa, qua invidit hominibus tantam dignitatem, quod Deus futurus esset homo. Vidisse enim Satanam, cum esset bonus Angelus in facie Dei, futurum aliquando, ut divinitas descenderet, et apprehenderet hanc miserabilem et mortalem carnem, et non Angelos assumeret. Illa indignitate et invidia commotum fremuisse adversus Deum, ut coelo ejiceretur. Hae sunt cogitationes Bernardi non inutiles, quia fluunt ex admiratione immensi amoris et misericordiae divinae. Diabolus fuit formosissimus Angelus et praestantissima creatura; cum autem videret, ita praefinitum esse, ut Deus non assumeret Angelicam, sed humanam naturam, incensus est invidia, ira et indignatione contra *Deum, quod se*, qui esset pulcherrimus spiritus, non

vellet assumere, nec posset ipse particeps fieri divinitatis et tantae majestatis. Doluit, illam miseram massam carnis humanae sibi praeferendam esse, cum sibi melius conveniret, quam huic peccatrici carni obnoxiae morti et omnibus malis. Et quod maxime mirandum est, irrepsit opinio haec in Alcoranum, quocunque tandem auctore aut occasione. Videtur certe Diabolus ipse suggessisse auctori Alcorani, quod ideo daemones facti essent ex Angelis bonis, quia noluerint adorare Adam. Hoc suum peccatum non potuit celare Satan: ideo suo illi organo indidit ad invidiam movendam Deo. Et veram causam lapsus depravavit, quasi Angeli sint coacti adorare Adam, hoc est, creaturam, idque cum recusassent, praecipitatos esse ex coelo, et factos Angelos.

Haec fere congruunt cum imaginatione Bernardi, et suo ipsius indicio prodit Diabolus, in quo peccaverit. Voluit esse similis Deo, cum videret, aliquando ita se submissurum Deum, ut indueret hominem; putavit, sibi rectissime convenire hunc honorem. Sicut veteres illum locum, Isaiae 14. (v. 13.) intelligunt, et ad hunc lapsum et peccatum Diaboli referunt: „Qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum". Vere enim tunc factus esset similis Deo, si Deus assumsisset ipsum in unitatem personae, sicut hominem assumsit, quia nunc assumta humanitas, facit hunc hominem Filium Dei, quia est una persona. Hic homo natus ex Maria virgine est ipse Deus, qui creavit coelum et terram. Eadem gloria fuisset ornatus Angelus, si Filius Dei esset inangelatus, ut ita dicam, et suscepisset formosissimum illum spiritum;

sic enim dictum esset: Lucifer ille est verus Deus, creator coeli et terrae.

Hoc videtur ambiisse, inquit Bernardus. Sed cum repulsus esset, magno odio, ira et invidia exarsit adversus Deum, quod sic honoraret humanam naturam cum divina, et ipse cogeretur adorare humanam naturam in divinitate. Hinc illud odium et furor Diaboli et mundi, quo insidiatur et molitur exitium naturae nostrae, quibuscunque potest telis et machinis, quia est summa immanitas odii adversus semen mulieris, Filium Dei: umb den ist's zu thun. Estque antiquum et inveteratum odium, conceptum in coelo et radicatum, ita ut in aeternum non queat exstirpari. Est igitur scala admirabilis conjunctio divinitatis cum carne nostra, ubi adscendunt et descendunt Angeli; et non possunt satis admirari in aeternum. Hic est historicus, simplex et literalis sensus.

Postea alia conjunctio est nostra et Christi, sicut Ioannes pulcherrime conjungit (14, 10.): „Ego in Patre, et Pater in me“; hoc prius est: posterius: „Vos in me, et ego in vobis“. Haec est allegorica scala. Allegoria autem debet alere fidem, non docere de rebus nostris, aut operibus nostris. Nos ergo per fidem rapimur, et efficimur una caro cum ipso, sicut inquit Christus, Ioan. 17. (v.21.): „Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint“. Ita in ipsum adscendimus, et rapimur per verbum et Spiritum sanctum, et ipsi adhaeremus per fidem unum exsistentes corpus cum eo, et ipse nobiscum. Ipse caput, nos membra. Rursum ipse descendit ad nos per verbum et

sacramenta docendo et exercendo nos in sui cognitione. Prima igitur conjunctio est Patris et Filii in divinitate: altera divinitatis et humanitatis in Christo: tertia ecclesiae et Christi.

Haec est vera sententia, quam odit Diabolus, et fortasse praevidit in coelo. Ideo non cessat pugnare contra scalam et hunc adscensum et descensum, ut ab eo nos abstrahat. Id molitur per omnes sectas et haereses, ut avocet homines a cognitione Christi, ab ejus divinitate et humanitate, utque distrahat totam ecclesiam et membra a Christo. Voluit igitur Deus huic sanctissimo viro obscure significare hoc grande sacramentum incarnationis Filii Dei: non tantum pro ipsius consolatione, ut in tantis miseriis et ingenti tribulatione haberet respiraculum fidei suae, sed ut esset prophetia in futurum pro omnibus posteris, quia, quae Moses scripsit de Patriarchis, non propter illos praecipue scripsit, quibus neutiquam opus fuit his scriptis, et jam mortui sunt, et collecti ad suos patres; sed ut erudiantur et confirmentur ecclesiae usque ad finem mundi. Neque enim satis diligenter agitare et docere, nec ulla meditatione assequi illam ingentem miserationem et dignitatem nostram possumus, qua dignatus est Pater coelestis mittere Filium suum in carnem: imo ne Angeli quidem satiari possunt, ut dictum est, adscendendo et videndo in coelo Filium Dei, et rursum descendendo, ubi vident jacentem in praesepi, crucifixum, mortuum, descendentem ad ima Tartara, iterum vero exaltatum ex inferis, sedentem ad dexteram Patris.

Breviter hoc discendum est, Deum et hominem esse unam personam. Qui credit hunc articulum, jam novit, omnia esse comprehensa et abscondita in illa

persona. Sicut ait Paulus, Col. 2. (v. 3. 9.): „In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Et in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter". Huic vero cognitioni et dignitati nostrae quod invidit et adhuc irascitur Satan, non est mirum. Est enim superbissimus spiritus, qui non potest in illam humilitatem respicere, ut boni Angeli, sed perpetuo in coelum suspicit, et vult esse similis altissimo. Ideo etiam tam horribiliter lapsus est.

Porro quae sunt in concione ista, supra saepe tractata sunt, et confirmantur subinde in sequentibus. Primum est, quod Deus plurali numero appellatur, quia אֱלֹהִים dicitur. Deinde quod Deus non sit mortuorum, sed vivorum Deus. Isti tres Patriarchae, Abraham, Isaac, Iacob etiam mortui vivunt: ergo et nos mortui vivemus, si quidem habemus eundem Deum. Haec semper repetuntur et confirmantur.

Postremo terra Canaan tertio Patriarchae promittitur, cum tamen ne passum quidem pedis tenuerint in ea, Act. 7. (v. 5.). Sed promissione accipiebant et sperabant aliam terram. Et intelligebant, Deum loquentem Abrahae et aliis Patribus sub istis promissionibus corporalibus promittere etiam mortuis, qui non solum hanc terram habituri erant, sed etiam futuram patriam in fide. De semine dicit: Erit quasi populus *) terrae. Supra ad Isaac stellis coeli comparavit, item arenae maris, hic pulverem terrae nominat, de quibus supra etc.

*) *Lege* pulvis.

Et tu dispergeris usque ad mare occidentale et ad orientem, ad septentrionem et meridiem. Et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae. Et ecce, ego tecum sum, et custodiam te, quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc: neque deseram te, donec fecero, quae loquutus sum ad te.

Hic novum vocabulum ponitur, quod antea non est usurpatum in promissione ista, פָּרַצְתָּ. Infra 38. (v. 29.) etiam utitur eo Moses, quando nascitur Parez, filius Iuda, et ait obstetrix: „Quare פָּרַצְתָּ rupta est propter te maceria“? Et 2 Regum 5. (2 Sam. 5, 20.): Cum profligasset David Philistaeos, inquit: „Divisit Deus inter me et hostes meos, et vocavit nomen loci illius בַּעַל־פְּרָצִים. Inde פָּרִיץ latro, grassator, Psalmo 17. (v. 4.). Et inde orta est appellatio aviculae: פְּרִיץ ein Maisen, quia est crudelis avis. Mirabilis igitur significatio est hujus verbi: divideris, erumpes, grassaberis in omnes quatuor partes orbis terrarum. Hoc jam aliud est et plenius, quam quod supra dixit: „Dabo tibi hanc terram“. Neque tu solus grassaberis, sed tu et semen tuum grassabimini et irrumpetis, vel erumpetis ex isto angulo in omnes quatuor partes terrae. Contrario autem modo eas enumerat. Primum nominat occidentem; hoc enim significat mare: deinde orientem, postremo loco meridiem. Ibi significatur non solum possessio terrae Canaan et futurae benedictionis ex promissione, sed quod Iacob regnaturus sit in quatuor partibus mundi; et hoc exponet postea.

Inserit autem insigne membrum: „Benedicentur in te omnes familiae terrae“. Non solum possidebis terram, in qua dormis, sed erumpes ita, ut sine ulla resistentia procedat, et per vim dispergatur semen benedictum in totum orbem terrarum. Sic valde familiariter loquitur Deus cum Iacob, quasi diceret: Serpens conabitur sese opponere, et resistere huic benedictioni. Et non unam tantum partem oppugnabit in terra Canaan, quae occupabit regnum et benedictionem corporalem, sed etiam huic parti adversabitur, quae dilatabitur per orbem terrarum in omnes quatuor partes. Ibi summis viribus impugnabit spiritualem benedictionem: non cessabit, quia non est finis inimicitiae illius, de qua supra in prima promissione dictum est. At vero miserrima illa turba, quae habet benedictionem spiritualem, est infirma et afflicta, „est exiguus et pusillus grex“, ut inquit Christus, Lucae 12. (v. 32.), abjectus, contemtus, non dignus, qui censeatur pro ecclesia, imo pro aliquo populo, multo minus pro Dei populo. Quid illa exigua turba? cogitabit Diabolus. Ego devorabo eos in ictu oculi. Sed sine modo rapiat, laceret, persequatur, resistat, impediat (dicit Dominus, et vicissim opponit verbum grassandi): ego contra grassabor. Ero פָּרִיץ contra פָּרִיץ.

Ad hunc modum consolatur Deus Iacob, et in eo universam ecclesiam, ut certus sit de posteritate. Quantumvis enim dominetur Esau, abjecto et ejecto Iacob in exsilium, et sit sane rex et sacerdos interim, adeo ut videantur omnia desperationis plena, et nihil minus verisimile sit, quam quod Iacob sit futurus haeres et gubernator in domo aut ecclesia, *tamen parum* id refert: esto fortis et perdura. Non

solum enim haeres eris in domo, et benedictio Abrahae et possessio hujus terrae tibi attribuetur, sed et hoc affirmo, te fore Patriarcham totius orbis terrarum, et patrem seminis benedicti, per quem omnes gentes benedicentur. Et tum quidem hoc perficiam, quando ego grassabor contra grassatorem.

Significat igitur Deus, se velle per fortitudinem Dei et Spiritus sancti adversus omnem sapientiam et potentiam principis mundi perrumpere. Idque sic impletum esse scimus, et etiamnum impleri experimur. Horribili furore semper grassatus est Diabolus contra populum Dei a tempore Iudicum, Regum et Apostolorum usque in finem mundi, adeo ut nihil atrocius et crudelius cogitari possit isto principe mundi, et deo hujus saeculi. Sed ego vicissim ero פָּרִיץ, vicissim perrumpam et grassabor, inquit Deus, ut sentiat in isto פָּרִיץ vim et potentiam insuperabilem. Idque sua virtute efficit Deus, nulla nostra sapientia, nulla potentia. Quicquid enim in nobis est, infirmum est et nihili, sed tamen in illa, ut ita dicam, nullitate et nihilitudine Deus ostendit suam virtutem, juxta illud: „Virtus mea in infirmitate tua perficitur" (2 Cor. 12, 9.). Quando putabitis, vos esse absorptos et perditos, perrumpam ego et efficiam, ut surgatis et regnetis. Perinde ac Christus cum esset mortuus et infirmissimus, erat fortissimus: quia in ista infirmitate condemnavit mundum et principem mundi cum omni sua potentia et sapientia.

Hoc igitur verbum diligenter notandum est. Et Moses haud dubie bene intellexit, et plurimum eo delectatus est. Patriarchae item accurate inspexerunt emphatica ista et illustria ac significantia verba. Po-

tuisset uti simpliciore, sicut antea simpliciter dixit: „dilataberis". Sed maluit uti pleniore, militari et castrensi verbo. Et divus Paulus huc respexit, cum ait, 2 Cor. 10. (v. 4.): „Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum" etc. Et omnes ministri verbi, milites et duces dicuntur. Et Deus ipse in scriptura appellatur Deus exercituum, militum, pugnatorum, פְּרִיצִים. Et tamen sine vi carnis, sine virtute, sine sapientia humana, sed virtute Spiritus sancti, in summa infirmitate, humilitate, modestia.

Sed quis erit eventus hujus pugnae? „Et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae". Non erit carnalis aliqua tyrannis: non sic grassabor, ut noceam, ut perdam homines, quod potentes in mundo faciunt, qui tyrannide grassantur per gladium et furorem, tantum ut alii aliis dominentur, et crudelitatem in inferiores exerceant. Sed mea grassatio, mea virtus, mea victoria debet esse salutaris, benedicta, vivifica, benigna, misericors, quae non noceat aut malefaciat hominibus, sed omnibus benedicat, omnes salvet et liberet a peccato, a morte et Diabolo. Et per illam grassationem destruam tyrannidem et grassationem Diaboli, quae victoria toti orbi terrarum proderit per tuum semen. Sic igitur declarat Deus istam eruptionem per haec verba: „In te benedicentur".

Supra autem dixit: omnes gentes; hic familias dicit, quae vox minus late patet, quam gentis appellatio, quia unaquaeque gens habet multas familias. Illa igitur benedictio propagabitur non tantum ad gentes in genere, sed etiam ad familias inter gentes, *in specie*: non quod omnes de omni familia

bene-

benedictionem accipiant, sed aliqui de omnibus familiis eam amplectentur. Itaque hoc loco benedictio clarior et expressior est, et plenioribus et magis significantibus verbis expressa. Non ponitur hic verbum in quarta conjugatione: benedicent sese, sed simpliciter passivum: benedicentur. Illud, quo supra usus est, fortius est: et tamen, cum hic dicit: Benedicentur, satis expressit, quod erupturus esset in quatuor partes mundi. Significat enim benedicentur, idem, quod praedicationem audient. Differunt autem audire praedicationem, et credere ac recipere auditam, sicut illud superius verbum non tantum praedicationem auditam designat, sed etiam eos, qui recipiunt auditam. Quemadmodum Psalm. 34. (v. 3.) dicitur: „In Domino laudabitur anima mea", id est: Non solum laudor in Domino, sed transitive: Ego anima laudata animor, vel anima mea audiens benedictionis praedicationem gloriatur, admittit et accipit illam benedictionem.

Significat igitur, benedictionem illam invulgandam esse, quae venit ex ipso Iacob: quia non potest praedicari evangelium de salvatore Christo, quin illud quoque addatur, quod natus sit ex Abraham, ex Iacob. Oportet enim nos habere certam demonstrationem, quod fuerit verissimus filius hominis, naturalis homo, et non spectrum, non phantasma, ut Manichaeus delirabat. Ideo habemus ejus majores, qui fuerunt veri homines. Nec potest nominari sine his Patribus, sine Abraham, Isaac, Iacob, Adam, ut habeat certam progeniem, verum patrem, veram matrem, et certum sit, esse eum de semine humano, non Angelos, non ullam aliam creaturam, sed humanam naturam induisse. Ideo certus locus nativita-

tis Christi definitus est Patribus et Prophetis, certae personae nominatae sunt, ex quibus debeat descendere, ut non possimus dubitare, ipsum verissime esse carnem et sanguinem nostrum, os ex ossibus nostris. Itaque cum ipse praedicatur et laudatur, simul parentes nominantur, ex quibus carnem assumsit. Et nos quoque simul comprehendimur, propter quos factus est semen Abrahae, Isaac, Iacob, non semen Angelorum. Ideo tam diligenter hoc inculcat et toties repetit: In semine tuo, quasi diceret: Certo scias, quod sis habiturus posteros. Iam es solitarius sine uxore, sine liberis, es extorris: sed postea habebis filios filiorum, et illum filium, qui faciet filios Dei.

Magnifica igitur haec promissio est, non tantum vitae praesentis: quamvis hanc quoque complectitur; sed etiam futurae; quia, si debet implere quatuor partes orbis, nequaquam debet esse mortuus, aut si moritur, oportebit eum resuscitari. Est igitur ingens promissio et ardua, atque major omnino, quam Iacob potuerit comprehendere. Sicut nec nos magnitudinem ejus animis complecti possumus, quia cor humanum est angustius, quam ut possit assequi et apprehendere. Et ego arbitror, Patriarcham Iacob, postquam experrectus est ex somno, cogitantem de hac promissione, ita perfusum esse gaudio et laetitia, ut extra sese raptus sit totus attonitus et ekstaticus.

Transferenda autem haec sunt ad nostrum usum, ut magnitudinem gratiae Dei, quae per evangelium nobis patefacta et donata est, agnoscamus. Absolvimur enim per verbum, et dicitur nobis auctoritate *Christi: Baptiso* te, porrigo tibi corpus et sangui-

nem Christi, et animam tuam per vim grassando rapio ex potestate Diaboli, libero te ex aeterna morte et damnatione, ac constituo te filium Dei, et haeredem vitae aeternae. Haec verba, quae Deus nobiscum loquitur, tam grandia, aeterna et infinita sunt, ut non possimus capere, quia natura mea infirmior est, quam ut possit sustinere. Et ea infirmitate retrahimur et impedimur, ut non sentiamus tantum gaudii et laetitiae, quantum revera verba illa et promissiones divinae afferunt. Si enim ita possem apprehendere, sicut cupio et opto, nihil mirum esset, si prae gaudio subito exstinguerer. Cogita enim, quanta res sit, verbo hominis, impositione manuum annuntiari et conferri regnum Dei et victoriam adversus Diabolum, peccatum, mortem, constitui in coetum Angelorum et in possessionem coelestium atque aeternorum bonorum. Sed quotusquisque est, qui haec pro eo, ac debet, credit? Multo minus vero comprehendimus, sed tantum apprehendimus utcunque. Et tamen verissima sunt. Ac profecto in hac fide moriendum est nobis: aut excidemus salute nostra, et ne unico quidem momento contra Diabolum salvi et incolumes persistemus, quia horribiliter furit, cum audit, haec ita doceri, et persequitur eos, qui praedicant, aut doctrinam audiunt et amplectuntur.

Nos vero gratis animis et cum laetitia audiamus, et credamus saltem infirmiter. Modo non impugnemus, blasphememus, persequamur, abjiciamus aut abnegemus. Quod non firmiter et perfecte comprehendimus, in causa est miseria carnis nostrae, et angustia cordis, quod non potest capere illam incomprehensibilem *gloriam*. Sicut Paulus, 2 Cor. 9. (v.

15.) loquitur: „Gratias ago Deo super inenarrabili dono ejus". Laboramus tamen et adnitimur, ut tandem comprehendamus, sicut comprehensi sumus. Ac sane infirma, fide quantum, possumus apprehensum tenemus: et illa consolatione nobis acquiescendum est, quod jubet Deus infirmum in fide suscipi. Lex enim membrorum in nobis repugnat, militat et captivat me, non permittit, ut apprehendam firmius tot et tanta bona. Deus enim promittit et donat thesaurum inenarrabilem, remissionem peccatorum, vitam aeternam, gratiam Dei, haereditatem coelestium bonorum, victoriam et potestatem conculcandi Diabolum. Ego igitur miserrimus homuncio et vermis debeo pugnare contra tot Angelos, adversus principes et potestates, adversus rectores tenebrarum, et quidem sine gladio carnis, sine viribus, sine sapientia, sine virtute. At quomodo? Crede in semen Abrahae, Filium Dei. Ista fides est victoria nostra, quae vincit mundum, et superat Diabolum, et destruit portas inferorum: sed est adhuc tenuis apprehensio et exigua scintilla fidei. Ideo in illa tenui apprehensione nondum apparet, quanta res sit, quam credimus. Dominus det, ut in fide perduremus in finem.

Haec itaque duplex promissio est de semine Iacob, in quo benedicendae sint omnes gentes, id est de Christo, quam in promissionem temporalem tanquam viliorem includit, sicut puer panniculis involvitur, gemma auro inseritur aut thesaurus pretiosus vase testaceo continetur. Temporalis benedictio satis magna et ampla est; sed illa est major de grassatione in orbem terrarum. Repetit autem temporalem, et colligat fasciculum promissione hac temporali *de posteritate*. Sic enim ait: „Et ecce ego te-

cum sum" etc. Habes aeternam promissionem et temporalem de posteritate. Iam hoc tertium addam: Ero in hac profectione et exsilio tecum quoad tuam personam, et te ipsum etiam defendam; ut enim ista impleantur, quae promisi, oportet te vivere et defendi. Insidiatur tibi frater Esau, Diabolus te dormientem et vigilantem odit; sed volo tecum ambulare, et ero tuus comes. O optandum et fortem comitem! Ego non solum tecum vadam, ut te deducam, sed ero murus tuus, protector tuus, pugnabo pro te, qui sum futurus filius tuus ex semine tuo, per quem omnes familiae terrae benedicentur. Tecum ero, protegam et tuebor te.

Haec sane ingens consolatio est, quam tenet et credit Iacob, sed satis infirma fide, sicut infra audiemus, cum exercebitur gravissimis tentationibus, et plane contraria specie ab aliis, quae promisit Deus. Cogetur enim pati et ferre injurias et vexationes a Laban XX annos. Num hoc est custodire dies et noctes? Servavit tamen Deus promissionem, et respondit tandem eventus: quanquam secundum carnem diversum fieri videretur.

Est igitur insignis promissio, et, ut antea dixi, accurate consideranda, quia haec pars praecipue in legendis Patrum observanda est, ubi audiunt Deum loquentem. Nostra enim vita consistit in sanctitate interna, quae est verbum vel benedictio nobis applicata: non consistit, sicut ex adversariis etiam optimi contendunt, in nostris operibus. Quanquam non negamus, esse bene operandum, macerandum corpus, resistendum concupiscentiis carnis. Et mundus sane capitur ista hypocrisi et speciebus operum, ut

verbum Dei ex oculis removeant. Non potest enim humana stultitia distinguere inter verbum Dei et opus nostrum, quae tamen facilis distinctio est et valde necessaria, hypocritis autem difficilis et impossibilis non intellectu, sed apprehensione.

Nostri adversarii clamitant, opus esse aliqua formali justitia operum. Hoc admiratur mundus. Sed estne id satis? Etiamsi sanctissimum virum mihi praedices: sunt sane magna et laudabilia opera sanctorum, et fatemur, necessariam esse dilectionem, abstinendum esse a concupiscentiis malis, mortificandam esse carnem etc.; sed ista non facitis, inquiunt. Atqui si omnia haec faceremus, num ideo essemus justi? Et quare tu ista tantopere extollis et admiraris? Nimirum ut opprimas illam alteram sanctitatem divinam. Concedimus sane justitiam operum, sed ita, ut ea non praeferatur priori, et ut distinguatur inter pretiosum et vile, inter majus et minus, quae distinctio necessaria est cum in tota vita, tum vero in hac doctrina: imo bruta animantia intelligunt discrimen inter pabula. Canis intelligit, carnem meliorem esse pane. Sit igitur aliquid sanctitas operum, et sit necessaria, sed nolumus *), super eam efferri et praeferri sanctitatem verbi, id est promissionis, quod vivimus coram Deo non formali et intrinseca sanctitate, sed verbi et fidei sanctitate.

Fiat igitur distinctio legitima: aliam esse sanctitatem operis, aliam verbi vel fidei. Haec est victrix Diaboli, et constituit me filium Dei, quod non fit sanctitate carnis vel operum, etiam decalogi, in quo ne comprehendimus quidem illam; tantum enim initia quaedam habemus de ea. Haec igitur sit prima

*) *Lege: volumus.*

et principalis praedicatio, quae non est extenuanda: sicut adversarii operum sanctitatem insidiose urgent, ut obscurent sanctitatem verbi vel fidei. Laudamus Patriarcharum virtutes, modestiam, patientiam, humilitatem, castitatem, caritatem, peregrinationes cum obedientia Dei susceptas, et alia officia pietatis docemus et imitamur. Sed tamen hoc longe praeferamus, ubi Deus cum ipsis loquitur. Audire verbum Dei promittentis et benedicentis longe aliud est, quam audire praeceptum, quo juberis aliquid facere aut pati.

Id satis perspicuum et manifestum est, differre verbum promittentis et praeceptum jubentis aliquid facere. Ergo et legendae sanctorum et tota vita distinguatur in haec duo, in verbum Dei, et opus nostrum. Illud Dei solius est, hoc nostrum est, videlicet caritas, patientia, maceratio et crucifixio carnis. Haec est vita, sed operum, quae non apprehendit sanctitatem verbi, quae est vitae anima: ideo necessario praecedit, quia est verbum et promissio Dei benedicentis, promittentis, recipientis nos in gratiam, remittentis peccata. Id nimirum debet praecedere: Remittuntur tibi peccata; ego sum Deus tuus, noli timere Diabolum; ego tecum sum, custodiam te, non deseram te. Post remissionem autem peccatorum sequitur: Tolle crabbatum, et vade in domum tuam. Praecedit: Confide, fili, hoc est, primum agnosce me propitium, placatum, faventem, absolventem. Prius meum beneficium accipias, ut libereris a peccato et a morte: postea sanatus tolle crabbatum, et ambula, doce, fac opera. Ita Iacob confirmatus primum fide de gratia et benedictione postea ambulat, ope-

ratur et patitur, sicut sequitur: „Evigilavit de somno, et dixit" etc.

Hactenus igitur audivimus magnificam istam promissionem datam Patriarchae Iacob non solum de benedictione posteritatis et de Christo, sed etiam de praesenti gubernatione et defensione in exsilio, ut certus sit de vita, de victu, de reditu et victoria omnium passionum et tribulationum futurarum. Quia infra videbimus, ingentibus malis conflictatum esse, antequam haec implerentur. Et tamen per illa genera omnia mortis et infinitorum malorum debet reduci, et manere benedictus et haeres posteritatis et haereditatis futurae. Memorabilia igitur inprimis haec exempla sunt, quia non solum ostendunt, Deum locutum cum Patribus, sed testantur etiam, quod Deus loquens non mentiatur, tametsi omnia in contrarium ferri et fieri videantur, mundus furere, caro, adversarii, Diabolus grassari cum omnibus portis inferorum. Ipse enim dixit, et facta sunt. Sed difficile est perrumpere nobis credentibus, quia totus furor Satanae in hoc unum incumbit, ut nos separet a verbo, ut defatigati et fracti vel multitudine, vel diuturnitate tribulationum deseramus et abjiciamus verbum. Conjunguntur igitur haec duo, omnipotentia verbi et infirmitas, sive, ut ita dicam, inomnipotentia cordis humani, quod tam diu debet sustinere, ferre, durare, donec impleatur verbum.

Sic Bernardus de fide virginis Mariae loquitur, cum esset ipsi annuntiatum ab Angelo, quod futura esset mater Christi, non fuisse minus miraculum virtutem illam fidei in virgine, quae potuerit credere verbis Angeli, quam ipsam incarnationem verbi. Proinde res maximae sunt in historiis sanctorum verba,

quae Deus loquitur cum sanctis. Sunt quidem virtutes et facta eorum celebranda, et ea quoque requirit Deus; sed infimo loco collocentur, tanquam pedes, caput vero in vita sanctorum est ipsum eloquium divinum. Quod autem omnia in contrarium cedunt, sicut apparet, ab iis, quae promittit Deus in verbo, id fit potentia Diaboli et infirmitate nostrae carnis, quae dubitat de perpetuitate et veritate verbi promissi. Sicut infra videbimus, magno impetu impugnari istas potentissimas et opulentissimas promissiones: „Tecum ero, custodiam te" etc.

Nos, qui non versamur in iisdem periculis et difficultatibus, quibus Iacob conflictatus fuit, legimus ista oscitanter et obiter, cogitamus, esse facilia et levia; sed si ipsius loco essemus, aliter sentiremus. Qui enim credimus Deo promittenti, et sumus redemti Christi sanguine, videmus, omnia fieri apud Christianos per modum desperationis et impossibilitatis: ita ut oporteat hominem simpliciter mortificari cum carne, cumque universa sapientia et ratione, et ex solo verbo pendere: sicut videre est in sanctis Patriarchis. Qui non praefert verbum suis consiliis, imo suae ipsius vitae, ille valeat, et fiat gentilis et Epicureus. Nunquam enim fructificabit nec sibi, nec aliis, quia vult gubernare res impossibiles et incomprehensibiles sua sapientia et consilio. Ideo actum est de eo. Non fluent igitur omnia ad nostram voluntatem et praescriptum. Id simpliciter discendum et statuendum est.

Sic nos quando absolvimur a peccatis, habemus verbum, quod est fundatum et firmum in promissionibus Dei. Sed an non patimur contraria, et sustinemus certamina maxima contra Diabolum, mortem,

infernum et nostrum sensum? Atque id quidem vehementer dolet carni: tamen Deus interim fideliter implet promissa iis, qui credunt, et per patientiam exspectant. Sicut dicitur in epistola ad Hebraeos (11, 33.): „Per fidem sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones". Sic Patriarchae Iacob fuit inprimis necessaria consolatio, cum in exsilio isto, tum infra, cum a Laban graviter affligitur: quam tamen non sine ingenti certamine retinere potuit, licet clare et certo promittat Deus: Non deseram te, donec fecero, quae loquutus sum ad te. Sicut discipuli Christi verborum et omnis consolationis tempore passionis prorsus obliviscuntur. Prolixe ipsis fuerat concionatus, sicut tribus capitibus illa concio describitur, cum inquit (Ioh. 16, 1.): „Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, non scandalisemini". Sed quid profecissent tam insignes consolationes et exhortationes, tum apparebat, cum crucifigeretur. Ibi nihil prorsus eorum recordabantur, quae audierant et viderant Christum dicentem et operantem. Haec autem ideo nobis proponuntur, ut discamus, quanta res sit fides, quod non sit frigida et otiosa qualitas, sicut somniant Papistae.

Evigilavit autem Iacob de somno suo, et ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.

Fuit haec apparitio vel visio non vigilantis, quales pleraeque apparitiones sanctorum sunt: sicut supra apparuit Dominus Abrahae in Mamre per Angelos. Hae sunt apparitiones vigilantium, et certiores sunt, quam illae, quae in somniis exhibentur. Et tamen, nisi hae quoque habeant suas analogias aut

motus cordium et fidem, non sunt verae. De somniis autem non facile possum disputare, quia sunt communia impiis et piis. Sicut et ethnicorum historiis describuntur somnia Iulii Caesaris, Galbae, Bruti, Cassii et aliorum, quibus sic oblata sunt somnia, ut sequeretur veritas et res ipsa: neque tantum eventus responderet, sed etiam intelligerent somnia, postquam evigilassent. Et similia his sunt somnia Pharaonis et Nabuchodonosoris, quae in sacris historiis exstant.

Sic igitur distinguemus inter somnia: Quaedam sunt politica vel privata, hoc est privatarum vel publicarum rerum somnia. Haec habent suum genus et suas species; ideo in suum ordinem referenda sunt. Neque de iis hoc loco dicemus. Quaedam somnia sunt, de quibus scriptura sancta loquitur, pertinentia ad res ecclesiasticas et aeternas. Haec vera somnia sunt, de quibus hic dicendum est.

Pharaonis somnium pertinebat ad annos sterilitatis et fertilitatis; est igitur politicum et privatum. Sic et Nebucadnezaris somnium corporale erat, pertinens ad regnum illud. Talia multa sunt, quae dispergit Deus inter gentes, sicut alia dona multa, iuxta illud, Act. 14. (v. 17.): „Benefaciens de coelo nobis, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra“. Ita dispersit regna et coronas inter pios pariter et impios. Observandum tamen est in universum de politicis somniis, quod ea quoque debeant habere analogiam cum re praesenti, et tantam etiam impressionem, ut somnians permoveatur et concitetur: non sint somnia melancholica, nihil ad rem pertinentia, de quibus dicitur, Ecclesiastic. 34. (v. 4.): „Ab immundo quid mundabitur,

et a mendace quid verum dicetur"? Ibi vocantur omnia somnia immunda, quibus qui credit, fallitur. Et exstat vox Catonis: Somnia ne cures. (Cat. Dist. L. 2.)

Semper autem disputatum est de somniis, sitne eis credendum, an non? Falsi Prophetae solent somnia sua praedicare. Ideo saepe prohibet Deus, ne credatur eis; si enim non habet suam analogiam somnium, polluitur is, qui credit, et somnium vanum est. Nihilominus tamen constat, immitti somnia etiam profanis hominibus, quae sunt vera, et habent congruentes significationes. De his certas regulas tradiderunt. Primum non sint vagae et evanidae imagines sive cogitationes, sed habeant analogiam ad rem praesentem. Deinde ita moveant animum, ut somnians angatur et turbetur. Sicut inquit Daniel (2, 29.) ad Nabuchodonosor: „Tu rex cogitare coepisti in statu tuo, quid esset futurum post haec" etc. Significat, regem fuisse anxium et sollicitum in somnis de regno et futuro statu post se. Oportet igitur adesse sollicitudinem quandam: deinde maximam commotionem, vel impressionem, qua is, qui somniat, commovetur et afficitur. Sed haec non disputo. Ea enim somnia nobis consideranda sunt, de quibus Moses loquitur, cum quidem alias damnet somnia. Sic enim ait Dominus ad Aaron (Num. 12, 6—8.): „Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei", hoc est: Si quis praeest gubernationi rerum ecclesiasticarum, ei loquar per sermonem, vel visionem, vel somnium. Ad Mosen autem dicit se loqui longe *alia et sublimiore* ratione: non per sermonem con-

cionatoris sive discipuli Prophetarum, nec per visionem, sive imagines, neque per somnium, sed „ore ad os, inquit, loquor ei". Ibi tamen approbat Deus suas revelationes: primum verbalem, deinde visionem, qualis Isaiae 6. (v. 1.) describitur, tertio somnium. Has tres species probat Deus, sed in Prophetis, hoc est, iis, qui funguntur officio ecclesiastico, et praesertim si somnia ad verbum pertinent, et cum verbo congruunt. Ibi observandum est, an commoveant somniantem, an habeant suam analogiam, et non pugnent cum verbo. Ac perinde valet, ac si verbum ipsum sive per visionem, sive per vocem vigilantium offeratur. Quemadmodum Iacob habet verbum et rem certam. Accepit enim benedictionem, et est divinitus vocatus ad Patriarchatum: est constitutus Episcopus, dominus et gubernator ecclesiae et domus verbo divino, per benedictionem patris Isaac. Hoc fundamento posito inspiciatur somnium, congruatne cum fundamento, an non. Videatur, utrum sit stipula, an aurum, quod superstruitur fundamento, sicut loquitur Paulus, 1 Corinth. 3. (v. 12.).

Ad eundem modum in politica functione fundamentum est positum: quanquam ethnici verbum non habent, tamen rem habent et vocationem, qua ad gubernationem et imperium in bello et pace ordinati sunt. Si jam imperatori aut duci ethnico offertur somnium, quod habet analogiam, hoc est, consentit cum re ipsa et cogitationibus suis, id neutiquam inane duci debet. Multo magis igitur somnium Iacob pro vero et significante habendum est, quia praecessit institutio et manifesta vocatio divina ad Pontificatum et primogenituram, et fundamentum verum est pro-

missio. Angitur autem de futura consummatione totius structurae super fundamentum, si quidem occurrunt multae adversitates, ut appareat, totum aedificium ruiturum; ibi animus fluctuare et dubitare incipit de successu et impletione promissionis. Ideo adest Deus, et immittit clarissimum somnium, quod consentit cum re, quodque habet analogiam cum fundamento. Accedit praeterea commotio, sicut dicit textus: „Timuit“, id est, ad reverentiam fuit impulsus, cum videret congruentiam somnii cum fundamento.

Haec vera et significantia somnia sunt, quae nunquam abeunt sine effectu, sicut nec verbum ipsum. Et ferunt secum fundamentum verum, et motum cordis, qui concordat cum fundamento: et accedit simul fides cum utroque congruens. Sin autem inania somnia sunt, qualia jactant falsi Prophetae, respiciendum erit ad analogiam, an vere fuerit perculsum et commotum cor tuum, quanquam id quoque possit Satan efficere: tamen cum verbo conferes. Si aliter somniaveris, quam verbum ipsum sonat, memineris, esse fallax et vanum. Hoc vero somnium Iacob pulcherrime concordat cum voce divina, quam audit coelitus demitti: „Ego Dominus“ etc. Errant igitur impii in interpretandis et accipiendis somniis, sicut etiam in expositione signorum ac prodigiorum hallucinantur, quia non observant, nec habent verbum. Quemadmodum Monasteriensibus Anabaptistis accidit, qui viderant arcum in nubibus, et juxta eum manum cruentatam. Id pro se arripiebant tanquam signum victoriae, cum tamen ipsis minaretur exitium, sicut exitus ostendit. Errabant autem in inter-

pretando, quia non attendebant fundamentum nec vocationem. Non enim habebant verbum nec potestatem gladii, si quidem non gerebant magistratum ordinatione et vocatione divina. Si tale aliquid exhibitum esset vel ostento vel somnio in regno Alexandri aut Iulii Caesaris, facilior fuisset interpretatio, propterea quod habebant verbum et ordinationem Dei. Proinde etiam politica somnia, quae vaga et extra fundamentum sunt, hoc est, quando persona non est publica, aut in magistratu, et quando non accedit commotio et analogia, sunt irrita.

Sed ecclesiastica certiora sunt: quae habent verbum, habent verum fundamentum et analogiam, sicut Christianus hoc potissimum nititur, quod est baptisatus: cum hoc fundamento si congruit somnium, pertinens ad confirmationem piorum et terrorem impiorum, id tuto amplecti poterit. Sic enim Iacob confirmatur somnio, quod habet analogiam benedictionis suae. Scit, se benedictum esse, et futurum sibi Deum patrem et protectorem, juxta verbum promissionis; sed quia angitur et trepidat cor ipsius metu insidiarum et mortis, ideo in tanta moestitia apparet ei Dominus, et loquitur ei per somnium, quod concordat cum re, et veram analogiam habet, quia loquitur cum eo idem Dominus, et eadem loquitur, quae antea in benedictione audiverat. Idem Dominus est, idem verbum, quod in domo patris audivit.

Sed multo magnificentius colloquium est, quam quod habuit cum patre. Experrectus igitur e somno miratur ét dicit: Putabam, Dominum tantum esse in domo patris. Ideo in ecclesia patris audivi hactenus verbum Dei. Verum et hoc loco invenio Deum; idem enim Dominus, quem praedicari audivi in domo pa-

tris, hic mihi loquitur. Imo hoc colloquium longe est excellentius, adeo ut hic potius, quam in domo patris, videatur esse domus Dei. Et tamen locus iste est in medio inimicorum. Discit igitur Iacob, ecclesiam Dei esse etiam in medio inimicorum, sicut dicitur Psalm. 110. (v. 2.): „Dominare in medio inimicorum tuorum". Id profecto insigne est: ibi enim debet esse ecclesia Dei, ubi nos putamus esse infinitos Diabolos. Sicut locus iste, ubi dormit Iacob, est circa Ierosolymam, ubi dominabantur Cananaei et potestas Satanae, ut nihil minus videretur esse, quam domus Dei. Et Iacob sic tantum cogitabat: Si potero unam noctem salvus et incolumis hic manere, sat habebo; cras mane surgam, et fugiam. Non aliud potuit ei in mentem venire, quam se dormire in medio inimicorum, ubi regnaret princeps mundi et Deus saeculi. Ecce autem hic Deus est, inquit, quod ego nesciebam. Non enim putabam, esse Deum extra domum patris mei Isaac, ubi ipse pastor est, ubi data mihi est benedictio. Sed revera video et experior, Deum mirabiliter implere promissionem suam, qua dixit: Hanc terram tibi dabo. Iamque intelligo, me futurum dominum hujus terrae, in qua jacco, quod in tanto terrore et moestitia minime futurum speraveram. Ad hunc modum Deus opulenter consolatur Iacob per somnium hoc. Et Iacob conterritus et commotus somnio habente analogiam, et consentiente cum re ipsa, mirifice confirmatur. Est igitur verum somnium.

Disputant porro de loco isto Bethel, ubi fuerit, quia est celeberrimus in Prophetis et tota scriptura *sancta*, *praesertim* in Hosea (12, 5.): „In Bethel

inveni

inveni eum" etc. Et postea perpetuo in populo Israëlitico celebratus et cultus est, adeo ut Ierobeam, sapientissimus et maxime industrius vir, hunc locum sibi delegerit, ubi alterum vitulum aureum erigeret prope Ierosolymam, sicut alterum in Dan statuit versus Aquilonem. Hos duos enim deos sive idola sapientissimo consilio secundum rationem effinxit rex, et collocavit in duabus extremitatibus provinciae. Hi postea accesserunt vituli Samariae.

Est autem Bethel in extremis finibus regni Israël, in Ephraim, et templum Ierosolymitanum, aedificatum a Salomone, aberat duodecimo lapide a Bethel, hoc est, tribus parvis milliaribus. Sic igitur astute ratiocinatus est Ieroboam: Instituam idolatriam duobus locis, ut populus mei regni utrinque cultum et locum certum habeat, per quem detineatur intra fines regni. Tantum scandalum excitat loco valde opportuno prope Ierosolymam, ad quem fiebat concursus a multitudine, relicto verbo et templo Dei, quanquam multi etiam ex Israëlitis contemnebant; sed Prophetis perpetuum certamen erat cum idolatris illis usque ad destructionem et excidium regni. „Nolite ire in Gilgal, in Bethel", clamabant, „in Bethaven" (sic enim Bethel appellabant). Ibi enim quaerebant singulares cultus, sacrificia, incensiones, invocationem, tantum ut contemneretur templum et cultus in Hierusalem, de quo dixerat Deus: „Hic habitabo" etc.

Mirifica autem specie sanctitatis tuebantur idolatriam suam. Iactabant enim tam illustrem apparitionem factam Patriarchae Iacob hoc loco. Hic visam esse scalam, locutum esse Deum cum Iacob in hoc loco, non in Ierusalem. Prophetae igitur, et prae-

sertim Hoseas, magno studio contradicebant, et damnabant idolatriam hanc; sed nihil proficiebant: sicut nos, quando doctrinam de sola fide justificante toties et tam clare inculcamus, objiciunt adversarii sua Bethaven, ecclesiam, auctoritatem Patrum, quae profecto non est exigua tentatio, qua multi a vera cognitione et studio evangelii seducuntur.

Significat autem Bethel idem, quod domus Dei: Hie wohnet Gott, Gotteshaus, Gotta. Ille magnificus titulus et nomen insigne mirabiliter movit populum, ut diceret: Vides, haec revera sic gesta esse, attestante ipso Mose. Hic locus est Bethel et domus Dei, Ierusalem non est verus locus cultus. Hic enim apparuit et locutus est Deus: igitur hic est adorandus, sicut Iacob adoravit, et vovit, se velle instituere cultum, et dare decimas. Hoc ingens fuit scandalum, de quo graviter queruntur Prophetae, et in primis Hoseas. Nos in Papatu nullum habemus simile, quod tantam speciem habeat.

Variant autem ab hac sententia plerique omnes commentatores, qui dicunt, hunc locum Bethel esse Ierosolymam, imo templum ipsum. Sicut de monte Morija, cujus supra, cap. 22. facta est mentio, dicunt esse hunc ipsum locum Bethel, ubi Sem et alii Patres adoraverunt, sacrificarunt, et postea etiam templum aedificatum est: ita ut ante Patriarcham Iacob fuerit Bethel et domus Dei, ubi Patres adoraverunt et sacrificaverunt, ubi Abraham filium Isaac immolare voluit. Nec dubium est, quin locus ille fuerit destinatus conventibus ecclesiasticis; sed quod hic locus sit ipsa Ierosolymorum urbs, non facile persuadebunt: et quantum historiae et Prophetae testantur, situs fuit extra Ierusalem, et abfuit ab urbe ad

duodecimum lapidem. Lyra recitat duos versiculos, quibus comprehensa sunt octo nomina urbis Ierosolymorum.

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma, Hiebus, Helia,
Urbs sacra Ierusalem dicitur atque Salem.

Sed de Luza et Bethel ego dubito. Et haec mea sententia est de ista disputatione. Mutationes civitatum sunt mirabiles et variae. Ac si eorum opinio vera est, qui hanc appellationem urbi Ierosolymorum tribuunt, tum sane concedo ad tempus esse vocatam civitatem istam Bethel, sed ita, ut non retinuerit hoc nomen, sed translatum sit in urbem Ierusalem, aut ea appellativo nomine Bethel dicta sit, non proprio, quia repugnat descriptio locorum in Iosua, qui significat, Ai et Bethel fuisse vicinas urbes, si modo haec civitas Bethel mansit usque ad tempora Iosuae, et videtur fuisse parvus vicus prope Ai. Sicut supra dictum est, Abraham inter Bethel et Ai castra metatum esse. Si igitur Iacob vocavit Ierusalem Bethel, fecit id appellativo nomine, non proprio, quasi diceret: Hic habitat Deus. Alioqui non possum conciliare aliorum opinionem cum Prophetis. Consentiunt etiam historiae Iudicum et Iosua, quod mons Morija fuerit locus in Bethel, ut conveniat cum verbo Iacob: Hic est domus Dei. Alioqui certum est, appellationes urbium varie et saepe mutari.

Sed haec omitto. Libenter sic velim imaginari, hunc locum esse montem ipsum Calvariae, si non certis et firmis, attamen piis cogitationibus, ubi Dominus ipse dormivit. Et arbor ligni vetiti stetisse eodem loco dicitur. Ideo voluit Deus, ut ibi Christus

crucifigeretur et moreretur, et locus, ubi vidit Iacob scalam, esset idem locus, ubi Christus, verus Iacob, dormivit in sepulchro, et resurrexit, et Angeli descenderunt et adscenderunt. Ita recte et vere hic locus Bethel vocaretur; sed haec imaginatio tantum est, si non vera, tamen sine periculo. Neque quicquam etiam periculi est, si non habeamus certas appellationes locorum. Inter Ierusalem et Bethel tempore Abrahae et Iosua fuit distantia trium milliarium; sive propria appellativis mutata sunt, sive non, parum refert. Octo illa nomina, quae recitat Lyra, idem significant, quia ibi visus est Dominus visione pacis.

Haec relinquo Grammaticis. Satis nobis est, quod scimus, Iacob hic confirmari in fide promissionis, quod eundem Dominum Deum hic vidit, idem verbum audivit, eandem ecclesiam vidit in somno, quam domi audivit et vidit, quanquam ipse solus hic adest, et praeter eum nemo alius, ut discamus, ibi esse ecclesiam Dei, ubi verbum Dei sonat, sive in media Turcia, sive in Papatu, sive in inferno. Sermo Dei enim est, qui constituit ecclesiam, is est Dominus omnium locorum: ubicunque illud auditur, ubi Baptismus, sacramentum altaris et absolutio administrantur, ibi certo statue et conclude: Hic certe est domus Dei, hic est apertum coelum. Sicut autem verbum, ita et ecclesia nulli loco alligata est. Non est dicendum: Romae est Pontifex maximus: ergo ibi est ecclesia. Sed ubi Deus loquitur, ubi est scala Iacob, ubi Angeli adscendunt et descendunt, ibi est ecclesia, ibi aperitur regnum coelorum.

Timuit igitur et dixit: Quam terribilis est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei, et hic est porta coeli.

Haec admodum mirabilis oratio est, cujus similem non habet tota scriptura sancta, neque in veteri, neque in novo testamento. Appellatur enim locus iste domus Dei et porta coeli, quod hoc uno tantum loco, et nusquam alibi dicitur. Ac nihil hoc aliud est, quam regnum coelorum, et ipsum coelum dicere, quia domus Dei est locus, ubi habitat Deus. At ubi habitat Deus? Nonne in coelis? Conjungit igitur terram cum coelo, et coelum cum terra. Constituit coeleste habitaculum et regnum Dei in ullum locum terrae, et dicit: Hic est regnum coelorum, est porta coeli, qua patet aditus in coelum, et exitus e domo Dei. Distinguit enim inter coelum et terram, id est, inter praesentem et futuram vitam, quia promittit sibi post hanc vitam aeternam vitam et regnum coelorum, quod in praesenti inchoatur; imo sentit jam nunc Iacob, se esse et vivere in eo. Ex hac igitur locutione haud dubie Prophetae plurimas et insignes revelationes hauserunt. Hinc manarunt illae promissiones in Daniele et alibi, ubi assimilatur Ierusalem regno coelorum, cap. 8. Danielis (v. 10.): „Magnificatum est usque ad exercitum coeli, et dejecit de exercitu et de stellis, et conculcavit eas“. Ibi enim nihil aliud significatur, quam ecclesia et doctores et auditores in ea.

Deinde definitur hic ecclesia, quid sit, et ubi sit. Ubi enim Deus habitat, ibi est ecclesia, et nusquam alibi, quia ecclesia est domus Dei et porta coeli, ubi patet introitus in aeternam vitam, et egres-

sua ex terrena in coelestem. Ubi autem non fuit locutus, nec habitavit Deus, ibi nec ecclesia fuit unquam. Nobis hodie ingens certamen est cum perditissimis hominibus Papistis de ecclesia, cujus nomen et titulum sibi confidenter arrogant, et jactant, apud se esse ecclesiam, et quidem in suis doctrinis et caeremoniis. Etsi vero fatemur, esse apud eos ecclesiam, quia habent Baptismum, absolutionem, textum evangelii, et sunt inter eos multi pii, tamen si hoc adjunctum volunt, quod Papa et pompa illorum sit vera ecclesia, hoc neutiquam concedemus. Et opponimus hunc textum: Domus Dei et ecclesia Dei sunt idem, juxta illud, Ioan. 14. (v. 23.): „Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus". Oportet adesse mandata, et ea diligere. Non enim facit mansionem Deus, nisi habuerimus mandata ejus. Si ecclesia debet esse domus Dei, necesse est, ut habeat verbum Dei, et ut Deus solus sit paterfamilias in hac domo.

Non autem accipimus illam additionem Papisticam, qui clamant: Habetis a nobis claves, sacramentum altaris, vocationem et ministerium, quae sunt notae verae ecclesiae. Sed unum deest, quod non vultis agnoscere, Papam et Cardinales esse ecclesiam. De hoc igitur certatur inter nos et Papistas. Nos nolumus admittere hostem juxta patremfamilias; non enim possunt simul eandem domum regere Christus et Satan. Quae enim est conventio Christo cum Belial? Si igitur colendus est Papa, necesse est, ut abnegemus Christum. Non enim patitur is, Satanam regnare in sua domo. Si volumus habere ecclesiam, non oportet eam pollui et permisceri ulla Satanica

doctrina. Sunt autem traditiones Papisticae impiae, et pugnantes contra verbum Dei, propter quod verbum solum Deus vult apud nos mansionem facere. Ergo fugiendae sunt traditiones illae, quia Belial et Christus non possunt unius domus domini aut patresfamilias *) esse.

Proinde hic locus et alii similes diligenter observandi sunt, unde discamus, Papam cum suis non esse ecclesiam. Quodsi objicitur: Tamen habent Baptismum, Coenam Domini etc. respondeo: Qui habent purum verbum et Baptismum, pertinent ad nos et ad veram ecclesiam. Qui vero conjunctam pompam habent, non sunt ecclesia, ut maxime habeant Baptismum, textum evangelii etc. Habent tamen frustrá, quia Christus et Belial non concordant; coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrunque operire non potest. Isaiae 28. (v. 20.): „Lectus nec ferre, nec operire ambos simul potest". Atqui hoc unum ipsi unice student, ut subintroducant et defendant suas abominationes: ideo semper hoc opponendum est (1 Regg. 18, 21.): „Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum". Dominus et Baal non conveniunt, quos tamen Ahab studebat conjungere: volebat servire Deo in puro verbo, et miscere simul traditiones humanas. Contraria autem non possunt simul consistere, sed tollunt se mutuo.

Sic igitur inquit Iacob: Hic locus, in quo dormio, est domus et ecclesia Dei. Hic Deus ipse erexit cathedram, et ipse prior concionatur de posteritate et perpetuitate ecclesiae. Iacob vero cum sua posteritate in lumbis suis est auditor, et Angeli in coe-

*) *Edit. princ. pater familias.*

lis. Si enim vel una tantum persona est, quae verbum audit cum Angelis, qui adsunt una, satis est.

Describit vero gloriam hujus ecclesiae admódum magnifice, videlicet quod pateat ibi introitus in regnum coelorum. Sic enim nos gubernat Deus, ut hic in terris, ubicunque nobiscum loquitur, pateat aditus in regnum coelorum. Haec sane insignis consolatio est: Ubicunque audimus verbum, et baptisamur, ibi ingredimur in vitam aeternam. Ubi vero invenitur locus iste? In terra, ubi stat scala tangens coelos, ubi Angeli descendunt et adscendunt, ubi dormit Iacob. Est locus corporalis, sed est ibi adscensus in coelum sine scalis materialibus, sine alis et pennis. Fides sic loquitur: Vado ad locum, ubi docetur verbum, ubi porrigitur sacramentum, administratur Baptismus. Et omnia illa, quae fiunt me vidente in loco corporali, sunt coelestia et divina verba et opera. Non est locus iste tantum humus aut terra, sed est magnificentius et augustius quiddam, nimirum regnum Dei et porta coeli. Hic itur ad astra, ut apud Poëtam (Virg. Aen. 9, 641.) dicitur: non est, quod curras ad S. Iacobum, aut in angulum secedas, sive abdas te in monasterium, ne quaeras novum et stultum introitum; sed fide intuere locum verbi et sacramentorum. Eo dirige gressum, ubi sonat verbum, et administrantur sacramenta. Atque ibi adscribe titulum: Porta Dei; sive id fiat in templo et publicis congressibus, sive in cubiculis, quando consolamur et erigimus aegrotos, sive assidentem nobis in mensa absolvimus: ibi est porta coeli: sicut inquit Christus (Matth. 18, 20.): „Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum"; ibi est domus Dei et porta coeli per

totum orbem terrarum, ubicunque verbum cum sacramentis pure docetur.

Non autem, ut mundus solet, carnalibus tantum oculis, et brutorum in morem locum externum intueamur, nec verbum ipsum inanem quendam sonum esse arbitremur. Est quidem vox humana et homo est, qui loquitur verbum: templum ipsum est constructum ex lapidibus et ex lignis. Et templum nostrum, quando non habentur ibi congressus, non est templum Dei, nisi relative sic dicatur. Sed quando habentur ibi conciones, quando administrantur sacramenta, ordinantur ministri ad docendum, tum dic: Ibi est domus Dei et porta coeli, quia Deus loquitur, juxta illud, 1 Petr. 4. (v. 11.): „Si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus“.

Sed caecitas et stupor mentium nostrarum quasi nubes quaedam oculis est objecta, ut tantam gloriam non videamus. Magna vero dignitas et majestas haec est, quando dicitur: Hoc est verbum Dei, audio hominis vocem, video gestus humanos; panis et vinum in coena sunt res corporales: in ordinatione fit impositio manuum carnalium hominum: in Baptismo aqua est aqua. Sic enim et non aliter judicat caro de his omnibus; sed si adspexeris oculis spiritualibus illam additionem, nimirum cujus verbum illud sit, quod ibi dicitur et auditur, non hominis quidem (si enim hominis verbum est, tum Diabolus loquitur), sed Dei, ibi intelliges, esse domum Dei et portam coeli. Domus lignea aut terra per se non meretur hoc nomen: sed terra, in qua sonat verbum, est Dei terra, non creatoris, sed gubernatoris suae ecclesiae, qui suos sanctos hoc modo gubernat,

ut ingrediantur in regnum coelorum. Sic aqua, quae funditur in Baptismo, est aqua non creatoris, sed Dei salvatoris. At vero video aliam legem in membris meis repugnantem fidei. Scio enim, esse verum: et tamen non possum adsentiri certo et plena fiducia. Non possum tantum credere, quantum vellem. Ita est sane. Sed ne ipsi quidem Angeli possunt apprehendere et perspicere, quanta res sit, quae hic geritur et dicitur, ita ut non possint eo adspectu et consideratione satiari. Optarim tamen, me tantum apprehendere, quantum velim nunc: sed ne id quidem fieri potest. Resistit enim caro et sanguis, sive pondus illud et circumstans nos peccatum, de quo, Hebr. 12. (v. 1.) dicitur, quod deprimit spiritum, qui libenter vellet illa capere et haurire ad plenum, ut inebriaretur: sed modico contentum esse oportet, tantum ut lingua refrigeretur.

Interea vero adsuescendum est, ut illam additionem possimus facere, quam hoc loco Iacob et Angeli in coelo faciunt. Caro enim tantum defigit oculos in aquam, in panem, in vinum, in terram, ubi dormivit Iacob; sed spiritus debet videre aquam, manum, verbum Dei, et Deum in aqua. Caro tam acute videt, ut judicet, aquam esse aquam, et excludat Deum, sicut Sacramentarii et Anabaptistae faciunt. Discendum igitur est contra prospectum carnis, non esse verbum simplex et inanem tantum sonum, sed esse verbum creatoris coeli et terrae. Sic impositio manuum non est traditio humana, sed Deus facit et ordinat ministros. Nec pastor est, qui te absolvit: sed os et manus ministri est os et manus Dei.

Agnoscamus igitur et magni faciamus Dei immensam gloriam, qua se nobis patefacit in sua ec-

clesia. Non enim talis domus est, in qua creat, sicut initio ex nihilo condidit omnia: sed in qua nobiscum loquitur, nobiscum agit, pascit, curat dormientes et vigilantes. Quotusquisque autem est, qui hoc credat? Res vera est et verbum maximum, quo Angeli in coelis delectantur, et audientes implentur gaudio et laetitia propter cognitionem hanc ecclesiae. Neque tamen adspicere, considerare, admirari ad satietatem possunt; ecclesia enim comprehendit in se Deum, conversantem nobiscum, ita ut vivificet, custodiat et sanet nos. Et ista cohabitatione hoc operatur, ut sit domus Dei et porta coeli in hac vita.

Haec profecto immensa sunt et admiranda: ideo discamus gloriam ecclesiae pro dignitate amplificare et magni facere: non vilipendamus eam, neque veram ejus dignitatem in rebus ludicris et nihili collocemus, sicut sacrilegi Papistae solent, qui fingunt, ecclesiam esse debere corporalem congregationem constitutam in potu, cibo, vestitu etc. Quanquam nostra quoque ecclesia habet corporalia et externa multa, ut est panis, aqua, terra etc.; sed magna diversitas est inter ea, quae jactant Papistae, et quae nos habemus corporalia. Illa enim sunt contra Deum suscepta et usurpata, non pro Deo aut secundum Dei verbum: ideo tantum inanis fucus, imaginatio et falsa species est ecclesia ipsorum. E contra maxima res est, quod Iacob definit, esse hic domum Dei, ubi Deus cohabitat nobis, ubi nos sumus familia, imo filii et filiae, et ipse pater noster, qui nobiscum loquitur, agit, operatur familiarissime, ut ecclesia sit etiam porta coeli. Ideo enim nobiscum habitat, ut intremus in regnum coelorum: et quod est dulcissimum, ipse prior venit et apparet nobis

in scala, descendit et conversatur nobiscum, loquitur et operatur in nobis.

Sic constituitur ecclesia inter homines, quando fit cohabitatio Dei cum hominibus, hoc fine, ut sit porta coeli, et ut egrediamur ex hac terrena vita in aeternam et coelestem. Quis potest haec satis mirari aut comprehendere, quod habitat Deus cum hominibus? „Haec nimirum est coelestis illa Ierusalem, quae descendit de coelo a Deo, habens claritatem Dei“, ut in Apoc. 21, (v. 2.) dicitur. Et est essentialis definitio: Ecclesia est locus vel populus, ubi Deus habitat, ideo ut faciat nos intrare in regnum coelorum: quia est porta coeli. Et sequitur inde optima consequentia: Ergo in ecclesia non debet audiri, videri, nisi quod facit Deus, juxta illud (1 Petr. 4, 11.): „Si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus“. Sin autem incertus sum de verbo aut administratione divina, tacendum est. Sed quandocunque ministro, hoc est, baptiso aut absolvo, debeo certus esse, quod meum opus non sit meum, sed Dei operantis per me. Baptismus est operatio Dei, quia non est meus, quanquam accommodo manus et os tanquam instrumenta. Sic quando absolvo te, aut voco ad ministerium, et impono manus, non dubitabis, quin Dei virtus sit, juxta sententiam Petri. Ut sit integra definitio ecclesiae, quae est habitatio Dei in terra, non ut in terra maneamus: sed ideo administrantur sacramenta, ideo docetur verbum, ut introducamur in regnum coelorum, et per ecclesiam ingrediamur in coelum.

Hoc vidit Iacob, viderunt et posteri ejus, vide-

mus nos quoque et omnes, qui nunc sunt, aut post nos erunt ecclesia, quod sit domus Dei, inducens ex terra in coelum. Estque locus ecclesiae in templo, in schola, in domo, in cubiculo. Ubicunque duo aut tres conveniunt in nomine Christi, ibi habitat Deus: imo si quis secum loquitur et meditatur verbum, ibi Deus adest cum Angelis, et sic operatur et loquitur, ut pateat ingressus in regnum coelorum. E contra in traditionibus humanis non habitat Deus, quia non loquitur ibi. Semper enim ad illud respiciendum est, quod Iacob Deum audit loquentem et operantem. Ea sunt vere ecclesiastica officia, introducentia in regnum coelorum; ecclesia autem Papistica non est regnum coelorum, quia quaerit aurum, argentum, regna, coronas mundi. Hae sunt claves ipsorum: Quaecunque ligaveris super terram, id est, deposueris reges, eripueris regna etc. Illac iter est ad infernum. Audiamus itaque cum Patriarcha Iacob non Papae, non traditionum humanarum vocem, sed Dei verba. Quando enim is loquitur, tum patet porta et ingressus ad regnum coelorum.

Consurgens igitur Iacob mane tulit lapidem, quem posuerat pro cervicali capitis sui, et posuit illum in statuam, effundens oleum super summitatem ejus. Et vocavit nomen loc illius Bethel, quae prius Luz vocabatur.

מַצֵּבָה, in statuam sive erectionem. Est eadem vox, quae ponitur 2 Psalmo (v. 2.): „Adstiterunt reges terrae“. Erexit lapidem, ut staret, non jaceret, in modum altaris aut columnae. An dormiverit ve-

ro Iacob in civitate Luz, an in campo extra civitatem, non possum affirmare. Alii volunt, eum in campo dormivisse, alii in Luz civitate, sicut propemodum videtur textus sonare.

Bethel autem significat eum locum, qui supra dictus est Morija. Ac habuit nomen hoc domus Dei ab initio. Ideo verisimile est, saepe a Diabolo vastatum, et subinde restauratum esse, quia perpetuum bellum geritur inter Diabolum et Deum. Nunc Deus eum ejicit et pellit, nunc rursus depravata doctrina speluncam latronum in locum ecclesiae substituit Satan, et concacat locum templi Dei. Tempore Davidis tenebat hunc locum Arafna, Iebusaeus, et construxerat ibi horreum, sive aream, in quo terebat triticum, quod Satana sic impellente factum fuerat, odio et contemtu istius loci; sicut antea eum saepe conspurcaverat. David vero emebat eum post luem, quae in populum grassata fuerat, et aedificabat ibi templum sive altare, et immolabat Domino, quod esset exauditus, 2 Regg. 24. Existimo enim, fuisse eum locum, in quo Iacob dormivit, et Deus singulariter eum dilexit propter Patres, propter Sem, qui ibi praedicavit, et miracula fecit, et alios ante et post Sem, Abraham, Isaac, Iacob et Christum ipsum.

Diabolus autem est superbus spiritus; ideo libenter occupat loca sancta et munda, qualis iste fuit: sicut testatur vox Iacob: „Terribilis est locus iste“, quasi diceret: Morija est venerandus locus propter Deum colendum et venerandum, cujus cultus fuit hoc loco et adhuc est. Eamque ob causam *nominavit eum* Bethel, qui prius dicebatur Morija.

erea quod Deus ibi apparuit. Interea autem, habitat Iacob in Aegypto cum familia, postea toto tempore judicum occupatus fuit a gentit Diabolo, donec a Davide restitutus, et a Sane templum ibi conditum est. Quanquam potuit ut prorsus vastaretur hic ipse locus, in quo uit Iacob: si quidem Hoseas et liber Iudicum este ostendunt, Bethel civitatem abfuisse XII. e ab Hierusalem. Si igitur Morija est locus, ormivit Iacob, tum amisit nomen, et alius loostea fuit Bethel. Quanquam ego appellative io Bethel: Hie wohnet Gott.

Sed unde habuit oleum, quod effudit super la-a? Respondeo: Si fuit ibi civitas, sicut textus dit, facile invenit, a quibus emeret. Nihil aliud a significare voluit hac effusione olei, quam dicavit et consecravit hunc locum in futuram im et habitationem Dei, propterea quod ibi loest Dominus, et Angeli fuerunt auditores. vero desunt homines, qui haec quoque audiant gnoscant, cogitavit, se in reditu ex Mesopotaaedificaturum ibi sacellum, aut aram excitatuet celebraturum tam insignem et illustrem apionem Dei. Oleum designat unctionem et conseonem, qua reges et sacerdotes ungebantur, vam et vestes, ut ab usu profano ad sacrum searentur: unde et nostrae simiae Pontificiae oleo iunt, sed sine verbo. Iacob autem non elegit n locum istum, sed casu in eum incidit, et ibi it verbum Dei. Itaque locus consecratus est a ipso, cui placuit hic habitare. Pronuntiat igiacob, hunc locum esse sacrum, et ut suum tenium relinqueret posteris, fundit desuper oleum,

et promittit, se consecraturum in domum Dei, si feliciter absolvisset peregrinationem, non proprio instinctu, neque traditionibus aut consiliis hominum motus, sed quia timet ibi, hoc est, colit Deum, in loco terribili et colendo propter sermonem Domini, quem ibi audiverat. Allegoriam de spirituali consecratione omitto.

Vovit quoque Iacob votum dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via ista, quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Et lapis iste, quem erexi in titulum, erit domus Dei, cunctorumque, quae dederis mihi, decimas offeram tibi.

Postremus locus hujus capitis est votum Iacob, de quo Lyra prolixe disputat. Primum omnium autem quaeritur, quare sanctissimus Patriarcha dubitat, vel saltem in modum dubitantis loquitur: Si Deus me cibaverit, si me reduxerit etc. An non enim debebat certus et persuasus esse accepta promissione, sibi haec omnia nunquam defutura esse? Deus enim non potest mentiri, qui promisit posteritatem. Quodsi futurus est pater multarum gentium, necesse est eum vivere. Mortui enim non possunt esse aut fieri parentes. Si igitur debet vivere, necesse etiam est, ut habeat victum et alia ad hanc vitam necessaria. Quare autem ita loquitur, ac si dubitaret de his omnibus? Quin etiam confirmatus est illa illustri visione, ubi Deus repetivit promissionem: *Non deseram te, donec* omnia perfeceris, quae dixi. Unde igitur

tanta dubitatio post certissimas illas promissiones Dei?

Omitto sublimiora, quae possent hoc loco afferri, et haerebo in inferioribus. Supra enim et saepe alias dixi, mihi admodum placere, et esse nobis salutare, audire infirmitates sanctorum, quia haec exempla infirmitatis magis necessaria sunt nobis, et plus consolationis afferunt, quam heroicae illius et summae fortitudinis aliarumque virtutum exempla. Sicut non multum me aedificat, quod David occidit Goliath, ursum, leonem etc. Talia enim ego non possum imitari, si quidem superant vires meas et omnem cogitationem meam. Commendant quidem sanctos in sua virtute et heroica fortitudine; sed nihil ad nos, quia sunt sublimiora, quam ut assequi aut imitari queamus. Quando autem exempla infirmitatis, peccatorum, trepidationis, tentationum in sanctis proponuntur, ut quando lego Davidis querelas, gemitus, pavores, desperationes, illa me mirifice erigunt, et praebent ingentem consolationem. Video enim, quomodo ipsi pavidi et perterrefacti non perierunt, sed erexerunt se promissionibus acceptis, unde mihi quoque non desperandum esse colligo. Nam in lucta ista inferni, in pavoribus et certaminibus conscientiae ita sentiunt ac loquuntur, ac si nullas prorsus promissiones habeant, et tamen servantur et sustentantur tandem verbo.

Vide enim Paulum, qui de se dicit (1 Cor. 2, 3.): „Ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos“. Item (2 Cor. 7, 5.): „Foris pugnae, intus timores“. Itane loqueris, Paule? Num id decet electum illud organum, habens promissionem, quod debeat portare nomen Christi coram gen-

tibus? Quo vadis, Paule, in carcerem inferni, pavoris, desperationis? Ubi nos manebimus, si tu dubitas, et propemodum diffidis de certissima vocatione tua? Sed sic oportet fieri etiam cum summis sanctis. Promissiones enim divinae non sic dantur, ut securos non faciant, sed sic, ut Paulus alio loco dicit (2 Cor. 12, 7.): „Datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, ut me colaphiset". Quare? „Ne magnitudo donorum, gratiae et misericordiae divinae extolleret me". Ideo immittit Deus luctas, tentationes, certamina, ut in dies clarius ac certius promissiones Dei intelligamus et retineamus: quod non fieret, si semper heroicam illam fortitudinem exercerent sancti: quin tandem promissionem et omnem exspectationem securi amitterent. Ideo oportet eos exerceri, ut retineant fidem, spem et exspectationem promissionum. Atque haec demum nos aedificant et consolantur, quando videmus, Patriarchas et Prophetas similes nobis fuisse, tentatos infirmitate, dubitatione et quasi desperatione et amissione fidei.

Quid potest nobis utilius et ad consolationem aptius proponi exemplo Petri? Is super aquas Christo obviam procedit. Ac primum quidem descendens de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum, sicut inquit Evangelista, currebat magno impetu, heroico et principali spiritu, quia norat, Christum adesse, et habebat verbum et promissionem verbi ad petitionem ipsius: „Si tu es, jube me ad te venire super aquas" (Matth. 14, 28.). Sed mox spirante ventulo labascit et mergitur. Quid nunc? Ubi ille ingens spiritus? Quare dubitasti? Sed placuit hoc *Christo*, ut tentaretur in hunc modum. Nisi enim es-

set tentatus, esset inflatus. Atqui melius est tentari, quam inflari. Sic enim retinentur promissiones, et sic discimus intelligere gemitus illos sanctorum: „Domine, ne in furore tuo arguas me", Psalm. 6. (v. 1.). Nam is quoque talis et tantus vir erat, ut testimonium ei perhiberetur: „Inveni David, filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas" (1. Sam. 13, 14.); et tamen sic orat, et luctatur cum tentationibus diffidentiae et desperationis.

Ita nos quoque vocati sumus, et habemus promissiones multo clariores et illustriores, quam Patres habuerunt; sicut praedicat istam felicitatem Petrus: „Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti etc. (2. Petr. 1, 19). Multo magnificentius nobis promissa et oblata est gratia et vita aeterna, quam illis. Filius enim venit, et impletae sunt omnes promissiones. Filium ipsum audimus, habemus sacramenta, absolutionem et evangelium; dies noctesque nobis annuntiat: Sanctus es, sanctus es, remissa sunt tibi peccata, beatus es etc. Sed quid facimus? Trepidamus adhuc, et haeremus in nostra infirmitate per omnem vitam. Cur autem non excitamur Patriarcharum exemplo, qui crediderunt perfectissime? Respondeo: Fuerunt illi quoque infirmi, perinde ac nos sumus, quanquam nos opulentiores promissiones habemus, quam ipsi. Sed ita fit, quemadmodum ad Paulum vox divina sonuit: „Virtus mea in infirmitate tua perficitur" (2 Cor. 12, 9.). Alioqui enim Deus non posset retinere et implere promissiones suas in nobis, nisi occideret illam stupidam, superbam et securam carnem in nobis.

In hunc finem supra propositum fuit exemplum Isaac et Rebeccae, qui etiam metuebant, et metu cogebantur filium mittere in exsilium: quod tamen pugnabat contra promissionem et benedictionem datam. Sed non erat tentandus Deus, et filius temere in periculum conjiciendus, ut maxime firmae essent et certae promissiones. Sic enim ego quoque sum absolutus per verbum, usus sum sacramento altaris. Num dicam igitur: Non laborabo, sedebo otiosus; si debeo vivere, vivam? etc. Hoc esset tentare Deum. Imo debes uti datis et concessis divina benignitate, debes gubernare, operari et quaerere, ut non tentes Deum. Non debes te praecipitare in periculum, aut Albim ingredi neglecto ponte, quod promissionem habes, Deum non velle te deserere. Sic enim Isaac et Rebecca non voluerunt tentare Dominum, sed stante certissima promissione sequuntur consilium, quod Deus inspiraverat. Deus enim implet promissiones suas certis mediis. Non est dicendum cum fanaticis illis, qui statuunt, esse omnia praescita: Si sum praedestinatus, salvabor, sin minus, peribo. Si est moriendum, nihil proderit cura corporis et vitae: si sum futurus doctus, fiam etiam sine libris etc. Sed non dedit Deus promissiones suas hoc ordine. Sic enim dicitur, Rom. 8. (v. 30.): „Quos praedestinavit, eos vocavit, quos vocavit, hos justificavit“ etc. Ipse finem promissionum suarum non vult implere immediate, sed per media. Dedit usum creaturarum, quibus est utendum Christianis, donec veniamus ad finem promissionum divinarum. Sicut Iacob septus promissionibus utitur tamen loco, tempore, personis.

Haec exempli causa dico, quo posset aliquis

fortasse excusare sanctissimum Patriarcham, quod non voluerit tentare Deum. Sed non volo eum excusare, sicut nec alios sanctos, quasi nunquam dubitarint aut peccaverint. Quia nobis salutare et plenum consolationis exemplum est, ac longe gratius, quam si Simsonis aut Davidis heroica facta proponantur, de quibus ipsi nullas habebant promissiones: sed spiritum fidei heroicum habebant.

Iam de voto Iacob dicendum est. Hunc enim locum et exemplum Iacob allegant Papistae adversus nos, qui vota Monastica impugnamus. Iacob vovit votum et servavit. Igitur qui voverit, debet servare. Et addunt locum, Numeri 30. (v. 3.): „Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit". Item, Deut. 23. (v. 21. 22.): „Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus a te, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris" etc. Haec et alia multa loca et exempla adducunt Monachi contra nos, ut stabiliant et confirment abominationes suorum votorum.

Sed ut eas refutare possimus, primum omnium haec regula diligenter tenenda est, quod justificatio, remissio peccatorum, gratia vel misericordia est prima, et veluti lapis angularis. Atque ea est simpliciter gratuita et nullis operibus impetrata. Hanc regulam semper in conspectu habeamus, quod neque ex operibus, neque ex lege justificamur, sed gratuito, praeveniente gratia omnia nostra opera et merita. Sicut apud Isaiam (65, 1.) dicitur: „Inventus

sum a non quaerentibus". Hic sit lapis angularis, et Deus sit initium nostrae salutis, qui manifestet et revelet se nobis, ut ipsum agnoscamus. Hoc caput est et fundamentum, quod in tota scriptura proponitur. Primum omnium est ipsum verbum Dei, ut et ipsa creatura est verbum vocale, quo omnes gentes agnoscant Deum, Rom. 1. (v. 19.). Necesse est aliquid esse sive verbum, sive factum, praecedens, quod nos movet; hunc primum motum oportet esse a Deo. Hoc certum est: persona primum fit accepta, accepta, inquam, gratia justificante et dono Spiritus sancti, quo agnoscit homo Deum talem salvatorem. Haec est vere prima gratia, ubi nos nihil facimus, sed tantum patimur: audimus Deum loquentem verbum, et sentimus operantem per verbum vocale et sacramenta, per quae in nobis exsuscitat cognitionem sui.

Iam hoc posito, quod est certum et primum, sequitur altera sententia: quod bona opera necessario nihil aliud sint, quam gratiarum actio et glorificatio, qualiacunque sint, sive eleemosynae, sive vota, sive passiones, sive mors denique ipsa. Illa omnia debent numerari inter sacrificium gratiarum actionis, quia Deo nihil possumus dare, nihil mereri aut efficere, ut personae nostrae justificentur. Iam vota Monastica tantum sunt operis operati. Ego enim et omnes Monachi vovemus Deo castitatem, paupertatem etc. Quare hoc facimus? Quia volumus mereri remissionem peccatorum et salvari. Pugnant igitur cum articulo justificationis tanquam abominationes et blasphemiae pessimae, et sunt omnia vota *Monachorum* impia et sacrilega: quia Monachi sunt

de numero illorum, qui quaerunt Deum, quos damnat Deus, et e contra dicit per Esaiam (65, 1.): „Inventus sum a non quaerentibus". Item: Tollite vos ipsi sacrificia vestra, et comedite". Non volo vestra sacrificia, non curo vestra vota. „Numquid manducabo carnes taurorum"? (Ps. 50, 13.). „Quam domum mihi aedificabitis"? (Ies. 66, 1.). Ubi prius habitavi, antequam conderem coelum et terram? Sed hoc dixi: Audite vocem meam, audite verbum Domini, omnis Iuda. Meum verbum sit apud vos, ut sim ego initium salutis vestrae. Quia inventus sum a non quaerentibus, ut scias, quid sit gratuita justificatio sive remissio peccatorum, qua persona est accepta, non propter aliquod opus, qualecunque illud sit. Sicut Iudaei hodie se mirabiliter macerant, ut inveniant gratiam Dei, ut placent iram Dei; sed nihil proficiunt. Hoc jam satis certum et firmum est.

Plurimum igitur differunt votum Iacob et vota Monastica. Votum Iacob non est votum justificationis vel remissionis peccatorum: imo nisi jam antea persona per remissionem peccatorum esset accepta et filius Dei, non fieret per votum justus, quin ne faceret quidem votum. Votum non facit arborem, sicut fructus arboris non est arbor, sed votum est fructus fidei. Sic ergo damnamus in universum vota Monastica et sacrificia omnia, etiam illa, quae sub lege et Mose praescripta erant. Nam de iis quoque dicit Deus: Nolo sacrificia vestra. Quare? Quia vos facitis ὕστερον πρότερον, vultis me quaerere vestris sacrificiis et placare; hoc non feram ego, ut aliquid fiat ad me placandum: sed agnoscite me justificatorem et datorem. Tunc opus placebit, si fiet vel in gratiarum actionem, vel in commodum et

bonum exemplum proximi. Sed si me voletis cibare carne taurorum et hircorum, aut oblationibus vestris, ibi frustra laborabitis. Non enim comedam carnes, non accipiam cultus vestros, quibus quaeritis, ut dem vobis meam gratiam. Etenim gratia debet esse gratuita, sive gratis oblata: Sie soll umbsonst sein, sonst heissets nicht gratia. Postea acceptabo sacrificia vestra, holocausta et oblationes vestras, quia non offers eo fine, ut me places, sed ut agnoscas, me largitorem et justificatorem omnia gratis tibi dedisse. Accipiam igitur pro gratitudine et glorificatione mei: sicut Paulus inquit, Rom. 1. (v. 21.): „Deum cognoverunt gentes, sed non ut Deum glorificaverunt". Deus manifestavit et dedit illis, sed cum deberent gratias agere et laudare, ibi aliud egerunt: ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς etc. Primum donum est cognoscere Deum, id sequi debet gratiarum actio et laus: sed stulti facti sunt in consiliis suis, et fecerunt sibi alios Deos idolatricos, quibus ipsi dent et offerant, non accipiant ab eis. Hoc est idolum fingere, et relinquere verum Deum, et se ipsum glorificare, non Deum. Sic enim cogitant: Deus dabit mihi vitam aeternam pro meritis, pro cucullo meo, pro operibus supererogationis. Haec est horribilis blasphemia.

Ostendit igitur hic textus, quod Iacob non voverit tam stultum et impium votum, sed gratiarum actionis. Ita enim inquit: „Si reversus fuero" etc. Quasi diceret: Obligabo me jam ad debitum, et reddam ac satisfaciam, ubi rediero. Quid? Aedificabo ibi scholam et ecclesiam, et ad eam constituendam et conservandam dabo decimas boum, caprarum,

pomorum, lactis item et butyri decimam partem. His quidem Deus non indiget. Non enim edit panem, nec bibit vinum: sicut inquit Psalmus 50. (v. 13.): „Numquid carnes boum manducabo"? Quid igitur facis? Respondeo: Iacob est jam justus. Non igitur vovet, ut Deum placet per hoc, sed vult hoc facere, ut gratias agat, ut glorificet Deum, qui deducat et reducat eum juxta promissionem. Quis decimas illas accipiet? Non Angeli, non sol, non luna; sed faciet illud insigne et praeclarum opus ad conservationem ministerii, fundationem ecclesiarum et scholarum, ubi vivant et alantur Prophetae et Prophetarum filii, qui esuriunt et sitiunt, sunt nudi et miseri. Sicut hodie videre est, quam pauci miseria illa afficiantur, et quam maligne praebeant hi, qui abundant opibus, ad educandam et instituendam juventutem, quae succedat in locum eorum, qui nunc docent. Ideo valde delectatus sum voce illustrissimi principis et ducis Saxoniae, Henrici, qui defuncto fratre Georgio successit in imperio, et hoc in primis mandavit, ut stipendia honesta constituerentur scholis et ecclesiis, sic dicens: Ich muſs dennoch meinen Pfaffen zu essen und zu trinken geben.

Paucissimi vero sunt sive principes, sive privati, qui laudatissimam hanc vocem aut sonent, aut sequantur. Ideo scholae et ecclesiae in magno periculo sunt, si quidem aliquanto post deerunt, qui scholas et ecclesias foveant ac sustentent. Ideo non solum laudandum, sed necessarium votum hoc Iacob fuit. Et sic intelligatur Moses, quando dicit: „Si quid Domino voveris, redde". Quid significat

Deo vovere, aut quem sic appellat, Dominum Deum tuum? Est dare decimas Prophetarum discipulis, filiis, uxoribus, pauperculis et egentibus. Isti sunt alendi decimis Deo oblatis, per eas alitur Deus. Quicquid enim, inquit Deus, dederis filiis sacerdotum et Prophetarum, per quos doctrina propagatur, hoc mihi datum cogitabis: non ut te propter hoc opus justificem, sed pro gratiarum actione et sacrificio laudis, quod te justificavi, et in temporalibus etiam tibi benedixi: et insuper amplius benedicam, si audiveris, si alueris et foveris miseros filios Prophetarum.

Magna res est, quod toties repetit scriptura in Mose, Salomone et Psalmis: „Si quid voveris, redde". Et pertinet id praeceptum maxime ad sacerdotes, ut conservetur ministerium. Si voveris aut promiseris tutelam scholarum, vide, ut reddas. Et Christus inquit (Matth. 26, 11.): „Pauperes semper habetis vobiscum", praesertim tempore revelati evangelii. Accidit enim verbo Dei et professoribus ejus, quod aliis artibus omnibus, ut dicitur Germanico proverbio: Die Kunst geht nach Brod. „Beatus igitur, qui intelligit super egenum et pauperem", inquit promissio divina (Ps. 41, 1.). Primam enim gratiam habes, et es justificatus gratis, id agnosce et sis gratus, tunc ita tibi benedicam, ita locupletabo et cumulabo te, ut abunde tibi satisfactum sentias. Et monere nos in primis hoc debebat, ut studia discentium et docentium libenter juvaremus, quia illae eleemosynae appellantur hoc loco decimae, non illis, sed Deo datae. Et Christus inquit (Matth. 25, 40.): „Amen dico vobis: quicquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis".

Levitae et sacerdotes in lege Mosi partem et haereditatem cum Israël non habebant, et nihil accipiebant de possessione fratrum suorum. „Ego enim pars et haereditas tua in medio filiorum Israël", inquit Dominus (Num. 18, 20.). Sed quid habebat Dominus, aut quomodo erat portio ipsorum? Vota, sacrificia, decimas. Ista, inquit, do vobis, ut vos et vestram familiam sustentare et alere queatis, ut possitis vacare meo ministerio, docere et discere, et conservare meum verbum. Nihil igitur possidebant nec habebant partem inter filios Israël sacerdotes. Nihil habebant ipsi, quod ederent ex suis agris aut possessionibus: sed edebant cum Deo, afsen mit unserem Herrgott, de decimis Dei. Et hae vocantur divina oblatio et divina vota, als wenns unser Herrgott selbst sollt essen, und müst sonst Hungers sterben.

Si quid igitur scholasticis confers, Deo ipsi contulisti, ac scias, Deo gratissimum cultum et sacrificium te praestitisse, ornatum magnifico hoc et summo titulo, ut dicatur votum Dei. Sed haec qui credit et praestat, sciat, singulare donum Dei esse; mundus enim non curat. Ideoque Turca venit, et rapit ea, quae corradimus, et illis, quibus debebamus, praebere denegamus. Vult enim Deus nobiscum edere, aut nihil eorum relinquere, quae possidemus. An non autem magnifica et omnibus expetenda gloria est, quod Deum ipsum alo et cibo, si quando doctorem aut discipulum alo? Tum enim das decimas pro domo Dei, quae sine scholis et scholasticis conservari non potest. Sicut Iacob vidit in hoc itinere filios Sem habitantes ad montem Morija, qui habuerunt filios, filias, nepotes, neptes, amitas, materteras, paupérculas et inopes. Cum enim

fuisset antea vastatus per tyrannos, Eber forte eum restauravit, post Eber Abraham et Isaac si viderunt eum desolatum, etiam instaurarunt et excoluerunt. Ita Iacob jam videt filios et filias Patriarcharum esurire et egere in loco deserto. Ideo vovet, si reduceretur incolumis a Domino, se daturum decimas, hoc est, scholam Patriarcharum se instauraturum, conferendo ea, quae sunt necessaria ad ejus sustentationem. Vota legalia, qualia Nazaraeorum erant, fuerunt extraordinaria et superflua; sed illud verum votum est, quod sequitur justificationem, et dici potest votum caritatis, quale hoc Patriarchae Iacob votum erat. Summum enim et principale votum est in primo praecepto, quo paciscimur cum Deo, quod velit nobis esse Deus, et nos credere velimus in Deum Patrem. Hoc est pactum primae tabulae figuratum illis Leviticis votis et sacrificiis, et est gratiae et justitiae votum. Sed haec sunt vota caritatis, et sunt naturalia et perpetua, de quibus dicitur: „Si non voveris, absque peccato es; sin autem vovisti, redde“ (Deut. 23, 22. 23.). Non sumus obligati, nec cogimur ad certum modum vel praescriptum voti. Sed si ministri ecclesiae non aluntur, tum votum hoc fit naturale et morale praeceptum, ut adjuvemus singuli suo loco conservationem ministerii. Sicut illustrissimus princeps, Ioannes Fridericus, dux Saxoniae elector, confert quotannis ter mille aureos ad conservationem Academiae Witenbergensis. Id verissime est votum Iacob. Etsi enim non dicit conceptis verbis, se Deo dare aut vovere, tamen revera est Dei votum, quo tantum impendit, ut possint ali pastores, magistri, professores artium et facultatum. Et tenetur reddere; licet non sit de facto votum, tamen est votum

de jure, quia omnes tenemur vi religionis Christianae vovere et dare scholis, etiamsi non vovemus de facto.

Lyra dicit, quae necessaria sint, non cadere sub votum, sed esse votum in re libera. Sicut Monachi vovent obedientiam, castitatem, paupertatem, quae quidem ante votum non sunt de necessitate; sed post votum fiunt maxime necessaria. Tale est votum caritatis, quo promitto alicui egenti decem aureos, quibus opus habet. Ibi teneor servare promissa: imo alioqui debeo, cum video egere proximum, ut inopiam ejus sublevem: non enim debeo pati, ut Christus esuriat, ut sit nudus aut egens.

Ad hunc igitur modum vovet Iacob, se scholam in Morija velle instaurare, et discipulis et filiis Patriarcharum praebere necessaria ad vitam. Si reversus fuero, inquit, dabo vobis filiis Eber decimas propter domum Dei, qui me benedixit, et hanc visionem et portam coeli ostendit.

Hinc in Psalmis vota passim appellantur gratiarum actiones, quae alioqui opera necessaria et mandata sunt omnibus hominibus: neque verbalia tantum opera sunt, sed etiam rerum et verorum officiorum. Sicut dicitur (Prov. 3, 9.): „Honora Deum de tua substantia“: quod non de verbis tantum, et cultu oris, aut de genu flexione intelligendum est, sed de re ipsa. Sicut honor parentum non hoc tantum exigit, ut aperiamus caput, reverenter alloquamur, simus morigeri; sed eos etiam alamus, et re ipsa honoremus. Et Paulus inquit (1 Tim. 5, 17.): „Qui bene praesunt, duplici honore digni sunt“. Item ad Galat. 6. (v. 6.); „Communicet autem is, qui catechisatur verbo, ei, qui se catechisat, in omnibus bo-

nis". Quando igitur vult Deus, se honorari, tum vult offerri sacrificia, non oris tantum, sed etiam cordis reverentiam, imo factum ipsum. Vult nos adjuvare ministerium, et conferre singulos, ut studia discentium sustententur, et propagetur doctrina. Ibi tum vere laudatur et glorificatur Deus, ibi fac votum, et dic: Promitto, me velle aliquid conferre ad juvandas ecclesias. Illud est votum S. Iacobi.

Duplex igitur votum et figuratum votis legalibus: unum est fidei erga Deum, qui nobiscum paciscitur, quod velit nobis esse in Deum, sicut supra de voto primi praecepti diximus. Alterum est votum caritatis, ex praecepto et verbo, liberum quidem, quando ego nescio egere, aut non eget meo auxilio proximus. Sed fit necessarium, quando opus habet meo auxilio, et alii id ferre recusant; tametsi non interposui nomen Domini, tamen est dandum, quia Christus praecipit: „Da omni petenti te" (Luc. 6, 30.).

Mundus haec officia et vota non tantum negligit, sed etiam rapit et spoliat ecclesias et scholas decimis ab aliis collatis, idque agit, ut strenue esuriamus et egeamus. Ideo hoc exemplum diligenter inculcandum est, quod Iacob vovet decimas, non ut Deus ipse comedat aut locupletetur, sed dat pauperibus ministris et iis, qui semper sunt minimi fratres aut discipuli Christi in terris. Omnes enim aliae artes quaestuosae sunt, et habent sua lucra: haec sola professio indiget donatione et largitione. Vivendum est nobis de altari, ut inquit Paulus. Qui igitur pius est et amans verbi Dei, confert aliquid. Qui odit doctrinam cum docentibus et discentibus, *rapit et spoliat.*

Caeterum sic ordinavit Deus, ut vivamus ex votis, sacrificiis et eleemosynis, quae debentur nobis jure divino. Et pii cum vident inopiam et egestatem ministrorum ecclesiae et scholae, vovent et tenentur dare decimas, sicut Iacob dedit, qui magnitudinem et dignitatem hujus officii praeclare intellexit. Vidit enim ecclesiam tum afflictam et desertam vagari, et saepe duriter a tyrannis concussam esse et laceratam, praedicante ibi Sem et aliis etiam promissionem de venturo semine. Deinde scivit Iacob, hanc esse lineam et seriem, unde Christus descensurus esset. Sicut supra cap. 10. (v. 21.) dictus est: „Sem pater omnium filiorum Eber", propterea quod ex posteritate Eber nasciturus esset Christus. Habuit enim Eber duos filios, Peleg et Iaketan. Ex Iaketan autem nati sunt tredecim filii, quorum omnium Sem vocatus est pater. Ex his nepotibus Eber multi facti sunt sacerdotes, qui scholas et ecclesias docuerunt de venturo semine: quanquam saepe dissipatae sunt, ut apparet in exemplo horum Patriarcharum Abrahae, Isaac, Iacob, qui toties locum mutare coguntur, et jam in Gerar, jam in Aegypto, jam in Canaan peregrinantur, sicut semper ecclesiae et scholae in mundo Nomadum in modum errant. Ideo opus habuerunt sacrificiis, decimis, eleemosynis et aliis officiis: quae cum videret Iacob desiderari in hoc coetu, vovet et promittit, se in reditu daturum decimas. Et infra cap. 35. (v. 1.) jubetur divinitus redire in hunc locum, et exstruere ibi altare Deo.

VIGESIMUM NONUM CAPUT GENESIS.

Levavit itaque Iacob pedes suos, et pervenit in terram filiorum orientis. Et vidit, et ecce puteus in campo, juxta quem accumbebant tres greges ovium. Nam ex puteo illo potum dabant gregibus illis, et erat lapis magnus super os putei. Mosque erat, ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, potarentque oves, et reducerent lapidem super os putei in locum suum.

Hactenus deduxit Moses sanctissimum Patriarcham per sublimiora illa et vere ecclesiastica exercitia fidei et verbi Dei, qui locus dignissimus est observatione in omnibus historiis sanctorum, nimirum quando audiunt verbum Dei, eique credunt, et exercentur in fide multis tribulationibus et vexationibus. Ibi enim etsi sunt infirmi in fide, tamen sunt plane divini et coelestes homines, simpliciter puri et sancti: denique viventes et agentes in conspectu non hominum, sed Dei.

Haec est vera dignitas et sublimitas in sanctis Patribus: sicut etiam in nostra vita, quando in templo exercemur verbo, utimur sacramentis, exercemur variis tentationibus et probatur fides nostra, quemadmodum aurum in fornace; ea vera sanctitas est, a qua et sancti denominamur, et sumus: quia Spiritus sanctus per verbum fide apprehensum sanctificat, et passionibus ac vexationibus mortificat carnem, ut vivificentur sancti, et exhibeant corpora sua hostiam viven-

viventem, sanctam, Deo placentem" etc., Roman. 12. (v. 1.). Hic summus gradus est vitae sanctorum.

Verum ne nos animum desponderemus, si sanctos illos Patres nonnisi in summo gradu et genere vitae proponi audiremus, ideo rursus deducit eos Deus de coelo in terram, et ita describit, ut abjectissimos et infimae sortis homines, ut nihil possit dici vulgarius aut abjectius, nisi quod peccata eorum non laudantur. Caeterum prorsus exiliter describuntur, quasi reptantes in pulvere oeconomicae et politicae vitae. Versantur enim et exercentur in operibus, quae prorsus nullius momenti, et sine omni sanctitate esse videntur: cum e contra Papistae hoc solum genus vitae quaerant et admirentur, quod simpliciter est abstractum, et alienum a negotiis saecularibus, a domesticis et politicis curis. Illam abstractionem a corporalibus et saecularibus officiis vocant sanctitatem et justitiam: sed valde et toto coelo errant. Sic enim debemus fidem et justitiam quaerere, ut decimemus mentam et anethum. „Haec enim oportuit facere, et illa non omittere", sicut inquit Christus, Matth. 23. (v. 23.), hoc est, quia habitamus et vivimus in carne, ideo habenda est cura carnis, excluso tamen peccato. Sunt administrandae respublicae et res oeconomicae, si quidem nondum sumus in Paradiso, nec sumus similes Angelis, sed vivimus in carne, vita animali, cui opus est cibo, potu, vestitu, domo, prole, agricultura: opus est etiam politica gubernatione et defensione contra malos. Itaque necesse est retinere illas duas partes vitae hujus, quae sunt nutrire et tueri. Domus nutrit et fovet prolem et familiam; politia defendit et tuetur haec omnia.

Describuntur igitur sancti Patres humiliter et

carnaliter in hoc inferiore gradu vitae, quo in Papistarum oculis nihil est neque sordidius, neque abjectius. Sicut dicunt, nihil aliud proponi, quam quod uxores duxerint, procreaverint sobolem, mulserint vaccas, capras etc. quae sunt opera prorsus profana et gentilia. Sed Dominus dedit nobis verum intellectum, pro quo simus grati, quia penitius haec introspicere possumus, quam Papistae, qui nihil aliud cernunt praeter ista carnalia: quae tamen non tam sunt carnalia ac opera ipsorum, quae gubernantur a Diabolo, et fiunt sine Spiritu sancto. Etiamsi enim jejunant, abstinent a conjugio, murmurant in templis, tamen in precibus eorum nullus spiritus, nullus affectus, nullus cultus Dei est, plena sunt omnia avaritia, idolatria, inani gloria et contemtu Dei.

Nos vero sic docemus: primum omnium spectandam esse personam, an sit justa et pia, id quod fit per verbum, quod credit. Tum vero exercet suum ministerium in ecclesia, docet, exhortatur, orat, discit et audit verbum, fert crucem propter verbum, mortificatur carne. Illa est persona sancta, viva et beneplacens Deo, quae progreditur ad alia externa officia, postquam audivit verbum, credidit, oravit et fecit ecclesiasticum officium, sicut David post haec prodit ad administrationem regni, audit causas, gerit bellum, instruit exercitum, facit impetum in hostes, interficit, fundit sanguinem hostilem. Haec non sunt proprie ecclesiastica, sed sunt politica. Si quis igitur dicat: David tunc non est sanctus, quia est miles, et portat gladium, ille nimis crasse judicat, sicut Papistae. Quis enim est ille David, qui *fundit sanguinem*, et gerit bellum? Est justificata

persona in ecclesia, verbo et fide; sed postea habet sibi demandatam administrationem politicam: ideo judicat, condemnat, justificat, administrat rempublicam, punit sontes, gerit bella. Et manet nihilominus homo fidelis et arbor bona: illa autem effusio sanguinis placet Deo, quanquam mundus et Monachi omnesque alii hypocritae vehementer offenduntur: propterea quod intuentur tantum in externam larvam operum, non vident verbum, non fidem, non Spiritum et impetum Dei, qui gubernat personam, non solum in sublimibus, sed etiam in politicis et oeconomicis officiis: quia ad hoc vocatus est divinitus, sicut dicitur: ut faciat omnem voluntatem meam, quae etiam hoc mandat, ut humiliet Philistaeos, Damascenos, Amalechitas, Ammonitas etc.

Quid istbuc vero? inquiunt Papistae; debebat orare, sacrificare et offerre in templo. Recte sane, etiam ecclesiastica suo loco et ordine facit. Mane orat, meditatur in verbo, credit, psallit, et diligenter ea obit, quae pertinent ad ecclesiam; postea etiam politica et oeconomica administrat, generat liberos, curat familiam, edit, bibit. Ita incedit David pie et sancte per omnes tres hierarchias, ecclesiasticam, politicam et oeconomicam.

Ad eundem modum nostra quoque vita instituenda est, ut inveniamur in ordine et statu, qui placet Deo secundum verbum ipsius. Ante omnia credas in verbum, idque confitearis, et sis paratus pati et mori pro verbo. Postea sive magistratus es, sive paterfamilias, servias vocationi tuo loco. Talis vita placet Deo, et ornatur divinitus multis magnis praemiis et successibus.

Sic igitur tractanda et adspicienda sunt exempla Patrum in sublimi illo gradu, ne contemnantur infima, carnalia et sordida exempla oeconomiae et politiae. Iam enim non sordent, nec vilia et abjecta sunt, quando fiunt a persona credente, accepta, sancta, divina, quae, quicquid fecerit, scit Deo placere: sic tamen, ne confundatur ordo, sed maneat et vivat in fide; postea placent etiam opera vocationis.

In hunc modum describit Moses Patriarcham Iacob, quomodo venerit in Haran, invenerit ibi filiam avunculi, amaverit puellam, duxerit uxorem, genuerit filios, paverit pecudes, quae omnia stulta et carnalia sunt, ut non magis apud ethnicos ipsos carnalia inveniri queant. Quia nemo videt differentiam essentialem, quae maxima est inter gentilem et hunc Patriarcham Iacob. Esau enim et Ismaël etiam colunt agros, pascunt oves, mulgent vaccas, habent familiam, praebent pabulum pecudibus, quae sunt similia opera sanctorum operibus: et tamen non sunt sancta. Quare? Quia magna et incomprehensibilis differentia est inter opera utriusque partis. Hic apud Iacob est fides et verbum: illic nullum verbum est, sed incredulitas mera. Tantum igitur distant opera Iacob ab operibus Ismaël aut Esau, quantum coelum a terra, quantumvis sint eadem opera in speciem.

Sic Erasmus magnifice ethnicorum virtutes praedicat, Socratis, Ciceronis, Attici etc., et facit comparationem: Vix, inquit, invenias apud Christianos, qui praestiterint hoc, quod Pomponius Atticus aut alii: imo apud Christianos multi inveniuntur aperte *mali et flagitiosi*, quibus ethnici hi longe fuerunt me-

liores. Respondendum est autem: Philosophice et in materia conveniunt, hoc est, in genere vitae; sed non in specie et differentia. Si enim vel Cicero vel Socrates sanguinem sudasset, tamen propterea non placeret Deo. Neque est quaestio, quae et quanta opera fecerint Alexander magnus, Hannibal, Iulius Caesar, Scipio, quos quidem majores res gessisse constat, quam ullum unquam Christianum. Illud enim robur militare, patientiam item et tolerantiam malorum et laborum non facile reperies in ullo rege Christiano, imo ne quidem in populi Israëlitici regibus, Davide aut aliis. Quare igitur non extollis eos, aut praefers omnibus Christianis regibus, Davidi et aliis?

Respondeo: Si daretur mihi optio, eligerem unius Christiani rustici aut ancillae sordidissimum et maxime agreste opus prae omnibus victoriis et triumphis Alexandri magni, Iulii Caesaris etc. Quare? Quia hic est Deus, illic est Diabolus, quae est differentia essentialis. Materia operum est eadem, sed species et differentia in infinitum diversa est, quia Deus dicit: Hujus mulierculae opera et officia domestica, quod verrit domum, obtemperat matrifamilias, mihi placent: quia respexit ad humilitatem ancillae suae, ubi etiam nihil magnorum et gloriosorum operum est, nisi quod domi humiliter fungitur officiis ancillae, sive in re culinaria, sive pecuaria. Tales erant istae duae, Lea et Rachel, quae pascebant greges patris, agebant aquatum, mulgebant vaccas et capras: haec opera placebant Deo. Hannibal autem, Alexander, Scipio, Cicero non placent. Quare? Quia genere quidem conveniunt, vel superant potius, sed specie et differentia superantur.

Hoc non omnes possunt cernere, ne Erasmus quidem vidit. Soli credentes cernunt pretium et pondus operum Christianorum. Pondus autem et pretium maximum operum est fides et verbum. Ibi enim Deus ipse est et Spiritus in operante. Homines vero, qui sunt sicut equi et muli, vehementer moventur externa specie. Ego quoque olim in monachatu longe eram sanctior, quam nunc sum, quoad externam larvam, plus orabam, vigilabam, abstinebam, macerabam carnem meam: breviter tota vita mea erat speciosissima in aliorum oculis, tametsi in meis non item; quia valde contritus et afflictus eram. Iam vero comedo et vestio generali et usitato modo, nihil praecipuum aut singulare prae aliis in vita mea eminet. Tum cum essem Monachus, nihil aliud feci, quam quod perdidi tempus, afflixi meam valetudinem, quin etiam conscientiam meam sauciavi illis justitiis operum, ut etiamnum aegre sanari queat. Quia praeter naturam, cui insita est gloriatio de operibus, etiam comparavi habitum et consuetudinem respiciendi ad mea opera et dignitatem meam. Caeterum certo scio, jam unam lectionem, unum Pater noster plus valere et Deo magis probari, quam omnes illas precationes, quas murmuravi totis quindecim annis: quia scio, me exaudiri. Nec opus est ullis vigiliis aut singularibus jejuniis et abstinentia, quia Deus dedit Angelum Satanae cum aliis difficultatibus et crucibus hujus mundi, quae magis me, quam illa omnia exercent.

Atque hactenus de loco isto, quod sanctissimus Patriarchatam presse et exiliter describitur, ut nihil differat etiam ab infimo et abjectissimo inter ethnicos. Sed inde discat lector discrimen inter Chri-

stianum et ethnicum, et eorum opera. Si enim est Christianus, vide, an colat, audiat et serio amet verbum, an exerceatur etiam cruce et vexationibus. Quodsi ita est, conveniet ad templum, libenter audiet verbum, delectabitur in eo, credet ex animo, orabit, gratias aget, habebit bonam conscientiam. Haec si videris, tum certo statue, et admirare eum tanquam sanctum et placentem Deo. Et quicquid postea rerum geret, sive in magistratu, sive in oeconomia, dices esse Deo gratum, quod remunerabitur Deus non in hac tantum, sed etiam in futura vita. Sicut dicitur in Apocalypsi (14, 13.): „Opera eorum sequuntur illos". Non solum ecclesiastica opera, sed etiam politica et oeconomica. Impiorum autem et ethnicorum opera non placent Deo. Ideo non sequuntur eos, sed moriuntur sine gloria, sine memoria, sine admiratione; nostra autem habent gloriam et inspectionem Dei et Angelorum, et sequuntur nos in illam vitam.

Sed videamus textum: „Levavit pedes". Idiotismus est Hebraeae linguae, pro quo vulgata translatio habet: Profectus est. Vide autem, quam dissimilis sit apparatus hujus profectionis superiori illi legationi, quando Abraham mittit servum, ut adducat uxorem filio et haeredi promissionis Isaac. Mittitur enim tum servus instructus auro, argento, clinodiis, camelis et honesto comitatu. Quare idem apparatus non conceditur filio Iacob, cum ipse quoque accepta promissione et benedictione sit haeres institutus? Tantum pedibus ingreditur iter, sine comitatu, sine camelis, sine ullo sumtu, vix viaticum habet. Ideo hoc idioma Hebraei sermonis observandum est, propter collationem: „Levavit pedes", hat seine Füſs

aufgehaben, pedes profectus est, nec tardavit in via, sed cum festinatione perrexit μετὰ σπουδῆς, sicut de Maria dicitur eunte per montana (Luc. 1, 39.).

Ita pauperem prorsus, abjectum et humilem pingit Iacob sanctissimum Patriarcham et haeredem benedictionis, qui tamen jam quasi solus Papa est in mundo. Eber enim senuit, qui adhuc praecedente anno vixit. Isaac est caecus et inutilis ad gubernationem. Filius Iacob jam solus est Episcopus et princeps in domo; sed dimittitur cum summo contemtu, periculo et miseria ingenti, ita ut fugiat pedester et solus sine comitatu. Non defuerunt quidem famuli, cameli, nec aurum et argentum, sed oportet eum pauperrimum et miserrimum esse, et nihil in loculo praeter viaticum habere. Quae est causa? Haec est, quam supra audivimus. Mater Rebecca dixit: Audi, fili mi, et fuge. Fuga est in causa et furor fratris, qui minabatur ei mortem. Sapienter igitur fecit Rebecca, quod clam eum adornavit et instruxit viatico, ut se posset inscio fratre et tota familia subducere, hat sich müssen heimlich hinwegstehlen. Tace, dixit, et vade clanculum, fuge, quantum potes. Illa fuga periculi non est passa magnum apparatum et comitatum, ne impediretur tarditate jumentorum et camelorum, et prehenderetur ab irato fratre.

Iudaei hic praeter rem nugantur, non esse verisimile, quod Isaac minus honorifice ablegarit filium, quam Abraham supra servum ablegavit. Ideo fingunt, Eliphas, filium Esau natu maximum, cum manu armatorum insecutum esse Iacob, et prehensum spoliasse omnibus bonis.

Haec Lyra approbat: sed sunt merae fabulae Iu-

daicae. Iacob enim non est missus a parentibus cum comitatu, sicut servus Abrahae, qui erat tutus et extra omne periculum, non fugiebat. Iacob autem fugit clam, ignorantibus omnibus affinibus, insalutato et inscio fratre, qui ipsum oderat et persequebatur. Ideo dicitur: „Levavit pedes suos, fugit" etc. Et fuit sane prudentissimum consilium matris, quae magis de vita et incolumitate filii fuit sollicita, quam de pompa et comitatu magnifico, ne temere filium in periculum praecipitaret. Et Iacob matri studiose obtemperat: non tergiversatur, nec cessat, sed pergit et festinat.

Hoc supra diximus urgendum esse contra illos audaculos et temerarios, qui dicunt: Si habeo promissionem, rem etiam ipsam habebo, tametsi nihil agam. Istae cogitationes sunt rejiciendae et damnandae ex hoc exemplo Iacob, qui audit matrem et fugit, etiamsi habet promissionem. Non dicit: Habeo promissionem: igitur salvus ero et incolumis, tametsi non sequar consilium matris. Non enim dantur promissiones ad stertendum et otiandum et dormitandum, aut ad facienda ea, quae etiam promissioni repugnant: sed ad laborandum, ad vigilandum et ad fructificandum. Sic non baptisor, non ideo utor Coena Domini, aut absolvor, ut dormiam, et stertam domi otiosus: sed si habes promissionem, Baptismum, absolutionem, memento, te vocatum esse ad vigilandum, ad sollicite curandum ea, quae et fidei sunt, et vocationis. Si mortui sumus peccato", inquit Paulus (Rom. 6, 2.), „quomodo vivemus"? Non absolvimur a peccatis, ut eis vivamus et serviamus: sed ut repugnemus, et fortiter in promissione perseveremus, ut macerem et mortificem carnem, et

feram aequo animo, quando Deus imponit crucem, ut purgemur, et fructum ampliorem feramus. „In hoc, inquit Christus (Ioh. 15, 8.), glorificatur pater meus coelestis, si fiatis mei discipuli", id est, si patiamini ut ego, si efficiamini mihi conformes. Qui enim non est crucianus, ut sic dicam, non est Christianus: quia non est similis praeceptori suo Christo.

Hoc ergo primum est, quod maximus Patriarcha, qui solus tum erat Episcopus et lucerna ardens in toto mundo, habens benedictionem, promissionem et verbum, tamen vivit et agit, ac si prorsus nihil haberet. Quare? Quia ibi non est ecclesiasticus homo; sed oeconomicus et miserrimus, facit oeconomica et vulgaria officia, de quibus Deus nihil determinavit in promissionibus, neque de modo auxilii et gubernationis, neque de eventu. Sicut nobis non dedit promissionem, quod hoc anno futura sit pax, et felix annonae proventus. Non igitur dicam: Nescio, quid futurum sit: igitur nihil agam. Quin potius dicit Deus: Fac tuum officium, et mihi reliqua permitte, lass mich das ander machen. Non dixit, es wird gerathen, evenient omnia feliciter: sed fac officium. Tu non debes scire, quomodo aut quid eventurum sit. Tu es justificatus; vade igitur, et exerce fidem in oeconomia, in politia. Et pro hac cognitione voluntatis Dei et vocatione Deo gratiae agendae sunt, quod homo ecclesiasticus, id est, habens verbum et fidem, scit, se placere etiam in inferioribus gradibus, in politico et oeconomico vitae genere, sive famulus, sive famula sit, sive magistratus, sive subditus. Si modo potest esse pars politiae et oeconomiae, agat gratias Deo, et sciat, se habere Deum faventem et propitium.

Deinde pertinet hoc ad consolationem nostram, quando proponuntur exempla sanctissimorum Patriarcharum, non tantum in sublimibus et heroicis virtutibus, sed etiam levissimis et vilissimis actionibus, in sordidis illis et contemtis vitae oeconomicae opusculis, ne desperemus, aut cogitemus, nos, quando his vitae officiis occupamur, a Deo abjectos et spretos esse: sed sciamus, sanctificari omnia verbo et fide: quanquam mundus hanc sanctitatem non cernit, sed quando etiam de sanctissimis hominibus vulgaria ista officia commemorari audit, omnem operam ludi putat et bonas horas male collocari in lectione horum legendarum, quia non est dignus, ut videat gloriam Dei, juxta illud: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Soli credentes vident et intelligunt opera Dei. Ideo in nostris, imo Dei oculis sunt haec pretiosa.

Neque est, quod cogites aut mireris, quare delectetur Spiritus sanctus descriptione horum servilium et contemtorum operum. Sed audi divum Paulum dicentem (Rom. 15, 4.): „Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus". Si firmiter crederemus, sicut ego, licet infirmiter credo, Spiritum sanctum ipsum et Deum, conditorem omnium rerum, esse auctorem hujus libri et rerum tam vilium, ut videntur carni, tunc haberemus maximam consolationem: sicut ait Paulus. Imo cor nostrum posset in hoc gloriari et superbire, quod Deus dignatur recordari et meminisse horum Patriarcharum, quod noluit eorum oblivisci. Et non solum heroicas virtutes, sed etiam ipsas sordes operum voluit celebrari, et tanquam *gemmis et auro his descriptionibus* ornari, ac pro-

poni toti orbi terrarum vulgandas, legendas, cognoscendas. Credentibus ergo omnia cooperantur in bonum, imo in gloriam, quae etiam vilissima, sordidissima, contemtissima erant. Quia vident, Deum istis delectari, ut canat et psallat non solum magnificas et eximias sanctorum virtutes, sed etiam minima opuscula: quia sunt opera Dei. Ideo delectatur Deus in operibus suis, sive maxima sint, sive minima, nobis in maximam consolationem, juxta sententiam (Ps. 147, 11.): „Beneplacitum est Domino super timentes eum". Item in Psalm 56. (v. 9.) inquit David: „Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, fugas meas numerasti".

Quid igitur? Num nihil aliud habet, quod agat Deus, quam ut lacrymas et fugas Davidis numeret? An non occupatus est in administratione mundi, item audiendis choris Angelorum laudantium et benedicentium sine fine? Quid potest dici mirabilius? Et tamen verum est. Haec quoque cura incumbit Deo, ut numeret lacrymas et fugas Davidis. Sic alius Psalmus (9, 13.) canit: „Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamoris pauperum". Item (Ps. 116, 15.): „Pretiosa mors sanctorum in conspectu Domini". Imo Moses ait ad Pharaonem (Ex. 10, 26.): „Ne ungulam quidem unam relinquemus". Non modo viri, mulieres, parvuli, jumenta exibunt ex Aegypto: sed quicquid habemus, etiam minimam ungulam, non relinquemus. Non solum igitur pretiosa sunt in conspectu Domini heroicae virtutes, magnifica opera, quae per nos operatur, sanguis item et mors ac gravissima certamina: sed etiam ungulae ipsae vilissimae pretiosae sunt. Quin Christum audi, der machts noch besser (Matth.

10, 30.): „Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt"; ihr sollt nicht ein Haar verlieren. Quid, quaeso, vilius et neglectius est in toto corpore humano, quam pilus, capillus, unguis? Et tamen hi quoque numerati, et patri, qui in coelis est, curae sunt.

Ad hunc modum tractanda sunt haec exempla vilium et sordidorum operum in sanctis, ut doceant et consolentur nos. Non enim negamus, esse abjecta et vilia, si instrumentum tantum, in quo fiunt, adspiciamus, sed ad Deum ipsum auctorem respiciendum est. Sive enim sordes, sive gemmas sanctorum et operum eorum videas, tamen placent Deo auctori pariter vilium et honestorum operum; sunt enim opera Dei, et Deus est cooperator. Magna igitur et infinita haec consolatio est iis, qui credunt. Et ideo ista describuntur, ut videamus, quam tenere nos diligat et complectatur Deus, quantam et quam anxiam curam nostri gerat. So genau siehet er auf mich, daſs er Sorg hat, ich verlier ein Haar. Quodsi capillos numerat et curat, multo magis ergo corpus, animam, sanguinem et omnes passiones.

Sed haec nimis sublimia sunt; propterea non credimus, et quo viliora et sordidiora sunt opera, eo etiam minus credimus. Sordes ipsae et vilitas operum impediunt fidem nostram. Alioqui in immensum amplificaremus misericordiam Dei in his minutissimis et levissimis operibus, et fides nostra maxime corroboraretur. Tanta enim cura et sollicitudo Deo est de nobis, ut non queat oblivisci unius capilli, unius lacrymulae aut perturbatiunculae, ut sic dicam. Et hoc vult Spiritus sanctus, quando sic in-

firmiter incedit in describendis suis sanctis, quod omnium maxime minima opera sanctorem placent Deo. Es ist ein köstlich Ding umb ein Christenmenschen, es ist nichts so gering an ihm, es gefällt Gott. Sanguinem fundere, mori, sudare, certare et luctari adversus Diabolum revera est magnum, et vehementer placet Deo. Sed sic statuas: quando es fidelis, tum placent Deo etiam physica, carnalia, animalia officia, sive edas, sive bibas, sive vigiles, sive dormias, quae mere corporalia et animalia sunt. Tanta res est fides.

Primum omnium igitur vide, ut fias Christianus et persona grata et accepta per verbum, per Baptismum et sacramenta. Si persona credit, et adhaeret verbo, non persequitur illud, sed agit gratias pro eo: tum nihil aliud facias, quam quod Salomo dicit (Eccl. 9, 7—10.): „Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum uxore, quam diligis cunctis diebus vitae vanitatis tuae, qui dati sunt sub sole omni tempore vanitatis tuae. Haec est enim pars in vita et in labore tuo, quo laboras sub sole". Quid requires amplius? Quid posset dici jucundius, suavius et clarius?

Verum est quidem, placere Deo etiam in impiis sedulitatem et industriam in officio. Sed obstat incredulitas et vana gloria, ne possint opera sua referre ad gloriam Dei. Vitium et peccatum est in persona, quae Deo non placet. Merentur igitur etiam impiorum bona opera in hac quidem vita praemia sua, sed non numerantur, non colliguntur in utre,

juxta Psalm. 56. (v. 9.) sententiam. Sanctorum autem lacrymae, fugae, tentationes, opera minima, maxima numerantur in aeternum laudanda et celebranda.

Dulcissima igitur haec consolatio est, quam monstrat Paulus, Rom. 15. (v. 4), quando dicit, nihil frustra scriptum esse in scriptura sancta. Quia certum est, haec infima et levissima ideo proponi, ut significetur beneplacitum divinum in sanctis suis. Semper enim manet remissio peccatorum et acceptatio, ac sub nube et umbraculo alarum et protectione Dei vivunt, quam diu sunt in gratia. Atque haec nobis quoque applicemus. Si enim sumus Christiani et vere pii, scimus, nos esse similes summis illis sanctis, si non in summo gradu maximarum virtutum, tamen his infimis et sordidis actionibus hujus vitae, et quod ad curam et protectionem Dei attinet, non minus nos diligi atque illos. Cujus tenerrimae et ardentissimae dilectionis certum pignus habemus Filium Dei, propter quem diligit nos Pater, et „consedere nos fecit in coelestibus", sicut inquit Paulus (Eph. 2, 6.). Sciamus, etiam ad nos pertinere, quod in Psalmo 37. (v. 23. 24.), dulcissime dicitur: „A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam": tantum credamus et assentiamur huic promissioni. Sicut enim parentes diligentissime observant filiolos, ne forte cadant, ne qua impingant aut offendant, et si vident maculam aut pituitam genis adspersam, abstergunt et emungunt: id quod hostis et alienus non facit: si pluma capillis inhaeserit, pectunt et ornant; tanta etiam cura, tantus amor et vera paternitas Dei est erga omnes, qui credunt in eum.

Haec in summa de doctrina hujus capitis dicta sunt. Quae sequuntur simpliciter sunt oeconomica, quae perlegemus, et ea, quae ad grammaticam pertinent, excutiemus. Pervenit in terram filiorum orientis. Latine in terram orientalium, vel in orientem, usitata phrasis est Hebraeae linguae. Sic enim filius mortis dicitur, qui est occidendus, filius pharetrae, id est, sagitta, filius superbiae pro superbo. Estote filii fortitudinis, hoc est, estote fortes. Filius Belial pro malo et nequam.

Profectus est igitur sanctissimus Patriarcha Iacob in terram filiorum orientis, sive orientalium: qua appellatione generali totius regionis tecte significat scriptura sancta, quanquam servile et leve id videretur, fuisse tamen arduum et difficile opus, natum ex verbo et fide: quia fuit peregrinandum in regione ignota, cujus nomen etiam non exprimitur. Non enim Haran appellat, sed orientem, qui nondum fuit cognitus aut cultus Arabibus et Syriis; nihil ibi fuit praeter Babel. Dicit igitur simpliciter, eum profectum in orientem, hoc est, in chaos quoddam ignotum et desertum. Sicut supra Abraham ex Chaldaea egressus est nesciens, quo tenderet, aut ubi locorum pedem figeret, wagets auf unsern Herrgott. Fuit igitur peregrinatio in speciem servilis, sed revera magnae et ardentis fidei opus, quia nescit, in quod chaos hominum et locorum deferatur, nec homines, nec loca, nec diverticula viarum cognita habet: nescit, ubi singulis noctibus idoneum habiturus sit hospitium. Ita supra modum periculosum iter et molestum fuit. Ac interea fide per totum iter luctatus

est

est cum morte et Diabolo, incertus, quo iret, aut qua fortuna eo, quo tendebat, perveniret.

Forte autem conspicatur puteum in campo, ad quem applicat. Id quoque servile est, nisi quod hic incipit ei ostendi consolatio, cum venit ad locum, in quo est tutior et securior, et insuper audit de avunculo Laban. Nihil amplius, quod dicam, habeo; ideo nihil addam. Nam allegoriis non delector, quia litera nos certius et plenius erudit, quam allegoria. Satis est nos scire, quod ista sordida et servilia opera sanctorum Deo probantur. Unde nihil dubitamus, nos, cum sumus in vocatione, quaecunque fecerimus, aut passi fuerimus, placere Deo, usque adeo ut voluerit Deus id in hunc librum referri et celebrari omnia ista opera sanctorum. Non passus est, ea tradi oblivioni. Litera et textus ipse per se clarus est. Allegorice per tres greges ad unum puteum intelligunt Trinitatem; Mosen vero per lapidem illum magnum et gravem; sed nihil ad me, relinquo aliis.

Dixitque ad eos Iacob: Fratres mei, unde estis? Qui responderunt: De Haran sumus. Et dixit ad eos: Numquid nostis Laban, filium Nahor? Dixerunt: Novimus. Dixit rursus ad eos: Numquid est illi pax? Responderunt: Pax. Et ecce Rachel, filia ejus, advenit cum grege. Dixitque Iacob: Est adhuc alta dies, nec est tempus, ut reducantur ad caulas greges, adaquate oves et ite, pascite. Qui responderunt: Non possumus, donec congregentur omnes gre-

ges, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus oves.

Haran civitas est Mesopotamiae, ubi postea Crassus ingenti clade a Parthis victus est. Laban autem est nepos Nahor, non filius: et is jam erat mortuus. Bethuel, filius Nahor, fuit pater Laban et Rebeccae. Ideo autem nominatur Nahor, quia est pater et caput istius familiae. Quaerit Iacob: Estne illi pax, id est, valetne? Hebraismus est.

De lapide putei grammatici quaestionem movent, utrum lege cautum fuerit, ne quis unus amoveret lapidem, et potaret gregem suum, priusquam omnes convenirent, an magnitudo et gravitas lapidis tanta fuerit, ut duorum aut trium robore conjuncto ad amoliendum eum opus fuerit. Ego non puto fuisse statuto aliquo prohibitum, sed tantam fuisse molem lapidis, ut unus aut duo non potuerint eum removere. In Mesopotamia autem, quia non fuit magna copia aquarum, diligenter fontes custodiverunt, et texerunt grandibus saxis obvolutis. Deinde pastores gregum non omnes robusti viri fuerunt, sed adolescentes et puellae, qualis Rebecca erat, adhibiti ad custodiendos et continendos greges. Illi convenerunt ad fontem, et exspectaverunt validiores, per quos revolveretur lapis; sicut Iacob accedit, et solus amolitur lapidem. Hanc ego existimo esse causam, cur plurium opera fuerit opus, salvo tamen aliorum judicio.

Adhuc ipse loquebatur cum eis, et Rahel veniebat cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat. Cum autem vidisset Iacob Rahelem, filiam Laban, fratris ma-

tris suae, et oves Laban, fratris matris suae, accessit ipse Iacob, et revolvit lapidem ab ore putei, et potum dedit gregi Laban, fratris matris suae. Osculatus quoque est Iacob Rahelem, et levans vocem suam flevit, et indicavit ei, quod frater esset patris sui, et filius Rebeccae. Unde illa cucurrit, et nuntiavit patri suo.

Commentarii Hebraeorum annotarunt, et idem textus videtur significare, Patriarcham Iacob irruente in ipsum Spiritu sancto ita corroboratum esse, ut illo impetu Spiritus sancti solus potuerit revolvere lapidem. Deinde cum in exsilio inveniret consanguineam Rahel, sumsit animum, et magnam spem nactus est, se tandem hoc consecuturum, quod animo versabat, et quod pater mandaverat de ducenda uxore. Ideo statim ad primum intuitum amore accenditur, et exserit se στοϱγὴ φυσική erga cognatam, ita ut duplex impetus fidei et amoris corpus et animum redderet vegetiorem. Voluit enim se praebere virum robore et agilitate, ut caperet animum puellae, eamque in sui amorem illiceret.

Atque haec quoque tantum naturalia sunt; sed ideo scribuntur a Spiritu sancto, ne quis putet, ea turpia aut illicita esse. Est enim Christianum et pium, amare puellam, quam jungas tibi connubio, quia est naturalis στοϱγὴ et inclinatio sexus ad sexum, quae quanquam non careat prorsus peccato, tamen Deus non vult tanquam inhonestam contemni: quia est opus Dei conditum in natura hominis, quod non solum non contemnendum aut contumelia afficiendum est, sed etiam honorandum. Vult enim Deus glorificari in omnibus operibus parvis et mag-

mis. Non vult contemni, ne in minimo quidem, sicut inquit Christus (Matth. 25, 40.): „Quod uni ex meis minimis fecistis, id mihi fecistis". Ita etiam praecepta et ordinationes Dei etiam minimas non debemus abjicere aut conculcare. Si vis aquam bibere, bene est; bibe, et gratias Deo age: si non libet eam bibere, ne contemnas.

Sunt igitur haec carnalia, juvenilia et muliebria, merae sordes: et tamen recitantur a Spiritu sancto, non ad provocandam libidinem, non ad accendendos turpes amores in animis adolescentum: sed ad alendam spem et dignitatem conjugii, et ut testetur Spiritus sanctus, quod non displiceat Deo conjugium, neque etiam amor sponsi et sponsae: si quidem Deus eum creavit et ordinavit. Non igitur blasphemes tanquam turpem et illicitum, sicut Monachi conjugium impurum et periculosum vitae genus dixerunt.

Existimo igitur, Iacob ea hora, qua adspexit cognatam, fuisse quodam modo raptum et ita animatum spiritu, ut solus lapidem posset provolvere, quam ad rem alioqui quatuor aut quinque puerorum robore opus erat. Et hanc gratiam ac obsequium puellae voluit praestare, ut in tempore greges suos posset potare. Ipsa vero nondum scit, eum sibi cognatum esse. Post lapidem revolutum accedit et figit osculum puellae, ignotus et peregrinus, antequam eam salutat, quod etiam videtur turpe, et his nostris moribus nec usitatum, nec decorum est. Sed studivit antea ex aliis pastoribus, qui dixerunt: Ecce, Rachel venit etc. Scivit ergo, eam sibi sanguine junctam esse, et fuit in moribus istorum hominum, ut in congressibus et salutationibus adderent oscula, *quod in Belgico* hodie et in aliis etiam regionibus

usitatum est. Nostri homines tantum porrigunt manum, et virgines aut matronas modeste et verecunde amplectuntur: So manch Land, so mancher Sitt. Fuit igitur significatio quaedam amoris erga cognatam et futuram conjugem, quam hoc osculo ostendit, perinde ac si manum porrexisset, aut obtulisset munus aliquod.

Atque inde ortum est robur illud in amoliendo lapide, videlicet ex στοϱγῇ erga consanguineam, deinde ex amore erga sponsam, quam vidit sibi divinitus destinatam et oblatam esse: tertio accessit singularis laetitia, propterea quod videret, se tandem attigisse portum post iter tam difficile et periculosum. Auxit autem haec omnia et confirmavit Spiritus sanctus. Postremo dicitur Iacob frater patris Rahelis, Hebraeorum more, qui nepotem ex sorore appellant fratrem, sicut Moses ipse explicabit, cum dicet, Laban audivisse rumorem de Iacob, filio sororis suae.

Factumque est cum audisset Laban rumorem de Iacob, filio sororis suae, occurrit obviam ei et amplexatus est eum atque osculatus, et introduxit eum in domum suam, et ille narravit ipsi Laban omnia verba ista.

Vides, haec prorsus pastoralia et bucolicorum in modum descripta esse. Et tamen in his Spiritus sanctus adeo verbosus est, ut lectori profano taedium et fastidium pariat. Alias historias de rebus maximis, de conflagratione Sodomorum, de immolatione Isaac paucissimis verbis, vix quinque aut sex versibus complexus est. Quando autem in haec sordida, carnalia et stulta incidit, supra modum copiosus est, ideo

nimirum, ut sciamus beneplacitum esse Domino super timentes eum. Si enim sumus fideles et certi de misericordia Dei gratuito oblata, nihil dubitemus, quin, quicquid agimus, Deo maximopere placeat: quod etiam capillos capitis in numerato habeat: imo oscula et amplexus placeant, et amolitio illa lapidis, quae omnia tanquam summa et praestantissima opera in oculis Dei et Angelorum hoc loco recitantur. Non potuit eorum oblivisci Deus, sed voluit scribi ad nostram doctrinam et consolationem.

Quantumvis igitur duriter in hac vita exerceamur, et multis calamitatibus, morti denique ipsi simus obnoxii, tamen sciamus, esse omnia pretiosa, juxta illud: „Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus“ (Ps. 116, 15.). Idem de aliis operibus sentiamus, sive edimus, sive bibimus, sive dormimus, sive vigilamus. Sicut inquit Paulus, Col. 3. (v. 17.): „Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum“. Et in his inferioribus exerceamur, ut paulatim progrediamur et adsuescamus ad sublimiora. Fides autem, quae maxima et heroica operatur, demittit se etiam ad domestica et servilia, pascit greges ovium, ducit aquatum, mulget capras, quia Deus fecit utrunque, stultum et sapientem, parvum et magnum, pretiosum et vile. Aeque igitur placent famuli aut famulae ac domini opera, mulieris aeque ac viri. Tantum crede et honora Deum ante omnia in ecclesia, effice, ut maneas in verbo ejus. „Si manseritis in me, inquit Christus (Ioh. 15, 7. 8. 10.), et verba mea in vobis manserint, fructum plurimum afferetis, et fructus vester manebit“.

Spectanda igitur est fides et persona, quae est
ı gratia. Tanta enim magnitudo divinae bonitatis
ffusa est super nos, ut numeret et observet etiam
ıinima opera nostra: quaecunque aut qualiacunque
ındem sint, omnia sunt laudabilia et grata, quia
ersona placet. Nec locum habet judicium carnis,
uae dicit, pertinere ista ad profanum aliquem scrip-
ırem, tanquam indigna sacris monumentis. Imo ne-
ignarentur quidem Graeci aut Latini auctores talia
e suis heroibus celebrare, quia non intelligunt, quid
t vita pietatis, quae placeant, quae displiceant Deo,
ecundum sententiam illam: „Tollatur impius, ne vi-
eat gloriam Dei".

Legamus itaque haec cum reverentia, et gratias
eo agamus, quod scimus, nos placere Deo etiam
ormiendo, comedendo, bibendo, nubendo, cohabi-
ndo maritis, liberis, uxoribus, gubernando fami-
ım, mulgendo capras. In his exerceamus nos, quia
que grandia et mirabilia sunt, ac sublimia illa,
opterea quod fiunt a persona grandi, quae credit
est haeres regni coelestis. Si Deo placuerit, ve-
et dies aut hora aliqua, in qua faciemus etiam
agna et heroica.

Atque hanc suam voluntatem et beneplacitum
iam in affectibus parentum erga liberos pinxit Deus.
idemus enim in oeconomia, patrem et matrem ma-
s affici et delectari, si filiolus aut filiola afferat
seulum, aut aliud quippiam leviusculum, quam si
rvus aut ancilla apportet saccum aut trabem ingen-
n. Illa opera leviuscula, suavia et grata sunt in
eris, quae in servis et ancillis contemnerentur. Ideo
ud est describere legendas hypocritarum et Mona-

chorum, quam vere sanctorum. Illi rident horum opera et vitam totam tanquam impuram, et somniant, se posse Deum suis facticiis et prodigiosis operibus placare; sed sunt damnata a Deo, quia non fiunt a persona grata aut accepta. Videamus igitur reliqua non minus stulta et carnalia judicio hypocritarum. Et jam novus locus sequitur, quomodo Iacob factus sit sponsus.

Ad quem Laban ait: Utique os meum et caro mea es tu. Et mansit cum eo per dies mensis.

Bene habent sese principia, ut solent hypocritae. Talis enim describetur Laban per totam historiam, avarus, et πλεονεκτικός. Et pulchre convenit nomen Laban; significat enim album, quia magnam speciem pietatis, disciplinae et morum habent hypocritae, ita ut nihil videatur illis sanctius, nihil honestius, nihil religiosius. Sed inversa voce rectius Nabal dictus esset. Magnam igitur pietatem et amorem erga fratruelem prae se fert. Sed interim cogitat: En nactus sum servum optimum et commodissimum, qui pro meo arbitrio omnia cogetur facere et ferre, quia est fugitivus et exsul, qui nullum alium receptum potuit invenire: pauper est, famelicus et nudus. Hoc carcere et vinculis satis firmis detinebibitur in mea domo; absque me enim esset, fame ei pereundum foret.

Initio tamen hypocritarum more ei blanditur: os meum et caro mea es tu. Occurrit ei obviam, amplectitur, osculatur, ac si serio et vere eum diligeret. Sed mox prodit animum tectum et infidum: sicut alioqui post tres saepe dies vilescit piscis et hospes, ut

vulgo dici solet. Describitur itaque Laban speciosissimus hypocrita, quod ad externa opera et verba attinet; sed qui intus alit idolatriam, superbiam, avaritiam, contemtum proximi, et tantum spectat suum commodum. Cum isto vivendum est bono et sancto viro Iacob. Ac vide, quaeso, quam exigua sint initia tantorum honorum et dignitatis summi hujus Patriarchae, ex quo tot reges, tot Prophetae, Christus ipse et Apostoli orti sunt, penes quem universa majestas est aeternae vitae, qui est rex et sacerdos, et universam benedictionem a patre consecutus est. Is est pauperrimus et abjectissimus, adeo ut non habeat, ubi figat vestigium pedis. Id nimirum est ex nihilo creare hominem.

Dixit vero Laban ad Iacob: Num quia frater meus es, servies mihi gratis? Indica mihi mercedem tuam.

Fuit Iacob mensem unum apud Laban, quo tempore non sane gratis ab eo alitus est, quia haud dubie non fuit otiosus, sed fecit officium hominis pii et fidelis, non solum inopia et egestate impulsus, sed quia erat in eo Spiritus sanctus, quo moventur sancti homines ad omnis generis honesta et pia officia, quibus etiam benedicit Deus, ut prosint pluribus; sicut Ioseph, cum nihil haberet praeter victum et amictum, tamen ditavit dominum suum, et quidem sine ulla exspectatione mercedis. Tales nimirum sunt, de quibus inquit Paulus, Col. 3. (v. 23.): „Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus“, Id genus servorum est rarissimum, qui ita serviunt fideliter, non ut placeant hominibus, sed Deo. Talis autem fuit Iacob illo men-

se et toto tempore, quo servivit Laban: non fuit otiosus, sed sponte operas domesticas et summa sedulitate obivit, pavit pecora, praebuit eis potum, et similia omnia, qua potuit fide et diligentia, curavit. Id vero perplacuit avaro Laban, cum videret eum tam studiosum et excitatum esse ad serviles operas. Ideo statim cum eo de mercede paciscitur, quae est maxima commendatio diligentiae et industriae Iacob cum fidelitate insigni conjunctae.

Ac sane insignis et rarissima virtus est, praesertim inter consanguineos et cognatos, ubi paucissimos invenias, qui cognatis fideliter inserviendum existiment. Videntur enim jure quodam vorare, rapere, profundere ea, quae sunt cognatorum. Rarissimi sunt affines aut propinqui, qui sint similes Iacob et Ioseph, aut tales, qualis erat Naaman apud regem Syriae, cui possis committere rei familiaris curam et administrationem. Vidit igitur Laban, se nactum esse servum ex animi sententia, sedulum et assiduum, cujus opera pecoribus optime provisum esset, familia in ordinem redacta et pulcherrima disciplina instaurata in domo, cum magno incremento rerum omnium. Hoc testatur vox, quae sequitur: Modicum habuisti, cum venirem ad te. Et accessit simul benedictio divina propter servum fidelem, qui revera erat salus et columen familiae. Nolo igitur, inquit Laban, ut gratis mihi inservias. Quia videt, eum non esse ignavum pecus, cujusmodi hodie famulos et ancillas habemus, sed plus facere, quam mandatum esset, in usum et commodum avunculi sui. Sequitur igitur merces pro tam fideli servitio.

Habebat vero Laban duas filias. Nomen majoris erat Lea, minoris vero nomen Rachel. Porro oculi Leae erant teneri, Rahel vero erat pulchra forma et venusto adspectu. Dilexitque Iacob Rahelem, et ait: Serviam tibi septem annis pro Rahele, filia tua minore. Respondit Laban: Melius est, ut tibi eam dem, quam alteri viro: mane apud me. Servivit ergo Iacob pro Rahele septem annis: et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine.

Haec vero prorsus puerilia et carnalia sunt. Quid enim est, quod sanctissimus vir, tantis promissionibus a Deo ornatus, cui Deus ipse apparuit illustrissima visione, hac aetate juvenescit, et propemodum repuerascit? Videt duas puellas, et unam formosiorem altera, quarum hanc forma praestantem amat, alteram non amat. Num id decere videtur Iacob octogenarium? Certum enim est, eum tum annum octogesimum, aut ad minimum septuagesimum octavum attigisse. Ea vero aetate incipit primum juveniliter ludere et amare. Quare tandem scribit ista Spiritus sanctus, et proponit nobis legenda, quasi aedificandi simus ex hoc facto tam turpi? Nam quod plus est, infra dicetur, dilexisse filium suum Ioseph, propterea quod natus esset in senectute sua. Id tempus non amplius quatuordecim annis abfuit: et tamen dicitur senectus Iacob. Non igitur decorum est, tam sanctum virum sic ineptire et lascivire, ut spectet formam puellae, et magis amet formosam, quam deformem. Non enim potest dici, quod fecerit amore prolis, si quidem mulieres non formosae plerunque sunt fecundissimae, ut apparet in Lea. Et ea

tamen nullo partu impetrare potuit, ut amaretur tantopere a Iacob, sicut Rahel amabatur. Non igitur potest excusari praetextu quaesitae prolis; sed sunt haec simpliciter jocularia et ridicula, amare puellam propter formam, non propter prolem.

Iure id quidem debebat fieri, ut amaremus sexum simpliciter propter prolem et generationem, ad quam conditus est a Deo, non ut eo ad libidinem tantum abuteremur, sicut aedificium totius muliebris corporis testatur, quod habet sua organa et membra, quibus concipiat, alat, gestet fetum. Sed pauci hoc considerant, et Iacob quoque ab hoc fine aberrat; amat enim Rahel propter formam, et Leam minus formosam non amat, quod tamen senibus minus convenit, quam adolescentibus, ut fiant spectatores formarum.

Sunt autem haec docenda et agitanda in ecclesia, ne abhorreamus a conjugio: sicut Papistae id deformarunt suis deliriis, et damnarunt. Ideo enim scribit haec Spiritus sanctus, ut testetur, Deum non abjicere et reprobare etiam eos, qui spectant formam in conjuge, et quod electio illa sit sine peccato. Propterea nemo putabit, se peccare, si praeferat formosam deformi. Ita haec quoque nos docent et aedificant. Deinde Iacob speravit prolem ex forma et viribus corporis praestante: quia id sane debebat fieri in jungendis connubiis, ut deligerentur et jungerentur robusti cum robustis, industrii cum industriis. Sicut id discrimen servatur in brutis, in bobus, equis, ovibus, gallis et aliis animantibus omnibus. Inter homines non perinde fit propter corruptionem ex originali peccato conceptam; inde enim fit, ut alii robusti, alii infirmi generentur, alias leprosi, alias caeci, alias

fatui, vitio et culpa parentum. Quia ferendum est, ut copulentur robusti cum infirmis propter peccatum originale, cui malo occurrendum est remedio conjugii divinitus monstrato, quomodocunque aut quicunque jungantur.

Sic et animalia omnia habent stata tempora generationis. Solus homo habet errantes et vagos motus ex veneno morbi originalis, quibus non aliter potuit consuli, quam hac conjunctione, ubi qui potest formosam et viribus integris conjugem habere, habeat sane. Qui non potest delectum habere, ducat eam, quae offertur, sive sit formosa, sive non. Deinde conjugium post peccatum originale carni valde molestum et grave est propter conjunctionem indissolubilem. Etsi enim manet appetitus et amor sexus ad sexum, tamen vinculum illud, de quo Moses dicit, quod debeat uxor esse coram marito inseparabilis vitae socia, est admodum durum et difficile. Quaecunque enim calamitas accesserit sive corporum, sive fortunarum, sive prolis, manet tamen firmum illud et indissolubile vinculum. Et tollitur omnis electio, nec conceditur ulla permutatio, nulla rejectio aut repudium. Accedit insuper Diabolus, hostis omnium ordinationum Dei, qui variis modis molestat et excruciat conjuges. Propter tot et tantas molestias ac difficultates conjugii non est malum, si quis eligit formosam, et corpore et viribus integris, quo diutius et facilius possit hoc vinculum conjugii cum omnibus molestiis tolerare. Neque enim consultum est eligere eam, quae principio statim odiosa et molesta sit, quia Satan etiam forma praestantissimos et summo amore mutuo se complectentes alienare et distrahere solet.

Et Spiritus sanctus hoc loco docet, non esse damnatam a Deo istam electionem. Commendat enim eam, vel potius indulget huic sanctissimo Patriarchae, ut juveniliter amet formosam magis, quam deformem: er laessts geschehen. Quia conjugium ejusmodi vitae genus est, quod opus habet remissione peccatorum et indulgentia Dei, ut Deus conniveat non solum ad libidinem illam, modo sit legitima per conjugium, sed etiam ad errata et offensiones familiae, liberorum, conjugum, quae solent incidere in oeconomia. Sicut enim politiam et ecclesiam sub remissione peccatorum esse necesse est, ita et conjugum vita est sub indulgentia Dei et remissione peccatorum. Non vult damnari Deus conjugalia illa, quod maritus deligit et amat uxorem formosam, quod quidem principio non est difficile in primo fervore amoris, quo ardent mutuo sponsus et sponsa; sed paulatim defervescit. Imo quandoque post mensem degenerat in accerrimum odium, instigante Diabolo et fascinante animos conjugum variis et mirandis modis.

Haec igitur hujus peccati, quod hypocritae exagitant in hoc Patriarcha, non quidem excusatio est: sed est praedicatio divinae indulgentiae, qui non damnat istam reprobationem Leae minus formosae, et electionem alterius formosioris. Papistae lasciviam interpretantur, sed non vident, quae causa ad conjugium eum impulerit. Incumbit enim Iacob habenti promissionem cura de posteritate: ideo sollicitus est, unde habeat uxorem commodam et placentem, potius quam ubi sedem certam et domum inveniat, *contra omnes* rationes philosophorum et sapientum

praecepta. Hesiodus, (Opp. et dies. v. 463.) inquit: οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα. Hic noster Iacob nihil horum curat, non domum, non bovem, non alia necessaria, sed primum omnium uxorem eligit.

Deinde ne hoc quidem cernunt Papistae, quod lateat sub juvenili isto amore senis Patriarchae insignis castitas. Cum enim per se Spiritus sanctus non reprobat mutuum amorem sponsi et sponsae, tum vero simul indicat, quam castus fuerit Iacob. An non enim haec insignis castitas est, quando masculus vivit continenter et caste usque ad octogesimum aut LXXXIV. annum; nam octogesimo quarto anno Iacob primum factus est maritus. Tam diu vixit caelebs post primum florem aetatis suae usque ad annos senectutis. Nam quatuordecim annis post vocabitur senex. Si igitur hoc spectant Papistae, quod elegerit pulchram puellam, cur non etiam hoc vident, quod vixit continenter usque ad octogesimum quartum annum? Ac fuit eo tempore natura validior et perfectior, ita ut masculus esset idoneus ad generandum circa decimum quintum aut decimum sextum annum. Ab eo anno et in ipso flore aetatis ferre et vincere illam malitiam carnis et legem membrorum, quae vocatur libido, certe est magnum miraculum et acerrima pugna adversus carnem, quam pauci sustinuerunt. Longissime igitur errant Papistae, si cogitant, Patres vixisse carnaliter, sicut sentiunt sane. Neminem enim judicant caste vivere praeter caelibes Monachos et Moniales, et offendit eos gravissime, quod fuerunt conjuges Patriarchae, nihil intelligentes de excellentissima illa castitate. Sed

non mirum fuisset, si tanto tempore continentiae Iacob prorsus mortificasset carnem, et exstinxisset insitam vim ad generandum. Iam enim elapsi sunt anni adolescentiae, juventutis et virilis aetatis, jam LXXXIV. annos habet, luctatus cum sua carne LXVIII. annis. Et tamen mansit in eo στοργὴ et naturalis inclinatio ad sexum, ad juvenculam, et quidem formosiorem, quam praefert minus formosae, jam senex et canus.

Superant ergo haec exempla castitatis omnem nostram continentiam, et praesertim Papistarum impurissimum caelibatum in monasteriis, quae nunc sunt mera lupanaria. Aut si etiam servaverunt castitatem unquam, tamen ne comparanda quidem est ad Patrum castitatem, in quibus sic mortificata est caro magna fide et spiritu, ne tamen exstingueretur naturalis inclinatio et affectus erga sexum. Sicut Iacob sponsam vero amore et unice diligit, ita ut septem illi anni vix trium aut septem dierum spatium aequare viderentur. Deinde quod omnium est maximum, postquam factus est sponsus, exspectat septem annos, donec jungatur sponsae. Si hodie aliquis tot annos deberet exspectare diem nuptiarum, et interim servire pauper et mendicus, profecto et sponsam et socerum relinqueret. Sed haec porci isti Papistae non considerant, nec cernunt exemplum castitatis insigne et inaestimabile, quae simul est conjuncta cum mirabili patientia, quae totos septem annos tolerat servitium hoc et moram cuivis alii profecto intolerabilem, et servit miser et inops, nihil habens proprii, ne ligulam quidem vel filum. Et omnia facit

amore

amore puellae, quo ita captus est, ut isti septem anni viderentur dies uni, hoc est, ac si tantum fuissent septem dies.

Augustinus etiam hanc patientiam et exspectationem admiratur, et quaerit causam, quomodo eam potuerit praestare, cum sit contra et supra naturam hominis. Hoc enim testantur omnes descriptiones amoris et amatorum, quod inquit ille: Impatienter amo. Et praesertim dilatus amor valde affligit, et reddit homines impatientes. Cantica amatoria queruntur, dies et menses nimis longos esse, ut ille apud Poëtam (Virg. Ecl. 7, 43.) ait: Si mihi non haec lux toto jam longior anno est. Respondet autem Augustinus, hoc tempus et annos tam breves esse visos, quia labores non fuerunt graves et difficiles. Amor enim est omnipotens, sicut e contra qui odit, nihil potest ferre. Amor gratuito facit, quod alioqui nullo pretio, nullis precibus adductus faceret. Sic saepe scorta aut adulteri plura patiuntur, quam conjunx aut maritus honestus ferret, et tantum valet amor furiosus. Multo plura ergo facit et perfert amor purus et honestus.

Sed non sufficit haec responsio. Addendum enim hoc est, quod hic significatur, quomodo ille amor sponsalis sit gubernatus a Spiritu fidei in Iacob. Illo autem gubernatore omnia sunt bona et facilia. Si enim Deus adest, et conversatur nobiscum in omnibus primaria illa et principali consolatione, tum possum omnia, inquit Paulus (Phil. 4, 13.), in Christo, qui me confortat. Utcunque igitur haec sint carnalia et juvenilia, tamen probantur in sanctissimo viro, nobis in exemplum et consolationem: quia habuit ipse promissionem posteritatis, in quam prin-

cipaliter respiciebat. Ideo necesse erat, ut duceret uxorem.

Iam et ea, quae ad grammaticam pertinent, expediamus. Oculos Leae dicit fuisse רַכּוֹת, quod nos vertimus: ein blöd Gesicht, et puto, satis bene redditum esse. Nam quod alii dicunt, habuisse eam oblongos oculos, fabulosum est. Mihi videtur fuisse honestam puellam, bonis moribus et viribus integris, sed non formosam praesertim in oculis, qui maxime ornant hominem, sicut Plinius oculos vocat regem inter membra corporis humani: et sunt sane praestantissima pars corporis; ideo rarum donum est in homine gratia et decor oculorum. Commendantur autem in primis oculi χαροποί, quos vulgo falconum oculos dicunt. De puellis dicitur: Sie sieht wie ein Falk. Sunt enim maxime acres et vivaces, ac propemodum fulgurantes, fein rein und hell. Ac utrunque deprehendi potest ex oculis, et vitium, et virtus animi. Ideo pulchri oculi sunt quasi miraculum in genere humano, quia significant ingenii et naturae praestantiam. Infra de Messia dicetur, Genesis 49. (v. 12.): „Rubicundiores sunt oculi ejus vino", sein wie der schwarz roth Wein. Tales oculi valde ornant faciem, et quasi vitam et hilaritatem quandam praestant. E contra oculi parvi et hebetes, qui non acres, non vivaces sunt, obscurant et deformant totam faciem. Tales Lea habuit, damit sie nicht scharpf gesehen hat. Ideo propter oculos teneros sive debiles non fuit in gratia. Hebraea enim vox רַכּוֹת significat tenerum, ut supra, Gen. 18. (v. 7.): „Tulit Abraham vitulum tenerum", mollem. Mysterium, quod alii hic tractant, omitto, et sequor historicam sententiam. Causa enim haec simplex et

plana est, quare Iacob alienior fuerit a Lea, quia habuit oculos minus acres et venustos.

Rahel vero fuit pulchra. Et refertur ea significatio in Hebraea voce תֹּאַר proprie ad quartam speciem in praedicamento qualitatis, ad figuram, quae continet formam et proportionem qualitatis. Oculi Rahelis habuerunt justam figuram, frons item et genae ac totum corpus habuit suam dispositionem et convenientiam membrorum. Haec vera pulchritudo et venustas est, quando facies habet aptam et convenientem proportionem oculorum, frontis, genarum et aliarum partium. Atque hactenus descripsit Moses sponsum istum et amatorem Iacob satis juveniliter, qui amore lepidae et formosae puellae tam longam et duram servitutem sustinet, unde colligi magnitudo amoris potest. Et observandum est, quod scriptura sancta non damnat, sed praedicat istum amorem in sponso. Iam vero sequitur egregium et illustre specimen patientiae Iacob in hac servitute et amore puellae.

Et ait Iacob ad Laban: Da mihi uxorem meam, quoniam impleti sunt dies mei, et ingrediar ad illam.

Appellat uxorem, cum tamen sit virgo. Scriptura enim non distinguit inter uxorem et desponsatam, sicut videre est in Mose et Matthaeo, ubi virgines desponsatae uxores dicuntur. Habet igitur Iacob Rahelem pro legitima conjuge, et ardet erga eam vero et maritali amore, ut juvenes et sponsi solent. Est autem vehementissimus ardor sponsi, quando tempus amplexus et copulae instat. Sed in hoc nostro Patriarcha castissimus ille et ardentissimus

amor erga uxorem Rahel indignissime turbatur et fallitur, sicut sequitur.

Et congregavit Laban omnes homines illius loci, fecitque convivium.

Der Schalk wäre werth, daſs man ihn in Abgrund der Höllen verflucht. Non dicit Moses: Vocavit, invitavit ad convivium nuptiale, quod solet solenniter et honorifice fieri, sed collegit, hats zusammen gerafft, non in gloriam et honorem sponsi et sponsae, sed ad fallendum et illudendum optimo et sanctissimo viro, ut captum suis technis retineret, nec posset ullo modo repudiare vel mutare, quam cognovisset illa nocte, quamvis deceptus et delusus esset. Ideo subito aliquos colligit testes. Et videtur scriptura innuere, Laban male audivisse apud bonos et honestos vicinos, qui haud dubie intellexerunt ejus malas artes et injurias, quibus affecit bonum et fidelem Iacob isto septennio. Ideo collegit homines leves, qui non improbarent hanc imposturam. Significat, eum fuisse veteratorem pessimum, totum subversum avaritia. At Iacob hilaris et ardens amore erga suam Rahel nihil sinistri aut mali suspicatur, sed plenus spe et gaudio exspectat suavissimam sponsam suam, ut fruatur tam diu sperato et exoptato gaudio.

Et ecce vespere tulit Leam, filiam suam, introduxitque eam ad illum, et ingressus est ad eam. Dedit quoque Laban Leae, filiae suae, Zilpam, ancillam suam, in famulam. Factumque est illucescente die, *et ecce*, ea erat Lea. Et dixit ad Laban:

Cur hoc mihi fecisti? Nonne pro Rahele servivi tibi? Quare imposuisti mihi?

Hoc est illud exemplum patientiae. Discat igitur patientiam, qui potest discere: ego sane non possum. Est enim intolerabilis et inimitabilis. Optimus et sanctissimus vir tam ardenter diligit puellam, ut toto septennio omnia faciat et ferat, imo locupletet avarum illum veteratorem Laban ea lege et conditione, ut collocet sibi filiam Rahel. Sed pro tam fideli servitio ipse hanc refert gratiam, surripit ei uxorem, virginem dilectam et tot annis quaesitam ac expetitam, et quidem ipsa hora optatissimi et sponsalis gaudii. Nec rapit solum, quod per se quidem est molestissimum, sed etiam obtrudit aliam, quam aversatur, atque ita perpetuum onus cervicibus ejus imponit. Horribilis et indignissima profecto impostura est. Iacob non aliud scit, quam se habere suavissimam suam sponsam in amplexu, et ecce, habet suppositiciam. Si quis rapiat pecuniam, aurum, argentum, pecora, exigua jactura est; sed rapere virginem, uxorem formosam et dilectam, a qua toto pectore exspectes prolem, unde speres semen posteritatis promissae, profecto injuria et contumelia est, quae vincit omnes injurias. Nam hic omnis spes et exspectatio Iacob subito concidit, nec potuit ei aliud in mentem venire, quam se perpetuo privatum iri amore Rahelis, sponsae suae, neque eam futuram sibi amplius uxorem. Sic fallitur dulcissima spes et suavissima illa exspectatio amoris et amplexus sponsae, quae toto septennio duravit, immenso gaudio utriusque. Non autem sine lacrymis et ingenti dolore hanc injuriam passi sunt. Nimis atrox enim et crudele malum est, et patientia incredibilis. Ego

sane non tulissem, sed expostulassem cum eo, et in jus vocassem, ut coactus legibus sponsam meam redderet, et alteram repudiatam patri remisissem: quia non Lea, sed Rahel desponsata erat, idque publice omnibus renuntiatum et cognitum haud dubie fuit per totum oppidum.

Illos vero, quos collegit Laban convivas, existimo fuisse homines leves et nihili, lose Fähnichen, qui coacti sunt in gratiam Laban approbare et excusare hoc facinus. Sed est durissima et intolerabilis distractio. Ego sane si etiam aetate et annis ipsum Methusalah superarem, tamen non ferrem, quia pugnat haec separatio contra naturam et omnem sensum humanum. Quantum tragoediarum in omnibus historiis excitarunt raptores virginum ac mulierum? Quoties florentissima regna infestis armis inter se concurrerunt et eversa sunt propter ejusmodi injurias? Graeci paene totum orbem terrarum concitarunt ob raptam Helenam. Sabini bellum adversus Romanos moverunt propter raptas filias. Et infra 34. Sichemitae a filiis Iacob trucidantur ob raptum Dinae, quia est tenerrimus ac impatientissimus affectus amoris in sponso, praesertim in ipso articulo nuptiarum, ubi instat amplexus et gaudium nuptiale. Ideo nihil minus ferre potest, quam eripi sibi sponsam, in quam insanit amore et cariorem habet auro, argento, imo oculis et vita ipsa. Deinde quaesiverat et elegerat Iacob hanc sponsam jussu et voluntate patris pro posteritate promissa, quam sperabat ex sponsa forma bona et aetate integra. Verum haec spes et gaudium tam diu speratum uno momento concidit. Exaggeret igitur et detestetur, qui po-

test, tam insignem et inauditam malitiam; major enim est, quam ut ullis verbis exprimi queat. Quin in textu occulta reprehensio et indignatio significari videtur. Non enim dicitur Laban Leam adduxisse uxorem Iacob, sicut postea de Rahele docet: Dedit Rahelem, filiam suam, in uxorem. Non dignatur Moses Leam uxorem appellare, sed sic dicit: Tulit Leam, filiam suam, et introduxit eam ad illum.

Impulit autem avarum Laban ad tantum scelus dira cupiditas, non tam ut filiam majorem natu Iacob obtruderet, quam ut alios septem annos eum detineret. Sensit enim mirabilem successum et incrementa rerum suarum: itaque indignum et horribile est, tam immani scelere optimum virum detineri, ut cupiditatibus hujus veteratoris satisfiat; aber er muſs den Hohn leiden, der doch gar zu hart ist. Ipsa Rahel quomodo fuerit affecta, non recitatur; verum consentaneum est, non minorem ejus indignationem fuisse. Scivit enim haud dubie, se sponsam esse: et notum fuit toti viciniae, Iacob pro Rahel servire septennio illo. Ideo aeque commota est hac injuria, ac sponsus ipse. Imo multo minus ferre et vincere potuit, quia sexus et natura imbecillior est. Certa erat, se esse sponsam, et jam ducendam in thalamum sponsalem; sed ea ipsa hora, qua putat se potituram amore et sponso optato, indignissime fallitur, non sine magno dolore, non sine lacrymis et ejulatu.

Tristes itaque et lugubres hae nuptiae sunt. Sponsus enim misere decipitur, Rahel autem sponsa rejicitur, quae haud dubie justissimum dolorem et indignationem non potuit celare, sed lacrymis et

voce testata est, et expostulavit cum patre: Cur rapis, dixit, mihi meum sponsum, cui tute me despondisti? Sed nihil motus est crudelis pater, forsitan et minis eam compescuit. Lea scivit, se non esse sponsam, sed sororem sponsae, et fortassis repugnavit aliquantum voluntati patris; sed tamen humano affectu passa est, se rapi ac cogi ad hanc injuriam. Imo sibi gratulata est de vi ista, ut fieret mater promissae posteritatis, quam audivit exspectari a Iacob. Et infra, capite 30. videtur Rahel nonnihil prodere affectum et odium erga sororem Leam ob hanc ipsam caussam. Hae igitur infaustae nuptiae sunt Iacob et Raheli propter inexspectatam fraudem: ac proponitur exemplum et castitatis eximiae in sanctissimo Patriarcha Iacob, et crucis ac patientiae summae. Haud scio enim, an ullus sanctorum, nedum gentilium, hanc crucem tanta patientia sustinere potuisset: es ist zu hoch und zu schrecklich.

Quaeritur autem, cujusmodi ritus nuptiarum fuerint apud istos homines, quod Iacob solus cum sola in cubiculo et eodem lecto dormit, nec sentit tamen, esse suppositam Leam pro Rahele. Vixit enim toto septennio in domo hac, ubi vidit haud dubie sponsam aliquoties, non nunquam collocutus est, et in lecto si non tactu explorare, vocem tamen agnoscere et discernere potuisset. Nostris moribus longe cautius agimus. Non enim in tenebris, sed cum tympanis et facibus, ac adhibitis etiam testibus ducimus sponsam cum ad sacrum, tum ad thalamum nuptialem, ut non possit esse locus ulli imposturae. Istum morem non fuisse receptum apud hosce homines ex historia colligitur; alioqui enim Iacob non

sset tam turpiter deceptus. Deinde usitatum fuit eo tempore, ut mares et feminae in singulis domibus diversa habitacula haberent: non ita promiscue conversati sunt, ut apud nos solet fieri. Iuvenes habitarunt cum patribus, et virgines cum matribus seorsim; sed in cubiculo cum habuit secum sponsam suam Iacob, potuit sane cum ea libere colloqui, potuisset etiam tactu deprehendere, non esse Rahelem. Sed colligitur inde, summam fuisse verecundiam istius saeculi, aut saltem Patriarchae Iacob: aut certe Lea sic fuit instructa a patre, ut taceret prorsus, vel submissa voce loqueretur. Tamen maximam vim verecundiae fuisse in Iacob necesse est, ut nec collocutus sit, nec contrectaverit, sed tantum maritali amore eam sit complexus, prae nimio gaudio, quod tandem contigisset frui amore dulcissimae sponsae. Hanc insignem verecundiam et castitatem commendat scriptura, quod ingressus est thalamum sine suspicione, sine lascivia, sine impudico affectu, simplici et maritali affectu. Quod enim Lyra dicit, eum tribus noctibus continuisse, omitto. Magna illa simplicitas consideranda est potius, quod nullo prorsus signo deprehendit, esse alienam, ad quam accederet. Neque enim ita adspiciendi sunt Patres, sicut a Papistis judicantur, fuisse furiosi in libidinem et quales ipsi sunt. Sed fuit simplicissima castitas et castissimus amor erga sponsam in Iacob. Nec habuit ullam causam suspicandi, esse aliam suppositam, quia uterque parens et sponsa ipsa est notissima, et in omnibus maximus candor et candidissima sinceritas semper visa est. Et tamen decipitur.

Ita vero cogito, et excuso Iacob, sicut supra de concubitu Loth cum filiabus dixi. Fieri enim potest,

ut homo quandoque forti imaginatione et intentione animi ita absorbeatur, ut non audiat, nec videat, et nihil prorsus sentiat, etiam audiens et videns apertis oculis et auribus. Vehemens enim et intenta animi cogitatio abstrahit mentem a sensibus, ut ab extra nihil cernat et sentiat homo. Ita prorsus in affectibus vehementioribus fit, sive in ira, sive in moestitia, sive amore; hi enim reddunt hominem stupidum et insensatum. Hinc in proeliis saepe attonitos et consternatos videas, ac stupentes prorsus milites trepidatione et formidine. Sic Loth ebrietate moestitiae magis, quam vini oppressus, ac tristitia illa ex conflagratione Sodomae infernali absorptus nihil sensit, nec animadvertit: sed nesciens et animo alieno fecit, quicquid fecit.

Hoc est mirabile, sed usitatum, et secundum naturam in melancholicis, quando serio incumbunt in aliquod studium aut cogitationem alicujus rei. Saepe non advertente melancholico omnia bona ejus possis auferre ipso praesente. Ad eundem modum animus Iacob amore et gaudio occupatus et absorptus fuit, et Deo gratias egit, quod haberet sponsam, ex qua sperabat posteritatem. Fuit ebrius non vino, sed amore Rahelis, tam diu quaesitae et exoptatae. Haec ebrietas amoris ingens profecto stupor est, quo attonitus quasi non potuit advertere aut sentire dolum. Nihil enim suspicatur mali; sed est totus in imaginatione et affectu amatorio, certus, sibi non posse amplius eripi sponsam. Ideo nihil minus ei venire in mentem potuit, quam quod veterator ille deberet sibi subducere sponsam, et supponere Leam.

In hunc modum de Isaac supra dixi, benedicente Iacob pro Esau. Is quanquam agnosceret vocem

Iacob, et animus praesagiret, subesse fraudem et dolum, tamen cum esset occupatus studio benedicendi, etiam eorum, quae sentit et audit, nullam curam habet. Talia exempla saepe in vita occurrunt, quando animi a sensibus exterioribus relabuntur in imaginationem, qua antea fuerunt occupati, et putant, non posse fieri, ut fallantur, aut aliquid detrimenti accipiant: plus enim credunt cordi suo, quam oculis suis et auribus. Ideo cogitabimus, Iacob quoque amore ebrium stupefactum et quasi raptum esse, ut nihil minus cogitaret, quam se falli posse. Ardor ille amoris vehemens occaecavit eum.

Haec mihi quidem in mentem venerunt de impostura hujus veteratoris, quo modo ea deceptus sit Iacob. Simul autem insigne illud et rarum exemplum verecundiae notandum est, et amplificanda castitas Patriarcharum prae omni castitate et caelibatu Monachorum. Hic enim ardentissimi motus amoris et libidinis superantur, vel saltem reprimuntur in utroque, in Iacob et Rahele: quae, quanquam vera sponsa esset, tamen excluditur thalamo sperato et debito, ac cogitur dissimulare, se esse sponsam, et lacrymis miserum amorem et desiderium sponsi solari et lenire.

Porro videre est in hoc loco, quanta fuerit potestas patria apud istos homines. Lea enim uno verbo et nutu tantum a patre Laban cogitur, ut succedat Raheli, et fiat ipsa sponsa, etiam contra datam fidem. Neque enim Iacob ante id tempus cum Lea ullum verbum de ineundo conjugio commutaverat, nullus amor, nulla arrha, nullum pactum intercesserat, sed sine consensu, pactionibus et colloquio filia arripitur a patre, et collocatur in torum nuptialem.

Iacob. Non explorat pater voluntatem filiae, non audit ejus responsum. Si isti fuerunt mores illorum hominum, sane pessimi fuerunt. Certum enim est, non facta esse sponsalia inter Leam et Iacob, non adhibitos esse testes; sed administrantur omnia subito, tyrannide et violentia patris, qui arreptam filiam introducit ad Iacob. Pessimum igitur hoc exemplum est, quo videmus, Leam mera tyrannide et crudeli audacia patris fieri sponsam. Ipsam quidem facile consensisse consentaneum est, ut fieret mater sanctae posteritatis, ideoque est excusabilis; sed tyrannis patris est modis omnibus exsecranda. Et quanquam sanctus vir tolerat hanc injuriam, tamen est detestabile et nequaquam imitandum exemplum.

Quaerunt autem Lyra et alii hoc loco, an fuerit verum conjugium ea nocte inter Leam et Iacob? Respondeo: Non fuit. Ergo fuit adulterium? Nequaquam. Quid igitur? Monstrum. Si enim ipsum factum spectes, Iacob non est maritus Leae, sed vitiat et stuprat eam, quae ipsi non erat desponsata. Et tamen sine culpa est, sed haeret ea in perfido Laban, qui fallit sponsum et sponsam, et nuptias distrahit copulando Iacob aliam, quam desponderat. Itaque neque adulter dici aut haberi merito potest. Et si quaeritur, an peccaverit Iacob cognoscendo alienam, respondendum est, ipsum quidem factum esse manifestum stuprum, non esse conjugium; sed tamen non peccasse, quia falsus est aliena perfidia, quam ne suspicari quidem potuit. Quis enim metuat, patrem filiam ex se natam defraudaturum tam diu sperato gaudio. Filia non aliud cogitavit, quam se ea nocte fore sponsam, jungendam cum sponso suavissimo. Et Iacob ingressus est vero et maritali

amore, nihil dubitans, se amplexurum Rahelem tanquam conjugem suam. Id enim promiserat, et toto septennio simulaverat perfidus nebulo Laban; sed in uno momento tam diu simulatas nuptias dirimit, das heissen grobe Bubenstück.

Sic igitur respondebimus ad quaestionem propositam, non fuisse matrimonium inter Iacob et Leam, quia utriusque voluntas et consensus defuit. Ipsa non fuit desponsata Iacob, nec Iacob fuit sponsus Leae; sed commissus est error et ignorantia invincibilis in re politica, quae excusat a toto, ut loquuntur jureconsulti. Distinguunt enim inter ignorantiam crassam, supinam vel negligentem, et invincibilem. Ubi est ignorantia facti, personae, circumstantiarum et omnium rerum, ea nullum crimen habet, sed est simpliciter innocentia in rebus politicis. In theologia autem non valet, quanquam ad hanc quoque a quibusdam relata est, sed extra theologiam tantum in politia locum habet. Non est adducenda in judicium Dei: alioqui omnes homines fierent salvi: ut error et ignorantia invincibilis est, quod Iudaei crucifixerunt filium Dei, sicut testatur Paulus, 2 Cor. 2. (v. 8.); ratio enim non intelligit: non tamen ideo excusantur coram Deo. Invincibilis igitur ignorantia ponatur extra theologiam. In politia autem est excusatio in totum: sicut copula haec Iacob et Leae non est conjugium, et factum ipsum per se est stuprum; sed excusatur per ignorantiam invincibilem. Lea etiam excusatur, quod non sit habenda pro meretrice, per potestatem paternam, qui dixit: Praecipio tibi, cogo, impero tanquam parens tuus. Tu Lea es sponsa mea auctoritate et arbitrio. Vadit igitur in simplicitate et obedientia pura et filiali. Et

quanquam est verisimile, eam non aegre passam, se adduci, tamen excusatur patria potestate et filiali obedientia.

Sed durum admodum et indignum est, quod pater tyrannide eam cogit, neque audet ipsa tergiversari. Tota itaque culpa rejiciatur in avarum Nabal, qui id egit, ut ambas filias optimo viro obtruderet. In Iacob autem nihil peccati et culpae haeret, sed est pura ignorantia. Inscius enim et invitus fraudatur amore suavissimae sponsae, quam sperat se illa nocte amplexurum. Sicut Romani historici suam Lucretiam excusant: quanquam ibi non fuit ignorantia invincibilis, sed vim passa est Lucretia. Commissum enim quidem est adulterium, quia concurrunt duae personae, quae sunt conjuges, et violant leges utriusque tori: tamen Tarquinius solus est adulter, Lucretia non, quia per vim gladii coacta est corpus prostituere: passa est vim et violentiam adulteri, quam muliercula imbecillis non potuit depellere.

Sic de Lucia recitatur, cum praeses minitaretur, se rapturum eam ad aras idolorum et lupanar, jamque collecti essent adolescentes, qui eam stuprarent, respondit ipsa: Si rapueris manum meam ad offerendum thus idolo, non ego, sed tu idolatra es. Et si ad prostibulum ducta fuero, non ero ergo meretrix, sed corona castitatis mihi duplicabitur. Ad eundem modum Patriarcham Iacob culpa liberabimus, qui simplici et maritali affectu ingreditur thalamum, et cogitat, se ibi inventurum suam Rahelem; sed praeter omnem opinionem et voluntatem cum Lea conjungitur, quae non erat ipsi desponsata.

Post expostulationem autem fiet verum conjugium, quando Deus dispensat et confirmat hanc copulam, dando prolem Simeon, Levi, Ruben etc.: da muſs es wohlgethan heissen, ut omnia, quae faciunt sancti, cooperentur eis in bonum. Alioqui non est nec conjugium, nec adulterium, sed simpliciter monstrum. Neque est imitandum nobis hoc exemplum. Non sunt cogendi liberi ad amorem aut connubia eorum, a quibus abhorrent. Satis alioqui superque satis periculorum et molestiae incidit, si etiam amore inter se ardentes conjunguntur, sicut ostendunt quotidiana exempla. Neque etiam patientia haec ad imitationem est proposita, quia nimis ardua et plane heroica est, perferre ac pati aequo animo, ut sponsa eripiatur ipsa hora et momento nuptiarum. Ideo mirari magis et praedicare, quam imitari eam licebit.

Pergit autem Moses describere, quando deprehenderit dolum Iacob, et quomodo fuerit affectus. Haud dubie enim vehementer fuit consternatus, cum mane illucescente sole vidit, sibi alienam conjunctam esse. Nec eo solum perterritus est, quod videret, sibi esse impositum, et ereptam carissimam sponsam; sed accessit etiam pavor conscientiae propter stuprum aut incestum: quia fuit pius et sanctus vir, qui magis de peccato, quam de injuria doluit. Nec potuit statim intelligere, quomodo haec permutatio accidisset. Rejicit autem culpam in Laban, et testatur suam innocentiam: Cur hoc mihi fecisti? Nonne pro Rahele servivi tibi? Quare imposuisti mihi?

Respondit Laban: Non sic fit in loco nostro, ut tradatur junior ante majorem.

Der Schalk vexirt ihn noch darzu. Ad tantam calamitatem et indignam perturbationem gaudiorum nuptialium insuper ei illudit perfidus Nabal. Non fit hoc, inquit, in loco nostro. Quare autem prius non dixisti? cum diceret Iacob: Serviam tibi pro Rahele septem annis. Hem isthaec modo oratio nascitur, ut ait ille apud Comicum (Ter. Adelph. 5, 3, 19.). Cur antea non allegasti consuetudinem gentis tuae? Nunc demum venit veterator. Nec satis est, quod imposuit honestissimo genero, ultro etiam verbis eum ludificatur: quin et servitutem alterius septennii accumulat per fraudem et fallaciam, tantum ut augeatur et crescat res familiaris alieno labore, etiam per mendacium et dolum. Dignus igitur fuit, cui malediceret Deus ditescenti alieno sudore et labore. Sed valuit hic quoque vulgatum illud: Je böser Schalck, je besser Glück: quo quis est nequior, hoc est fortunatior. Notandus autem est Hebraismus hoc loco. Non facit: Man thut nicht also. In Hebraea lingua impersonale verbum saepe per activum aut plurale effertur: Non sic faciunt, pro: Non sic fit. Et Lucae 6. (v. 38.): „Mensuram bonam dabunt in sinum vestrum".

Imple hebdomadem istius, et dabitur quoque tibi ista pro servitute, qua servies mihi adhuc septem annis aliis.

Istius, scilicet Leae: da steckts. Vidit Laban rem domesticam auctam per servitutem Iacob. Ideo cogitat de fallendo eo et retinendo aliis septem annis.

nis. Sic enim ratiocinatus est: Si dedero ei filiam Rahel, mox abibit, et deseret meam domum, quae praesentia et fidelitate ejus pulchre accrevit. Ideo detinendus mihi erit diutius, quo jure, quaque injuria. Non quin bene ei cupiam, quia plures filias ei darem, si haberem; sed ideo, ut retineam eum mecum diutius, et ditescam fideli servitio ejus. Wie ein Schalk ist das? Iam satisfecerat Iacob paterno mandato, quo jussus erat ducere uxorem ex hac familia, jamque septem annis servierat juxta pactum cum socero; cogitabat igitur domum cum uxore reverti. Ibi Diabolus hanc molestiam objicit, ut non solum turbet et impediat nuptias, sed etiam aliud septennium adjiciat.

Serviendum est itaque Iacob quatuordecim annis; nam pro Lea non serviit. Id sane grave et molestum fuit. Habet jam duas conjuges, et tamen nihil proprii habet, servit vacuis manibus, quod est durissimum et molestissimum. Ad se enim avarus Nabal rapit omnia, et id solum agit, ut per diligentiam et beneficia istius optimi viri locupletetur. Debebat autem jam ei vicissim benefacere, et dotem dare: sed illudit ei, et obtrudit duas ancillas et filiam, quam aversatur. Vide, avaritia quid facit? Est igitur raptor, spoliator, fur et latro, qui ditescit sanguine et sudore optimi viri et filiarum, sicut infra sequetur, hats alles zu sich gerissen, impurissimus mammonista ita describitur, ut non mirum sit, si totus mundus eum exsecretur. Superat rapacitatem omnium furum et praedonum, neque ulla rhetorica satis exaggerari avaritia ista potest.

Fecit itaque Iacob sic, et implevit septennarium, et tradidit sibi Rahelem, filiam suam, in uxorem.

Iacob accipit conditionem oblatam ab avaro et iniquo socero. Ita totum negotium componitur. Quaeritur autem, quare consentiat Iacob? Etsi enim allegat Laban consuetudinem loci, et fuit fortassis consuetudo haec in illa regione, ut majores natu primum darentur nuptum, tamen est argumentum futile. Ac mirum est, Iacob hujus moris ignarum fuisse, nec vidisse exemplum aliquod nuptiarum conveniens, aut discrepans a consuetudine illa: si quidem septem annis mores alicujus regionis facile possunt perspici. Ipse vero cum primum audit, allegari morem hunc, assentitur. Potuisset summo jure repudiare Leam, et dicere: Quaecunque tandem sit consuetudo illa, tu mihi Rahelem despondisti, et ego ex pacto pro ea tibi septem annis servivi; hanc servabo et nullam aliam.

Sed quid faciat sanctissimus vir? Er lästs gehn. Aequo animo fert hanc injuriam, ut potiatur Rahele, quae erat unica et vera sponsa, quam videt se non posse obtinere, nisi ista iniquissima conditione, ut retineat Leam, quam non amabat. Cogitavit enim: Quid faciam? Lea est decepta auctoritate patris, sicut ego insidiis ejus circumventus sum. Si deseruero eam, erit perpetuo deserta; est enim a me vitiata et optima dote virginitatis privata. Aut certe omnibus suspecta erit de amissa pudicitia, ut maxime ego ab ea abstinuissem. Ita flectitur Iacob misericordia, caritate et patientia, ne repudiet Leam. *Estque* insigne exemplum singularis misericordiae et

virtutis, qua retinet apud se eam, quam scit sibi suppositam esse loco sponsae.

Sed quaeritur de jure, an fuerit licitum, et an non damnetur misericordia ista lege Mosi, qui dicit, non esse ducendas duas sorores? Persona excusatur per misericordiam et caritatem, sed de facto dubitatur. Imo lex jubet eum alterutram dimittere. Non igitur trahendum est hoc exemplum in consequentiam. Iacob retinet Leam, et habet pro legitima conjuge, quanquam libenter eam deseruisset: nam obstabat jus et consuetudo patriae, deinde stuprum illatum. Quia vero consentit, incipit esse reus, et crimen Iacob suo consensu approbare. Quid igitur dicemus?

Respondeo: Alia exempla sunt heroica, alia moralia. Leges et mores simpliciter sunt servandi, nec ferenda est ulla transgressio, ne fiat confusio. Heroica exempla sunt, quae non congruunt cum legibus. Saepe enim vir heroicus, quem Deus singulari numine afflavit, perrumpit et frangit regulam, sed non relinquit post se exemplum. Moralia, leges et jura sunt servanda, et exempla sequenda; sed in heroicis nulla est consequentia, nullum exemplum valet, nisi sit per omnia simile. Si fueris similis Iacob, si talis casus, talis occasio et necessitas inciderit, tum et tibi licebit, quod Iacob licuit. Si non fueris per omnia similis Iacob, standum tibi erit in lege et moribus communibus. Non est perrumpendum temere, nec faciendum exemplum et consequentia propter casum aliquem heroicum. Grammaticus dicit: Nomina in a sunt generis feminini, in um neutra sunt. Ibi si adhibeas exempla auriga, aut

Glycerium, non quadrabunt ad regulam, licet eandem terminationem habeant, quia sunt heroica, id est, exemta vocabula: non sunt subjecta regulis, sed regulae ipsis subjectae sunt. Poëta non curat regulam. Idem observandum est in medicina et jure. Medicus si semper secundum rigorem regularum procedit, multos occidit. Sunt quidem sequendae regulae, sed non cum temeritate; potest enim casus aliquis incidere, qui dedignatur sub regula esse. Ibi adhibenda est proportio geometrica.

Monachi sequuti sunt in suis regulis proportionem arithmeticam, einem wie dem andern. Quantum unus laborat, edit, bibit, dormit, tantundem et alter laboret, edat, dormiat. Sed haec aequalitas arithmetica ad forum, ad emtionem aut venditionem, non ad regimina pertinet. Ita enim multi Monachi occisi sunt, qui non poterant ferre paria aut aequalia onera ordinis. Alius potest contentus esse somno septem horarum, alius trium, alii decem horae non sufficiunt. Sapienter igitur et praeclare dixit Augustinus: Non aequaliter omnes, quia non aequaliter valetis omnes. Et laudatur haec vox etiam ab Episcopo Wormatiense. Congruit enim ad proportionem geometricam, quae non compensat aut confert rem cum re, ut in foro fieri solet, sed personas confert, et juxta eas rem dispensat. Arithmetica in foro sine respectu personarum omnia exigit, sive sit mulier, sive vir, seu puer, vendit panem uno, duobus aut tribus nummis; sed in comedendo proportio personarum servatur. Quidam in monasterio una simila contentus est, quidam non.

Haec exempli causa dico. Multo magis vero in

theologia hoc canendum est, ne quis ita argumentetur: Iacob perrumpit consuetudinem et legem Mosi: ergo mihi quoque idem licebit facere. Nego consequentiam, et ratio est, quia Iacob non est moralis, sed heroica persona, qui ducitur heroico, non legali more. Ideo non est imitandus, sed spectandus et admirandus. Tu non debes Achillem imitari in occidendo Hectore: aut si id tentaveris, Hector te occidet. Tu non gestabis coelum nec columnas Herculis, cum vix uno baculo gestando par esse queas, das sind die Narren in politia, qui volunt imitari heroicos viros, quos vident incedere supra et extra regulas. Tantus vir sic fecit, cogitavit, ergo ego idem sequar. Sed tu habes aliud speculum, quod contempleris, nimirum communem morem, jus item et legem communem. Hanc ne transgrediaris, brich dich nicht heraus, antequam Deus te vocet, et jubeat esse heroëm aut Iacob: alioqui fiunt simiae ex talibus, quae sibi et aliis exitium accersunt. Sicut incendiarius ille fuit pusillanimis natura, et cum fieret simia, et vellet imitari aliorum heroum res praeclare gestas, prodidit suam stultitiam, et sibi ipsi exitio fuit. Nihil enim aliud efficiunt ejusmodi stolidi homines, quam quod perdunt respublicas, et miscent ac turbant orbem terrarum.

Itaque haec exempla sic tractanda sunt, ut maneant moralia integra, quae sunt sequenda: et heroica spectemus ac admiremur, sed non imitemur. Paulus viperam haerentem manibus in ignem conjicit: Thu du ihms nach. Et recitatur fabula de quodam medico, qui levaverat puerum e Baptismo, et audierat ibi verba Baptismi pronuntiari, cum preci-

bus et sententiis scripturae, quibus significatur, nos liberari ex regno Diaboli, et transferri in regnum filii Dei. Ibi admiratus magnitudinem promissionum et beneficiorum, quae in Baptismo exhibentur, dixit: Si scirem, me quoque in hunc modum baptisatum, et eadem verba mihi pronuntiata esse, nunquam exhorrescerem Diabolum. Et cum ab aliis esset admonitus et persuasus, ipsum quoque in haec verba esse baptisatum, tantam fidem concepit, ut plane statueret, se nunquam formidaturum Diabolum. Tandem vero objectum est ei spectrum, et Diabolus in specie hirci apparuit. Eo vero usque adeo nihil est perterritus, ut alterum cornu arreptum frangeret, et ad socios, a quibus egressus fuerat, referret. Id cum ex sociis quidam videret, etsi non haberet eandem fidem, tamen motus miraculi istius admiratione et se baptisatum esse jactat, neque se velle ullum spectrum quantumvis tetrum exhorrescere. Prodit igitur in eundem locum, et redit spectrum illud capri cornuti. Sed cum vellet cornua ejus arripere, Diabolus obtorto collo eum necat. Quare igitur ille evasit periculum, hic non? Quia in hoc fuit praesumtio, non fuit vera fides; putavit, se suis viribus et robore posse vincere Satanam: non habuit veram fidem.

Quilibet igitur suum donum exploret. Ut enim corporibus, ingeniis et fortunis sumus inaequales, ita etiam donis spiritualibus. Quilibet suo loco maneat in morali lege et communi jure, donec vocaverit aut coëgerit eum Deus, ut faciat aliquid singulare. Iacob non suo consilio hōc fecit; sed Dei voluntate est raptus, et coactus hoc facere, praeter *suam* opinionem et voluntatem. Ideo Deus postea

hoc factum confirmat benedictione prolis, et fit Lea mater Patriarcharum.

Sic igitur excusandi sunt Patres. Sed non sunt trahenda in consequentiam exempla eorum, ne fiat confusio et dissipatio legum et morum communium; sed maneamus intra metas legum, nisi avocet nos singularis vocatio aut afflatus heroicus. Quodsi fanaticus aliquis sic argumentabitur ab exemplo Iacob: Iacob duxit duas sorores, ergo idem et mihi licet; respondeo: Nego consequentiam, quia discernendae sunt personae civiles et heroicae, quae habent singulares impetus et afflatus. Deus enim est οἰκόνομος et gubernator omnium. Si inspiraverit alicui, quod est contra communem regulam, per hoc non debet solvi aut tolli regula, sed manendum est in communi jure, et Deo permittendum, ut ipse, quos vult, excipiat. Ipse enim solus est, qui recte potest dicere: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas (Iuv. 6, 223.). Solus est, qui potest mutare leges; wenn er einen auszeugt, so ist er ausgezogen, sonst nicht.

Sic stolidus Monetarius legebat historias Regum et Iudicum, res gestas Iosuae, Simsonis, Davidis, et eorum exempla pro concione rusticis inculcabat. Vos estis populus Dei, clamabat: igitur debetis sequi exempla sanctorum Simsonis, Iosuae, et occisis principibus mutare statum politicum. Sed est falsa consequentia, quia viri heroici, qui habent singulares instinctus, excipiuntur a regula, et nos, qui sub regula sumus, non possumus, nec debemus eos imitari.

Dedit quoque Laban Raheli, filiae suae, Bilham, ancillam suam, illi in famulam. Et ingressus est quoque ad Rahelem, et

dilexit Rahelem plus, quam Leam, servivitque illi adhuc septem aliis annis.

Post descriptionem heroicarum et mirabilium rerum descendit Spiritus sanctus ad infirmitates et ad moralia. Quanquam enim heroicus homo excipitur a regula, tamen declinari debet secundum regulam, ut in grammatica, etsi poëta non est generis feminini juxta terminationem in a, tamen declinatur juxta regulam nominum in a. Necesse est, eum ita heroicum esse, ne rumpat, imo conservet, defendat, gubernet potius moralia; ut maxime ipse pro sua persona est exceptus singulari modo, tamen debet se demittere ad declinationem primam et regulam. De Hercule dicunt poëtae, fregisse eum remos in navi Argonautarum: et tamen ipsius consiliis feliciter omnia cedebant. Ita viri heroici perrumpunt quidem leges, sed non lacerant respublicas.

Iam igitur iste bonus vir Iacob describitur tanquam fatuus, quia amore Rahelis implicatur servituti aliorum septem annorum. Hoc non fecisset vir heroicus, sed dixisset: Servivi tibi pro Rahele, eam volo mihi tradi tanquam meam sponsam, et minitatus esset verbera, aut vi abduxisset puellam sibi desponsatam, id quod poterat sane summo jure facere. Sed summus vir demittit et abjicit se in extremam servitutem, et servit quatuordecim annis pro unica Rahel; nam pro Lea nihil pactus est. Antea adscenderat exaltatus in coelum, et coram Deo ausus est, quod nemini alii licuisset: nunc rursus humiliatus in servitutem sese abjicit.

Libenter autem exempla ista legimus, quibus voluit Spiritus sanctus nobis scripturam sanctam commendare, et in heroicis viris ostendere carnalia et

infirma: quia major consolatio est videre carnalia in sanctis, quam sublimia et grandia illa, quae non possumus imitari. Non igitur negligi vult, sed commendat Spiritus sanctus etiam haec oeconomica et communia humanae vitae, adeo ut etiam quandoque imperfecta et vitiosa commemoret, ut significet, se esse patientem et τροποφοροῦντα, ferentem mores infirmorum; non abjicere infantes propter postulas, sordes, molestias, modo perseverent in fide et caritate, ut ait Paulus. Habet patientiam in multis infirmitatibus. Sicut dicitur, Hebraeorum 4. (v. 15.): „Non habemus Episcopum, qui non possit compati" etc.

Hoc pertinet ad consolationem ecclesiae, in qua non semper sunt heroici viri, aut saltem non multi: sed et hi declinantur in feminino genere, tametsi sint generis masculini. Sic Deus sinit, Iacob abjici et servire servitutem turpem et indignam homine libero, idque fit amore carnali sponsae, in quam insanit vetulus iste amator, et adeo ineptit, ut, quanquam jam habeat Rahelem suam summo jure, tamen in gratiam juvenculae tradat se servituti septem annorum. Supra dixit, visum ei esse septennium illud quasi paucos dies prae amoris magnitudine. Iam cum potitus est uxore, quam tantopere amabat, rursus se conjicit in ergastulum illud servitutis alio septennio. Nonne illa juvenilia, carnalia et plane stulta sunt, propter puellam desponsatam et traditam omni jure, sponte servituti se involvere, et suspendere curam domesticam? Iustum enim et necessarium est, si duxeris uxorem, ut cogites de proprio tecto et domo tua disponenda. Ibi Iacob in gratiam

puellae hanc curam prorsus abjicit, et servit interea turpissimo monstro, homini avaro et ingrato.

Tales igitur sunt heroici viri, atque ita describuntur nobis in exemplum, ut sciamus, eos fuisse homines similes nobis, nunc fortes et erectos, nunc abjectos et infirmos. In sublimibus et heroicis sunt leones invicti et incomparabiles: in oeconomicis sunt stulti et infirmi. Deus autem utrunque respicit et approbat, tam sublimia, quam humilia operantem.

Et videns Deus, quod odio haberetur Lea, aperuit vulvam ejus, mansitque Rahel sterilis.

Haec valde carnalia sunt: Dominus mufs in das Spiel sehen. An nihil aliud negotii restat Deo, quam ut respiciat ad illam humilitatem oeconomicam? Si ita abundat otio, inveniet, quod agat adversus Diabolum, deum hujus saeculi, aut cum monarchis et principibus mundi. Quid agit cum Lea puella? Respondeo: Quilibet in sua vocatione sciat, se Deo curae esse. Deus enim parva, mediocria et magna curat: creator est et gubernator omnium. Quis autem credat, Deum Leam curare? Certe omnes debent firmiter statuere, habere se respectorem, curatorem Deum, quantumcunque sint parvi, abjecti, humiles. Ideo enim Moses tam diligenter pingit et proponit nobis ob oculos formam oeconomiae Iacob.

Iacob potitus est uxore sua, quam tantopere desideravit, et habet adjunctam Leam, quam non amavit, nec curavit. Id Rahel intelligit, et habet claves et gubernationem totius familiae, semper est adjuncta Iacob, ist das liebe Mätzichen. Dominam autem sequitur tota domus et vicinia, et sciunt, Leam

se contemtam et neglectam etiam a Iacob: quod nim diligit eam, facit ex misericordia, non marili ardore et amore sponsi, tantum est eleemosyna. Ergo misera Lea sedet in suo tabernaculo cum ancilla sua tristis, nendo et flendo vitam transigens. Reliqua enim familia ac inprimis Rahel contemnit eam, quia a marito spreta est, qui Rahelem praefert, et eam unice deperit, non est formosa, non grata, sed odiosa et invisa, שְׂנוּאָה: Da sitzt das arme Mädichen, man acht ihr nit. Rahel prae illa superbit, non dignatur eam respicere. Ego sum domina, cogitavit, Lea est serva. Haec vere carnalia sunt in sanctissimis Patribus et Matribus, qualia domi nostrae usu venire solent.

Non putabimus autem, Leam sine magno dolore, sine lacrymis et ejulatu hunc contemtum tolerasse. Est enim infirmum vasculum sexus muliebris, qui cupit ardenter amari, aut saltem non vult contemni, praesertim a marito aut a familia. Vehementer igitur doluit Lea, se adeo objectam et spretam esse in domo, Rahelem autem cum familia dominari, et ipsi insultare. Nemo enim eam curat, nemo eam respicit, ne Iacob quidem ipse: sed solus Dominus, der muſs ins Spiel sehen, muſs dem Iacob seinen affectum brechen und crucifigirn, auch der Rachel ihren Muth brechen. Dominus eam respicit, atque ita, ut amorem et affectum Iacob crucifigat, et frangat superbiam Rahelis, exaltando Leam odiosam et contemtam. Ita discendum est, quod Deus omnia videat et gubernet, sed unice et singulariter respiciat ad contemta et abjecta, quemadmodum Christus ipse fuit in crucè. Denn was die Welt und auch

heilige Leut, als Iacob, Rachel wegwerfen, das lieset er auf, und ist ihm eitel Heiligthumb.

Haec mirabilis et ingens consolatio est pro afflictis et miseris, qui debent se exsuscitare ad fidem et spem, si quidem audiunt, Deum sic describi et definiri: „Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio", Iudith 9. (v. 13.). Gemitus, imo mors abjectorum pretiosa in conspectu Domini. Qui hoc potest credere, is est sine ulla dubitatione gratus et acceptus Deo. Certum enim est, eum nec velle, nec posse ferre contemtum suae creaturae, sive parvae sint, sive magnae. Magnos non vult gloriari aut superbire, quod habeant, quo se ipsos tueantur et defendant. Abjectos autem non vult desperare, quia habent, qui respiciat et recipiat eos. Benedicendus igitur est Deus, qui respicit humilia in coelo et in terra.

Est et ipse maxime heroicus et sine regula: tamen ita declinatur aut demittit se, ut nusquam tam acutum videat, quam si abjecta et humilia intuetur. Sic enim Lea fuit abjectissima et omnibus ingrata et odiosa. Si quid imperavit familiae: Cur, dixerunt, tu mihi imperas? Rahel et Iacob te non curant. Forsitan etiam Rahel hanc contumaciam in familia sua superbia auxit, ita ut a domino et domina ac universa familia sperneretur. Id vero animum ejus vehementer perturbavit et anxit; nam hoc piae conjugi tristissimum est, si a marito videt se negligi: aliorum injurias facilius et vincere potest, modo maritus ipsam amanter complectatur: quia amor mariti est vita uxoris: quod de bonis et honestis mulieribus intelligi volo. Quando vir est tristis, morosus, difficilis, iracundus, id morte ipsa est acer-

ns piae mulieri, quia vult exhilarari a marito, et ntemtum metuit tanquam tenebras et extrema mala.

His doloribus ergo et moerore conflictata est isera Lea, moesta et dolens, se contemni a suo mino. Sed audi Mosen, qui ait: „Vidit Dominus"). Sonst siehts niemand, Deus respicit et benedi- : abjectam, flentem, odiosam, contristatam; super- entem autem humiliat. Ibi ergo alia lux oritur se- nti in tenebris. Nam Iacob in suo amore et Ra- l in sua gloria crucifigitur. Dominus claudit ma- icem Rahelis, et sinit eam esse sterilem, quae non inor crux, imo mors ipsa fuit Raheli, sicut po- ea graviter queretur. Abjectam autem honorat ape- endo matricem, et faciendo eam matrem; id enim gnificat claudere aut aperire matricem, dare fe- m et fructum, sicut terra aperitur, quando ger- inat.

שְׂנוּאָה significat despectum eorum, qui sunt ntemti et abjecti. Et diligenter hoc observate, iod Deus appellatur respector שְׂנוּאִים, id est, eo- m, qui sunt spreti et abjecti: tantum non despe- nt. Hoc scribit Spiritus sanctus in consolationem lictorum, quod benedicit Deus et exaltat Leam, concipiat et pariat.

oncepit autem Lea, et peperit filium, cavitque nomen ejus Ruben. Dixit enim: idit Deus afflictionem meam; nunc igi- tur diliget me vir meus.

Misera mulier, quae habuit debiles oculos, et sollicitudine ista etiam lacrymis maceratos, tamen edit, se respici a Deo. Vidit, inquit, Dominus, iod sim odiosa. Non allegat merita, sed hoc tan-

tum, quod Deus respexerit שְׂנוּאָה. Hic enim titulus et propriissima definitio Dei est: Respector contemtorum et humilium. Respicit etiam superbos et magnates in mundo: sed non habent opus ejus gratia et misericordia, contemnunt ejus respectum, darumb mufs er uber sie hinsehen, ut dicitur: „Alta a longe cognoscit", Psalm. 138. (v. 6.). Videtur autem versus in cantico Mariae (Luc. 1, 48.): „Respexit humilitatem ancillae suae", hinc sumtus esse, quia sunt eadem verba, quae hoc loco ponuntur.

Hebraeam vocem עָנִי nos non satis proprie possumus reddere. Moses dicitur fuisse vir עָנָו, Num. 12. (v. 3.), miserrimus, contemtissimus, der elendst Mensch auf Erden: sicut Paulus loquitur, 1 Corinth. 15. (v. 19.). Latinis miseria est, Germanis Elend. Sic Maria canit: „Respexit miseriam, vidit miseriam meam": Er hat angesehen mein grosses Elend. Erat enim orba parentibus, orphana et deserta, sub aliorum servitute; ibi Deus ancillam tam miseram respicit. Et Lea hoc loco dicit: Iacob me non respexit, nisi quod ex misericordia fecit, Rahel me plane contemsit. Ideo sum misera et abjecta, שְׂנוּאָה: sed Dominus me respexit, et dedit mihi filium. Agit igitur gratias et laudat Deum, et addit: Nunc amabit me vir meus. Iam mutabitur odium et contemtus in amorem et gloriam, quia facta sum mater benedictione divina, quod non contigit sorori. Ideoque longe sum ea felicior, non quod meruerim ego, sed quia Dominus respexit me.

Semper autem fuit habita insignis benedictio fecunditas et partus mulierum, etiam apud gentes, et propterea mulieres in honore fuerunt. Romae viris

·ohibitum fuit gestare aurum; mulieribus autem
›ncessum. Iam igitur Lea est magna domina, quia
t fecunda, et parit prae sorore, quam omnes op-
bant et sperabant prius parituram. Rahel vero cum
ıdivit, haud dubie mota est invidia et odio erga
›rorem, et tota familia etiam mirata est hanc mira-
ilem conversionem. Sed Deus fecit, qui respicit
ımilia et abjecta.

Quanquam igitur haec omnia sunt mere carna-
a et oeconomica, nihilque adeo rerum spiritualium
rae se ferunt, tamen revera sunt spiritualissima: si-
ıt apparet ex verbis Leae, quae mirificam consola-
onem continent. Non enim Deus Angelorum tan-
ım curator et gubernator est, sed etiam oecono-
ıiae et omnium partium oeconomiae, qui ita potest
ıutare animos et judicia hominum, ut qui paulo
nte fuerunt abjectissimi, fiant gratissimi. Ac prop-
:rea Lea filium suum ornat hoc nomine Ruben, in
ublicum testimonium contra contemtores et osores
uos. Quasi diceret: Iam vos videte, quod non sim
bjecta a Deo, Deus non despexit me, sicut vos me
espexistis: רְאוּ videte, רְאוּ viderunt filium. En ha-
etis filium, contemplamini eum. Deus enim me re-
pexit, quae fui vobis שְׂנוּאָה. Ideo nomino eum
Ruben, ut desinatis ab odio et contemtu. Est filius
isionis. Deus videt, ego video, vos videtis, me non
sse abjectam, ut vobis antea visa sum. Sic consola-
ır Dominus miseram et exosam Leam, et ipsa con-
tetur et gratias agit, ac insultat omnibus suis con-
emtoribus. Male id haud dubie habuit Rahelem,
quae et a Iacob plurimum dilecta, et semper pro ve-
a matrefamilias est habita, et tamen manet sterilis.
Quin Leae insuper tres filii adduntur, sicut sequitur.

Et rursum concipiens peperit filium, et ait: Quoniam audivit Deus, quod odio habeor ego, et dedit mihi quoque istum, et vocavit nomen ejus Simeon.

Antea vidit, jam audit etiam Dominus. Adhuc enim puto, eam superbe a Rahele tractatam esse, nulla ratione habita partus et respectus divini. Quid hoc est, dixerunt Rahel et familia? Quis scit, an plures sit paritura filios? Fieri potest, ut moriatur brevi filius iste, et Rahel etiam pariat tanquam vera materfamilias. Ita nondum omnino perrupit et superavit Lea contemtum. Sed per vim et contra sensum communem contemnunt adhuc benedictionem et respectum Dei. Ideo repetit precationem ad Deum: Domine Deus, peperi filium, sed nihil curant hunc partum, nondum satis grata sum propter unicum filium, da et alterum, ut tandem ego quoque habear pro matrefamilias. Iacob quidem non prorsus contemsit, sed dilexit eum; verum nondum superatum est odium familiae et Rahelis. Primogenitus hic debuisset mihi conciliare gratiam et auctoritatem, sed sum adhuc despecta.

Audit igitur Dominus hanc precationem, et dat secundum filium, Simeon, cui imponit nomen ab audiendo. Ibi vero labascit Rahel, et incipit humiliari et quasi mori, ut infra apparebit, quando inquit: Da mihi liberos, alioquin moriar. Ipsa enim adhuc est sterilis. Et jam tertium filium concepit Lea.

Concepit quoque adhuc, et peperit filium dicens: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, quoniam peperi

i tres filios. Unde vocatum est nomen ejus Levi.

Hoc vult dicere Lea: Postquam dilexit me maritus meus, jam etiam tabernaculum Rahelis relinquet. Cum ea enim hactenus habitavit, tanquam cum dilecta conjuge, et ad me nonnisi per misericordiam ingressus est. Iam vero etiam associabitur mihi relicta Rahele sterili. Scio quidem, me ab eo amari magis, quam antea, sed nondum adjunxit me sibi sociam mensae et tori. Rahel eo beneficio et dignitate hactenus usa est; sed jam sociabitur et cohabitabit mihi. Ideo vocat filium Levi, id est, adjunctio vel associatio, quasi diceret: Id efficiam, ut fiat mihi socius tori et mensae. Id vero Raheli fuit molestissimum, et cogitavit: Iam ego ero שְׂנוּאָה, maritus mihi indignabitur, et dicet: Fuisti quidem dilecta mea sponsa; Dominus autem non tibi, sed Leae benedicit, et vult, ut Leam diligam. Hic mirabilis sane status est, imo conversio domus Iacob.

Quarto concepit et peperit filium, et ait: Modo confitebor Domino. Et ob hoc vocavit nomen ejus Iehuda. Cessavitque parere.

Quasi diceret: Fui contenta uno, duobus, maxime vero tribus filiis: insuper autem quartum accipio. Nunc laudo et confiteor Dominum: imo jam ero laudata, praelata, dilecta materfamilias. Sum exaltata ex humilitate et miseria, et soror mea gloria et sublimitate sua excidit. Nunc igitur Rahel cupiet mori prae indignatione et impatientia, et dicet ad maritum: Da mihi liberos, alioquin moriar.

Hactenus vero audivimus, quomodo Iacob post

nuptias cum Lea et Rahele quatuor filios genuerit ex contemta illa et neglecta Lea. Quo exemplo ostendit Deus, se esse propitium, et faventem humilibus, afflictis, abjectis, ut non habeant, quod querantur, omnes qui laborant et onerati sunt, praesertim si credant in Deum, et non vincantur impatientia et indignatione. Multo enim satius est, esse afflictum et vexatum ridente et favente Deo, quam fortunatum Deo irascente. Quid enim est mundus cum suo favore, gaudio et voluptatibus suis ad illum faventem et benignum Dei respectum, quo respicit Deus humiles? Sed caro non sinit haec intelligi aut credi a nobis: quin subinde obmurmurat propter praesentia mala, et conatur animos perturbatos dejicere de fide et consolatione, et ad murmurationem ac fremitum adversus Deum impellere. Quia valde frangunt et percellunt infirmitatem nostram tot et tam variae adversitates.

Utinam vero possemus discere et adsuescere ad pugnam illam contra carnem, quam Paulus docet. Si enim non omnia ita liceret apprehendere et facere, quae Spiritus vult: tamen id sentiremus, Deum non velle nos relinquere, nec sineremus nos vinci ac superari a carne. Ego sane libenter vellem gaudere, gloriari, triumphare cum Paulo in morte, in cruce et passionibus: sed spiritus promtus est, caro autem infirma. Sufficiat igitur et consoletur nos, quod Deus ignoscit, et Spiritus sanctus adjuvat infirmitatem nostram, ut spiritus triumphet contra rebellem carnem, ne declinet in alterutram partem, sive ad securitatem, sive ad desperationem et impatientiam. Haec est gloria nostra, divina ignoscentia, *quae posset* imputare nobis malitiam carnis nostrae,

verum propter spiritum repugnantem non imputat, sed clementer remittit et condonat. Atque ita Spiritus sanctus Leam erexit et consolatus est. Respexit humilitatem, et audivit preces ipsius. Postea addidit animum, ut diceret: Confitebor Domino etc. Quae omnia sunt verba et voces spiritus rebellantis et repugnantis, tametsi nondum triumphantis, tamen non cedentis, non consentientis infirmitati et malitiae carnis.

Lyra, sive a Iudaeis id sumsit, sive suopte ingenio hanc distinctionem invenit, satis pie distinguit tentationes Leae juxta quatuor objecta. A Rahele fuit contemta, a marito neglecta, a vicinis et familia pro aliena et extranea habita, postremo a Deo abjecta. Haec partitio mihi bene placet, et convenit cum experientia afflictorum. Quando enim unum argumentum tristitiae objicitur, statim aliud ex alio colligit tentatus. Quia enim Lea a Rahele contemnitur, ratiocinatur, necessario etiam maritum esse a se alieniorem, ac propterea non ipsam, sed Rahelem esse veram matremfamilias. Tertio accessit opprobrium a vicinis et familia, a quibus audivit, se per fraudem et dolum intrusam esse, et merito despici a Rahele, quae legitime fuerat desponsata Iacob. Haec omnia haud dubie inculcavit et auxit Satan, et iis mirabiliter tentationem aggravavit, et suggessit etiam Deum ipsum ab ea abalienatum.

Sed adversus haec quatuor argumenta tristitiae et desperationis dat Deus Leae alia quatuor argumenta consolationis, quatuor filios. Primum contra despectum Rahelis respicit humilitatem ejus. Secundo, quia adhuc negligebatur a marito, audit preces ipsius. Tertio, ne videatur aliena et exclusa prorsus,

dat Deus, ut jungatur et adhaereat ei maritus. Quarto, triumphat victrix contra omnes tentationes. Non jam amplius despecta et contemta, sed laudans Deum et gratias agens. Hoc exemplum nos quoque sequamur, et discamus, Deum post tentationem, liberationem et consolationem cumulate solere exhibere, qua omnis tristitia et perturbatio superetur. Sed durum est carni exspectare consolationem a Deo. Ideo ejusmodi exempla fidei proponuntur, ut videamus, quomodo Lea clamavit, credidit, exspectavit et tulit omnem injuriam et vexationem a sorore, in fide et spe. Et tandem Deus sperantem in se et respexit, et opulenter consolatus est.

TRIGESIMUM CAPUT GENESIS.

Cernens vero Rahel, quod non pareret ipsi Iacob, invidit sorori suae, dixitque ad Iacob: Da mihi filios. Et si non, morior ego.

Hoc caput unum est de obscurissimis hujus libri, quod et ad verba, et sententiam, et ad historiam attinet. Itaque multae quaestiones offeruntur cum grammaticae, tum historicae illis longe difficiliores. Ne videamur autem omnino praeterire, faciamus, quantum possumus. Ac primum quidem haec quaestio nascitur in oculis carnalium et Epicureorum, qui adspiciunt haece historias tanquam exempla extremae turpitudinis. Ducit enim Iacob duas sorores, et insuper duas ancillas earum, atque ita quatuor uxorum maritus est. Ideo judicant Iacob ex suo ingenio, et fingunt, eum fuisse libidinosum, to-

tum deditum amoribus muliebribus dies et noctes: si quidem non potuit una conjuge contentus esse, sed quatuor duxit. Inde vehementer offenduntur et arripiunt occasionem blasphemandi, et laudandi suum caelibatum contra lasciviant et libidines, ut ipsi sentiunt, sanctissimorum Patriarcharum, praesertim Iacob. Sed perinde haec eorum judicia sunt, ac si porcus aut asinus de insigni aliquo citharoedo judicet: genus hominum perditissimum libidinibus, scortationibus et adulteriis, qui dies noctesque tantum ludos suos venereos somniant, ac imaginantur, quid ipsi facturi essent, si talis licentia concederetur, ut singulis noctibus conjuges permutare possent, et cum eis ludere secundum flammas et ardores carnis, sicut cum scortis suis ludunt. Ita non discernunt vitam conjugum sanctissimam a suis scortationibus.

Lyra autem valde hic laborat in defendendo Iacob. Sed respondendum est insulsis et libidinosis illis porcis, majorem esse castitatem Iacob, qui habet quatuor, quinque aut centum uxores, quam in toto ipsorum caelibatu, etiamsi abstineant a meretricibus. Fingamus enim aliquem vere caelibem, qui prorsus contineat: tamen certum est, Iacob centuplo esse castiorem, quia caelebs ille dies noctesque uritur et aestuat libidine, dormiens patitur pollutiones, vigilans rursum sentit pruritum. Qualis ista est castitas vivere et ardere in mediis flammis libidinis? Si quando adspicit mulierem formosam, totus incenditur, et quanquam sese reprimit, et opere abstinet, tamen flamma illa gignit pollutiones non somnianti tantum, sed et vigilanti. Sicut Gerson testatur.

Haec igitur non est libera et voluntaria, sed

coacta castitas; libentius enim perrumperet et insaniret in mulieres, non potest cohibere flammas. De continentibus dico et pugnantibus adversus libidinem, qualis fuit Bernardus et Bonaventura, qui cum essent alioqui sancti et boni viri, tamen sine pruritu esse non potuerunt: quin Hieronymus queritur de somniis, quibus se Romae inter puellas saltare somniaverat. Item Ambrosius et Augustinus tecte significant, tametsi uterque a sexu muliebri abstinuerit, tamen non caruisse pruritu et pollutionibus nocturnis. Quodsi optimis et sanctissimis illis viris accidit, cur istorum porcorum simulatum caelibatum et judicia morabimur, qui putant, tales fuisse Patres erga conjuges, quales ipsi futuri essent, si daretur licentia cum tot uxoribus cohabitandi?

Testantur autem sequentia, et ea, quae supra dicta sunt de continentia Iacob, vixisse eum castissime. An non enim haec continentia est, vivere caelibem usque ad LXXX. annum aetatis, et continere non coactum, sed sponte et ex promtitudine spiritus? Idem tu quoque praesta a prima aetate usque ad senectutem, et praedicabimus caelibatum tuum. Nulla igitur gloria prorsus est caelibatus Papistici, si ad Patriarcharum castitatem conferatur.

Postea vero audiemus, quomodo queritur Iacob de difficili et molesto vitae genere, quando expostulat cum Laban. Per diem, inquit, consumsit me aestus, et gelu per noctem, et fugit somnus ab oculis meis: ubi describit totam rationem vitae suae, quam non duxerit in otio sine curis, laboribus et molestiis, non desederit domi otiosus ad focum, et luserit cum Lea, sed dies noctesque domo abesse, pascere pecora et omnes operas rei pecua-

iae obire coactus sit, passus frigora et aestus sub lio, et rarissime ad tabernaculum accesserit; das soll inem den Kützel wohl vertreiben, wenn er schon ung ist. Vixit igitur Iacob continentissime cum tot xoribus, et longe castius, quam alius quispiam cum na conjuge. Ardere enim per diem, frigere per octem, obrui laboribus in servitute aliena et diffiili sub domino iniquo et avaro, magnum profecto t intolerabile onus est.

Recte igitur Lyra Iacob excusat, quod continen-er vixerit, et temperanter usus sit uxoribus et ancil-is, quia prolis amore tantum cum eis habuit con-uetudinem: id quod etiam apparet in sollicitis illis otis mulierum. Vide enim, quam anxie ambiant aritum, ut possint habere prolem. Rarissime igi-ır fuit in tabernaculis uxorum, et purissimo amore rolis cum uxoribus cohabitavit. Et videmus, quod ropter sobolem Leam diligat, quae antea invisa et ontemta erat, et plus cum ea consuetudinis habeat, uam cum Rahele; postquam sentit, eam esse fecun-am. Sic igitur respondebimus ad primam quaestio-em hujus loci, ut obstruatur os spurcissimis homi-ibus, qui conjugia Patriarcharum ex libidinibus et npuro suo caelibatu aestimant.

Secunda quaestio est antea tractata, quod prae-r duas sorores ducit etiam duas ancillas. Nihil ero assero; sed videtur, illa aetate morem fuisse jus regionis, ut uxores steriles traderent maritis ncillas: sicut Laban utrique filiae ancillam addit, rsan in eum eventum, si filia non pareret, ut suc-ederet ancilla, ex qua aedificaretur domus. Sic su-ra Sara dedit ancillam Abrahae, non alienam, sed domo et familia sua. Isaac non secutus est hunc

morem. Neque Iacob eum usurpasset, nisi esset deceptus a Laban, et mulierculae tantopere flagitassent. Nam et hoc considerandum est, fuisse eo tempore fecunditatem pro eximia benedictione et singulari dono Dei habitam, sicut ex Deuteronomio, (28, 4.) apparet, ubi Moses numerat inter benedictiones fecunditatem. „Non erit, inquit, apud te sterilis". Nos non tanti facimus hodie. In pecudibus quidem amamus et expetimus; sed in genere humano pauci sunt, qui ducant fecunditatem muliebrem pro benedictione. Imo plures sunt, qui aversentur, et pro singulari felicitate habeant sterilitatem: quod sane etiam contra naturam est, multo minus pium et sanctum. Haec enim στοϱγή divinitus naturae humanae est indita, ut optet augmentum et multiplicationem sui. Itaque inhumanum et impium est, fastidire sobolem, sicut nuper quidem uxorem suam saepius parientem scropham dixit homo nihili et impurus. Sic nequaquam affecti fuerunt sancti Patres; agnoscebant enim singularem Dei benedictionem, mulierem fecundam, et e contra sterilitatem pro maledictione habebant. Atque id judicium manavit ex verbo Dei, Gen. 1. (v. 28.): „Crescite et multiplicamini". Inde intellexerunt, prolem esse donum Dei.

Porro exemplum aut factum hoc, quo traditae sunt ancillae pro dominabus, quae erant steriles, non debet trahi in consequentiam. Non est, quod dicat aliquis: Fecit hoc Iacob: ergo mihi quoque licebit. Sicut de Monetario dictum est, hortante rusticos, ut ad exemplum Josuae et Simsonis principes trucidarent. Sed memineris, tibi manendum esse in hac regula: Unusquisque suam uxorem habeat. Si vis esse similis Iosuae et Simsoni, fac etiam, ut circum-

stantiae omnes te ad mutationem rerumpublicarum et caedem magistratus impellant, sicut illi heroës singulari vocatione moti sunt: alioqui exemplum non valet, quia habes plura et majora exempla, quae testantur, non occidendum esse magistratum, non esse mutandas respublicas. Sis igitur obediens magistratui, sicut alii subditi; non enim es exceptus a regula. Ideo mane in obedientia, ne fias heroicus, sicut Monetarius et alii.

Haec itaque traduntur non in exemplum, sed ut abstineamus ab exemplo et imitatione. Admiremur ea, sed non imitemur. Alia enim sunt, quae imitari, alia, quae admirari debemus. Spera, crede, invoca, sicut Lea; non autem quatuor uxores ducas, sicut Iacob. Id enim ad solum Iacob pertinet, et ad eos, quos voluit Deus exemtos esse a regula. Nos in fide, patientia et spe in Patribus proposita exerceamur, et ab heroicis illis exemplis abstineamus. Hae sunt quaestiones, quae principio hujus capitis excutiendae fuerunt: jam et textum videamus, qui etiam est obscurus. „Invidit sorori suae" vel zelavit contra sororem suam. Est enim verbum קָנָא aemulari, zelare, קַנּוֹא zelotes.

Quaeritur autem, an sanctissimae illae mulieres, quae vera fide Deum invocarunt, etiam invidia et odio laborarint? Sicut textus manifeste id ostendit. Lyra duplicem facit invidiam: unam, qua invideo alteri suam felicitatem, alteram, qua indignor et irascor propter meam miseriam. Sed haec non est proprie invidia. Nos, ut solemus alias, ita excusamus: Sancti Patres et matres fuerunt adhuc sub carne: sicut nos quoque habemus carnem adversantem et captivantem nos in legem peccati. Porro omnium

tentationum, praesertim sublimium, ea ratio est, ut paene omnem sensum pietatis adimant. Sic cruce et calamitate oppressus non sentit patientiam. Tentatus in fide et spe non sentit fidem et spem, non videtur sibi credere aut sperare, sed prorsus esse impius. Qui vexatur desperatione et fremitu adversus Deum, quando alio modo aliquid administrat Deus, quam nos praescripseramus, is sentit summam offensionem et indignationem adversus Deum, non videtur ullam scintillam fidei aut spei habere.

Hae cogitationes solent esse afflictorum in ipso paroxysmo tentationum. Alioqui extra tentationem, quando de fide et de spe disputo aut loquor, nihil istis videtur facilius, sed in paroxysmo subito evanescunt omnia. Sic in aliis generibus tentationum, impatientia, iracundia, libidine, apparet et sentitur ardor et cupiditas vindictae. Et verum est, tales affectus non sunt fides, spes, caritas, sed sunt caro ipsa. Ita Rahel habuit tentationem invidiae, qua optavit fieri posse, ut soror non pareret, tametsi non succubuit, sed accidit ei, quod Paulus inquit (Rom. 7, 19.): „Quod nolo, facio, quod volo, non facio“. Qui tentatur dubitatione, sentit gemitum ineffabilem, quo optat, se non vexari dubitatione, et tamen sentit dubitationem praevalentem et captivantem lege peccati et incredulitatis. Sed adversus hunc occultus gemitus excitatur per Spiritum sanctum, qui vicissim obmurmurat et contradicit, ac irascitur incredulitati, pfu dich, du leidige incredulitas, sprich nicht also: Wer weiſs? Es ist erlogen etc. Idque fit parvo suspirio et gemitu inenarrabili, qui *sustentat animum* tentatum, ne fiat profanus et contemtor.

icut Epicurei solent, qui in levissima quaque tentione longum valere dicunt fidei et spei.

Sed est molesta admodum haec pugna carni, quae nallet fidem non tentatam aut oppugnatam, sed occidentem leones et ursos, sicut David, Simson aut lii. Mea autem fides tam exigua et imbecillis est, ut facillime ipsa a leone aut urso consumi queat. Sed adest tamen calamus quassatus, et parvulum linum fumigans, et Deus, qui intelligit gemitus, qui novit, quid Spiritus sanctus pro nobis postulet. Ideo coram Deo est ingens incendium, imo ardentius et majus coelo et terra. Sic igitur excusandi sunt sancti secundum hanc sententiam Pauli (Rom. 7, 23.): „Video aliam legem in membris meis, non solum repugnantem, sed et captivantem“. Item (ib. v. 25.): „Secundum carnem legi peccati servio“. Sic enim sanctae matres fuerunt homines viventes in carne, sed non ambulantes secundum carnem, nobis in exemplum, ne desperemus, neve cedamus carni. Rahel invidet quidem sorori, et habet zelum adversus eam; sed spiritus militat et luctatur contra zelum carnis. Libenter eam benedictionem habuisset, qua est donata soror: et tamen reprimit se, ne optet, eam fieri sterilem.

Inde autem apparet, sanctissimas mulieres non fuisse libidinosas, sed cupidas prolis et benedictionis. Ea enim causa invidiae est in Rahele, quae si fuisset similis aliarum mulierum, quas nostrum saeculum multas tulit, dixisset: Quid mea? Sive pariam, sive non, modo maneam materfamilias, et omnibus rebus aliis abundem, sat habeo. Verum Rahel tantopere flagitat prolem, ut mori malit, quam sterilis manere. Nec memini, me similem vocem le-

gere in ulla historia. Est igitur exemplum optimae et continentissimae mulieris, cujus unicus zelus et ardor est usque ad mortem pro prole. Sicut supra Sara etiam simile desiderium sobolis prae se tulit: et in utraque valde laudandus est affectus iste. Si non habuero prolem, inquit Rahel, moriar: vitam potius, quam prole carebo. Et si mea caro effeta et sterilis est, tamen ex ancilla suscipiat maritus meus; si ex ea quoque negabitur, opto, ut Deus ex hac vita me evocet. Nec levis causa hujus cupiditatis fuit; Iacob enim haud dubie praedicavit utrique, se habere promissionem de semine benedicto ex se nascendo; hac praedicatione accensa est cupiditas sobolis acquirendae praesertim in Rahele, quae quo minus spei habebat, hoc magis desiderabat, adeo ut constituat aut parere, aut mori, sicut etiam postea in partu moritur. Hoc desiderium et affectus piae mulieris bonus et sanctus est, sed ita vehemens, ut in paroxysmum invidiae et zeli adversus sororem prolabatur. Nec pro turpi exemplo habendum est, sicut Papistae libidinis hos sanctos homines accusant: non enim in conjugio spectarunt voluptatem carnis foedam et miseram, sed benedictionem prolis propter semen promissum.

Et efferbuit ira Iacob in Rahelem, dixitque: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?

Iacob irascitur propter contentionem istam tam vehementem. Ego, inquit, non sum in culpa; tamen es mihi dilectissima conjunx, cum qua saepius cohabitavi, quam cum sorore. Non sum ego Deus, qui possim tibi largiri fecunditatem et vim pariendi.

Ista vero omnia valde humilia et sordida sunt, ut maxime commendentur, sunt tamen humana, rnalia et muliebria, quibus mirum est occupari iritum sanctum: quomodo inviderit Rahel Leae, altera pepererit, altera fuerit sterilis: item quod ene blasphemaverit Rahel, et nimis importune conderit a marito prolem, ita ut Iacob ei carnaliter scatur, et vera dissensio inter conjuges incidat. onne ista sunt puerilia?

Hanc vero quaestionem supra agitavimus, et semr movenda et inculcanda est: quare Spiritus sancs, cujus os purissimum est, tanto studio de his ncionetur, de quibus sanctissimus Papa cum caissimis Monachis et Nonnis ne dignantur quidem gitare, tanquam de sordidissimis et carnalissimis bus? Ambulant enim in magnis mirabilibus sui elibatus: hasce vero sordes de conceptu, de par, de offensionibus conjugum judicant indigna lecme. Potuisset, inquiunt, Spiritus sanctus pro sua nctitate loqui de coelestibus et aliis sublimioribus, n de humilibus et carnalibus: debuisset fieri Mochus aut Nonna; sed tantum recitat, quis fuerit atus oeconomiae, quae ratio conjugii Iacob. Ista s Angelicos viros, qui incedimus super nubes in pientia et religione Angelorum, offendunt.

Sed quia ipsi haec parva fastidiunt, ideo Spiris sanctus vicissim tam superbos et gloriosos sancs odit, et non agnoscit pro suis, relinquit eos in loria, superbia et vanitate sua, et descendit ad suas reaturas, eas curat et ornat. Ipse enim creavit orem terrarum, creavit masculum et feminam, et beedixit eis, ut essent fecundi. Subjecit eis mundum, t adhuc sustentat omnia, alit et praebet lac matri

ad fovendum et nutriendum fetum. Has creaturas non contemnit, non despicit suum opus; non tamen cum contumelia caelibatus. Nam et is donum Dei est. Et nos utrunque commendamus in suo ordine et mensura. Non sic laudamus conjugium, ut caelibatum vituperemus aut rejiciamus, quod Papistae non faciunt; ita enim extollunt caelibatum, ut conjugium contumelia afficiant, nec praedicant continentiam tanquam donum Dei, sed tanquam opus suum. Haec est doctrina Daemoniorum, sicut etiam ex fructibus apparet, qui inde enati sunt. Quia enim voluerunt gloriari in operibus carnis, ideo vivunt hodie turpissime, et vincunt omnes lenones et meretrices turpitudine. Quare? Quia non laudaverunt continentiam tanquam opus Dei, sed tanquam suum opus. Et conjugium, quod est opus et ordinatio Dei, contemserunt et vituperarunt.

Itaque delectatur Deus descriptione tam humilium rerum, ut testetur, se non despicere, nec abhorrere aut abesse ab oeconomia, a bono marito, ab uxore, a liberis. Quare hoc facit? Quia ipse creavit; ideo gubernat et conservat tanquam suam creaturam, tametsi peccato corrupta est caro. Neque caelibum caro incorrupta est; et ex eadem origine ipsi quoque nati sunt. Cur igitur eam vituperant, et suam impuram castitatem praeferunt conjugio? Vult igitur Spiritus sanctus nos docere ac testari tractandis istis humilibus, humanis et communibus, ut sciamus, ipsum velle nobis adesse, curare nos et ostendere, quod sit creator et gubernator noster. Haec Papistae non vident, sed contemnunt, ideo dignas poenas contemtus luunt.

Secundo non vident, quam puro et materno cor-

de petant istae mulieres liberos, qui affectus et verba Rahelis ostendunt, cor ejus fuisse alienissimum a libidine. Hoc ipsi non vident. Quare? Quia scriptum est: Tollatur impius, ne videat aut audiat, quid loquatur, quid agat et operetur Deus. Digni non sunt, ut videant gloriam Dei. Sic hodie audiunt nos clamantes, docentes, cantantes verbum Dei, vident opera Dei: et tamen non vident. Quare? Quia non sunt digni. Sic etiam non vident, Rahelem proponi in exemplum pulcherrimi et materni affectus ac castitatis, quae tantum quaerit prolem ex carne, sicut et Lea. Audiunt, eos nihil aliud sonare, quam: Dominus dedit; Dominus benedixit. Et infra in contentione: Dominus judicabit inter me et te; omnes sermones eorum sunt de Deo, de beneficiis et operibus ejus: et tamen habent haec omnia pro peccatis, et sanctissimas matronas indignas judicant, quarum exempla proponantur in ecclesia.

Quid potest melius et utilius in ecclesia doceri, quam exemplum piae matrisfamilias, quae orat, gemit, clamat, agit gratias, regit domum, facit officium sexus, desiderat prolem cum summa castitate, gratitudine, pietate? Quid faciat amplius? Sed Papa, Cardinales et Episcopi haec non debent videre, quia digni non sunt. Spiritus sanctus sinit eos ambulare in mirabilibus et supercoelestibus, et admirari suam castitatem dignam lupanaribus. Haec vero neutiquam cernere debent. Interim ita gubernat sanctas mulieres, ut testetur, esse eas suam creaturam, quas velit regere, non tantum secundum spiritum, sed etiam secundum carnem, ut Deum invocent, adorent, gratias agant pro prole et sint obe-

dientes marito etc. Id nimirum est tradere ista sordida legenda ecclesiis, ut ostendat Deus sua magnifica et mirabilia opera in ecclesia, quomodo operatur in carnalibus et terrestribus coelestia et spiritualia. Carnalia autem cernunt impii, spiritualia et divina non cernunt.

Tertio neque hoc vident, quibus aerumnis et miseriis conflictatae sunt miserae mulieres; sed somniant, eas vixisse in luxu, in otio et deliciis, qualem vitam ipsi vivunt. Cogitant, Iacob fuisse magnum dominum, et in re lauta deliciatum esse cum uxoribus: Rahelem fuisse instar reginae summo splendore et opibus cumulatam. Nam talem vitam et uxores tales ipsi exoptant, et magna pars eorum hisce commoditatibus fruitur. Sed inspice historiam, et invenies, Iacob fuisse inopem et egenum, qui ne obolum quidem proprium habuerit. Sic et mulierculae fuerunt miserrimae, sicut infra queruntur Rahel et Lea (Gen. 31, 14. 15.): „Numquid habemus residui quicquam in facultatibus, et haereditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit, et vendidit, comeditque pecuniam nostram"? Quodsi filiae fuerunt inopes et mendicae, multo magis ancillas eguisse verisimile est?

Fuit igitur summa miseria cum durissimis laboribus conjuncta, quas sustinuerunt dies et noctes, insuper et famem, sitim ac frigus tolerarunt. Hoc tu quoque, qui accusas incontinentiae sanctissimos homines, imitare, ducas quatuor uxores, et servias quatuordecim annis domino avaro et ingrato; sed nemo est, qui haec videat aut consideret. Neque quisquam est hodie, qui velit vel unam, nedum quatuor

tuor

nor uxores ducere hac lege, ut tantum serviat, et suo labore et sudore alterius commoda augeat, seutem et uxorem unde alat, non videat.

Incredibilis itaque haec fiducia est, quod ducit Iacob tot uxores, ea spe, quod Deus inopiam suam sublevaturus, seque et totam familiam aliturus sit. Ducere uxorem perfacile quidem est; sed eam cum liberis et familia alere, est difficillimum. Hanc igitur fidem Iacob nemo est, qui animadvertat. Quin multi sunt, qui oderunt fecunditatem in conjuge, tantum ob eam causam, quia alenda est soboles et educanda. Sic enim vulgo loqui solent: Cur ducam uxorem, cum sim pauper et mendicus; solus potius onus paupertatis sufferam, neque accumulabo mihi miseriam et egestatem. Sed injuste haec culpa conjugio et fecunditati impingitur: quin tuam incredulitatem accusas, quod diffidis bonitati Dei, ac majorem miseriam tibi accersis vituperando benedictionem Dei. Si enim confideres gratiae et promissionibus divinis, alereris haud dubie: sed, quia non speras in Domino, nunquam prosperaberis.

Ad hunc modum videmus in istis sordidis rebus lucere maximas virtutes, fidem insignem, certissimam spem ac patientiam invictam erga Deum et erga homines: quae neque Papistae, neque alii facile perspicient, nisi diligenter inspectis circumstantiis. Illi vero, qui prorsus non curant, nec credunt, valeant et maneant lenones impurissimi. Nos discamus, requiri non ad ecclesiam et politiam tantum, sed etiam ad oeconomiam fidelem maritum et fidelem uxorem. Nihil enim unquam recte et feliciter gerit infidelis. Memini, Stupicium mihi recitare historiam de Priore in quodam monasterio, qui cum

perpetuo querularetur, reditus monasterii tenuiores esse, quam ut Monachis inde posset victum et necessaria procurare, exegit tandem ab eo Stupicius rationes redituum et expensarum, in quibus vidit facultates monasterii annuatim notabiliter auctas esse. Ideo accersitum ad se amovit ab officio, dicens Tu non es homo fidei. Ideo impossibile est, ut praesis rebus monasterii.

Omnis itaque gubernatio ac tota vita consistit in fide. Ad eam vero excitandam et confirmandam mirifice prodest exemplum Iacob; nam is ne teruncium quidem habet, et tamen alendae ipsi sunt quatuor uxores in servitute ista, unde nihil aliud habet praeter victum et amictum, quo contentus fuit quatuordecim annis. Hoc nemo nostrum facile imitabitur ne in una quidem uxore, nedum duabus aut quatuor ducendis. Nemo enim vel unam septimanam sine certo stipendio vivere et egere vult: quomodo quatuordecim annis tantum pro victu quotidiano serviet? Adeo non sumus conferendi ad illos homines, sed sumus prorsus increduli. Quando igitur loquitur Spiritus sanctus de leviculis et contemtis rebus, simul etiam involvit pretiosissimas gemmas maximarum virtutum, quas porci isti Papistae non vident. Tantum enim carnalia adspiciunt, et pro melle ex rosa venenum exsugunt. Nam in his exemplis Patrum lusus venereos carpunt et multitudinem conjugum et concubitus, ut ipsi sentiunt, libidinosos, quando Rahel aut Lea sobolem expetunt. Non illud cogitant, quomodo invocarint et glorificaverint Deum, quomodo fuerint fide et incredibili patientia praediti.

Sed quomodo aliter judicarent homines otio et

luxu perditi, quales sunt Canonici et Cardinales, qui sine labore, sine omni tentatione vitam transigunt. Nos igitur alia et meliore ratione scripturam sanctam evolvamus. Ideoque toties repeto et inculco, ut leviuscula haec et carnalia prorsus non carnis, sed spiritus oculis intueamur, tum videbimus mirabilia consilia Spiritus sancti in ejusmodi descriptionibus, magis quam in summis et maxime spiritualibus.

Quae ait: Ecce ancilla mea Bilha, ingredere ad eam, et pariet super genua mea, ut et ego aedificer ex ea.

Parere super genua Hebraica phrasis est, qua significat Rahel, se velle fieri matrem, et his verbis adoptat prolem ex ancilla. Significant enim officia maternitatis, si quidem mater gestat infantem in genibus suis. Sicut dicitur, Isaiae 66, (v. 12.): „Super genua fovebimini", die Mutter hat das Kind auf der Schoſs. Cogitavit igitur: Cum ex me non possim habere filium, tamen fiam mater benedicti seminis per ancillam. Inde apparet desiderium ardentissimum promissi seminis, pietas item et excellens fides, qua adhaeserunt promissionibus de Christo, quae factae fuerant Iacob. Deinde necesse est, insigni probitate fuisse praeditas mulierculas, si quidem potuerunt conjuges esse tam pauperis mariti, et in domo patria servire ancillarum loco. Fuit incomparabilis sanctitas, mirabilis fides, patientia, spes et caritas. Nostrorum civium aut rusticorum delicatae filiae idem nunquam praestarent.

Dedit itaque ei Bilham, ancillam suam, in uxorem, et ingressus est ad eam Iacob.

Ne hoc quidem ulla mulierum faciet; potius enim prole carebit, quam gloriam maternitatis et tori ancillae concedat. Et mirabilis hic affectus est, cujus simile exemplum in Sara supra descriptum est, quod dignitatem conjugalem cesserunt ancillis. Nulla mulier secundum carnem hoc faciet; sed est opus spiritus, quo excitata cogitavit: Volo ego quoque esse mater, tametsi omnis gloria tori et maternitatis mihi sit resignanda ad tempus.

Concipiens vero Bilha, peperit ipsi Iacob filium. Et ait Rahel: Causam meam egit Deus, et audivit vocem meam, dans mihi filium. Unde vocavit nomen ejus Dan.

Haec non sunt verba lascivae meretricis. Agit enim Deo gratias, quod sit exaudita; ac allegat judicem Deum, tribuitque ei donum fecunditatis. Clamavi, inquit, et oravi. Benedictus autem sit Dominus, qui judicavit me et audivit vocem meam. Est pulcherrima gratiarum actio; haeret tamen adhuc in carne. Ideo ait: Iudicavit vel egit Deus causam meam, quasi diceret: Soror mea, quanquam non est vera uxor, tamen superbivit contra me, sicut supra Hagar contra Saram, propterea quod fecunditate me antecelluit. Sed Dominus etiam me judicavit. At vero, mea Rahel, cur adeo laetaris? Tamen non est tuus filius, non ex tua carne natus? Uterus tuus et ubera tua nesciunt hunc filium? Quid tum? Tamen sibi gratulatur, quod habet filium adoptivum ex ancilla. Tanta fuit admiratio fecunditatis.

Dan significat judicium: quia Deus miseriam et probrum meum vidit. Sicut infra (v. 23.) dicit: „Abstulit opprobrium meum". Sterilitas enim pro opprobrio est habita propter verbum illud: „Crescite et multiplicamini". Sed Deus judicavit, id est, pugnavit, contendit pro me. Nunc etiam ero in aliquo numero, quanquam ex ancilla filius mihi natus est. Ita enim oravit: Domine Deus, quandoquidem non vis, me esse matrem (quanquam sum materfamilias et uxor primaria), da saltem ex ancilla prolem, si ego indigna sum. Cur enim ita me reprobas, rejicis, confundis, despicis? Haec fuit ejus precatio cum suspiriis crebris et lacrymis, et hanc significat exauditam esse. Ut maxime igitur videantur haec carnalia et lasciva, tamen geruntur omnia in summo spiritu, in fide et patientia mirabili: deinde cum laudibus Dei et gratiarum actione, quod liberarit ipsam Deus opprobrio sterilitatis.

Rursumque concipiens Bilha, ancilla Rahelis, peperit filium secundum ipsi Iacob. Et dixit Rahel: Permutationibus Dei permutatum est inter me et sororem meam, et ego praevalui. Vocavitque nomen ejus Naphtali.

Iam vero augescit gaudium Rahelis, nato secundo filio. Sed quaestio est apud Hebraeos, quid significet Naphtali. Grammatici certant et adhuc sub judice lis est. Sanctes Pagninus et Munsterus vertunt: Luctationibus Dei luctata sum, id est, luctationibus vehementissimis luctata sum cum sorore mea. Et addunt hanc rationem, quod in Hebraea lingua omnia magnifica vocentur divina. Hinc civitas Dei

Ninive, id est magnifica. Cedrus Dei, id est, ardua et magna. Etsi autem non arrogo mihi judicium in Hebraea lingua, tamen odi depravandi audaciam in iis, quae simpliciter dicta sunt: quasi vero Ninive non sit etiam civitas Dei in praeputio, sed soli circumcisi sint populus Dei. Omnia haec manant ex superbia et arrogantia Iudaeorum, qui nihil ferunt dici magnificum, nisi quod ad ipsos pertinet. Sed quis hanc potestatem interpretandi Grammaticis Hebraeorum tribuit, ut luctationem Dei pro magnifica luctatione exponant? Sequar igitur simplicem et grammaticum sensum.

פָּתַל significat permutare, pervertere, Psalm. 18, (v. 26. 27.): „Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris“. Si quis avertit se a Deo et aliter agit aut docet, quam Deus docet et facit, vult aliquid melius et excellentius facere, et tamen pervertit omnia. Ibi Deus etiam pervertitur et mutatur, ut non sequatur praescriptum illud perversi, sed relinquat eum cogitationibus suis. Hinc Naphtali, permutatus, es hat sich gewendt. Ita Rahel dicit: Benedictus Dominus, quia accidit mutatio inter me et sororem. Et apparet, eam haec verba protulisse, postquam desiit Lea parere nato quarto filio. Ibi Rahel acquirit liberos per famulam, Dan et Naphtali. Ideo dixit: Facta est permutatio sive conversio; soror mea desiit parere, ego vero incipio et pergo consequendo sobolem, non meo nutu aut voluntate, sed Dei gratia et dono, qui exaudivit preces meas.

Iam vero quaestio nascitur, quomodo septem annis potuerit Iacob gignere duodecim liberos. Primis enim septem annis servivit gratis sine uxore et pro-

le: altero septennio duxit duas sorores, et Ioseph videtur postremo anno servitutis natus, post omnes alios filios, hoc est, decimo quarto anno. Sic enim habet ordo et series historiae in textu. Quomodo vero id potuit fieri, cum Lea sola quatuor primis annis quatuor filios pepererit? Necesse est igitur, reliquos octo tribus annis esse genitos, quod est impossibile. Respondeo: Moses usus est anticipatione, hoc est, figura, quae rhetoribus est ὕστερον πρότερον, sicut postea declarabimus. Et inde intelligetur, qualis sit permutatio haec, a qua nomen imponit Rahel filio. Nam inde nascitur haec difficultas et obscuritas: quia apparet, omnes istos Patriarchas editos esse septennio altero. Quod si fuerit expeditum, nomen etiam Naphtali erit clarius.

Id vero ut possit fieri, jungendi sunt sex anni septennio alteri, quibus servit Iacob pro pecoribus. Vera enim series historiae haec est: Quatuor primis annis nati sunt quatuor filii Leae: Ruben, Simeon, Levi, Iuda. Postea cessat Lea parere, et Raheli nascitur Dan ex ancilla, qui est quintus filius Iacob et quintus annus, qui vacat a partu Leae. Bilha autem, ancilla Rahel, implet hunc edito filio Dan. Atque ibi gratulatur sibi Rahel de fecunditate et accedit insuper alter filius Naphtali anno sexto, quo Lea etiam non parit, unde Naphtali filius vocatur, quasi diceret Rahel: Soror mea desiit parere his duobus annis, quinto et sexto. Iam nunc res meae mutantur et convertuntur in melius: sicut ante de etymologia vocis ex 18. Psalm. dictum est. Et eadem significatione in proverbiis (8, 8.) ponitur: „Sapientiae verbis nihil inest perversum“, id est, verbum Dei non mutatur, non pervertitur, est sim-

plex et rectum. Sed hic accidit permutatio, in Rahel, quae est permutatio Dei: quia sorore cessante parere ego prolem nacta sum, quia pra lui, et jam proficio, cresco et floreo, ipsa aresc Sic agit pia mulier gratias Deo, quod audivit ces ejus, et dedit sobolem, saltem ex carne anci Neque vero hoc tantum desiderium liberorum turpi concupiscentia et libidine habendum est. fuerunt appetitiones castissimae prolis in utraque ut etiam ancillis traderent jus maternitatis et b dictionis, qua posteritas Iacob possessura erat ram Canaan, quam promissionem Iacob dilige inculcavit. Ideo utraque optavit esse mater h dicti seminis et posteritatis.

Atque hactenus servavit Moses lineam sive riem historicam in descriptione sex annorum: ea nunc mutatur, et fit ὕστερον πρότερον, qua gura nisi diligenter observetur in lectione sacra imo omnium historiarum, saepe magnas obscuri parit. Iam enim secundum consequentiam his eam sequi debebat nativitas Ioseph, post Napl Sed illam differt Moses usque in tertium para phum, et redit ad Leam, quae duobus annis, e etiam, quo nascetur Ioseph, nihil peperit, per ram ὕστερον πρότερον, id est, posterius prius, saepe loca obscurissima in historiis evolvuntur. gustinus libro de civitate Dei XVI. anticipatio et recapitulationem vocat. Et est una de reguli intelligendam scripturam sanctam necessariis.

Ioseph deberet esse prius, et poni post N tali, sed fit ὕστερον: Lea cum Zilpa ancilla d bant esse ὕστερον et fiunt πρότερον. Saepe in historiis res diversas eodem tempore, sed di

sis locis gestae sunt, aliud Romae, aliud in Graecia. Ibi non describuntur certo ordine; sed una historia pertexenda est ad finem, postea idem tempus repetendum, et alterius etiam narratio absolvenda est. Tempora enim sunt eadem, sed res diversae, quae concurrerunt eodem tempore.

Sic igitur ponatur in tabella quadam. Quatuor primi anni sunt Leae: quintus et sextus sunt ancillae Rahelis. Septimus est annus nativitatis Ioseph, quia infra dicit ad Pharaonem, se natum esse triginta annos, quod pulchre congruit in supputatione annorum. Septimo anno post nuptias Iacob cum Rahel natus est Ioseph, quod est manifestissimum. Sed hoc tacet Moses, et antequam loquatur de nativitate Ioseph, praemittit reliquos filios natos ex Lea et ancilla ejus, qui nascuntur sex annis, qui adjiciuntur servituti Iacob pro pecoribus. Infra enim textus dicit, nato Ioseph Iacob voluisse abire in patriam. Sed denuo pactum esse cum Laban de sexennio. Circumstantiae igitur evidenter convincunt, ante hos ultimos sex annos natum esse Ioseph, videlicet septimo anno: et sex annis alitum et educatum in Mesopotamia. Benjanim septem annis post Ioseph editus est in terra Canaan, exstincta matre in partu. Ita manifestum est, Iacob serviisse socero suo viginti annos, quatuordecim pro filiabus, sex pro pecoribus. Hi anni omnes jungendi sunt in hac supputatione.

Lea autem quia tribus annis vacavit a partu, voluit imitari exemplum Rahelis, et sic cogitavit: En, soror mea peperit filium Ioseph, ac propterea diligitur a marito tanquam primaria uxor, ex qua sperat veram posteritatem. Et jam pro primogenito

habet filium Ioseph: ille est lux et dux, quia est filius reginae et matrisfamilias. Aemulata est ergo Lea, et fuit sollicita, quomodo mutaret animum mariti, et abalienaret a sorore. Ideoque hoc consilium iniit, ut traderet ei ancillam, ex qua suscepit Iacob octavum filium Gad; nono autem anno nascitur nonus filius Asser. Ibi Ruben primogenitus ex Lea, puer octo aut novem annorum, egreditur in agrum, ac casu invenit ibi Dudaim, ac domum refert, quibus acceptis Rahel paciscitur cum Lea, quod cum Iacob ea nocte dormire debeat. Talis enim incidit contentio et offensio domestica inter mulierculas propter honestissimam causam. Lea igitur concipit et parit decimo anno Isaschar, undecimo anno Zebulon. Duodecimo Dina nascitur. Ita duodecim annis genuit Iacob undecim filios, et unam filiam, Dinam.

Sed hoc offendit lectorem, quod post nativitatem undecim Patriarcharum, postremo loco Ioseph nativitas describitur, cum sexennio ante natus sit, quam Moses id commemorat. Sed hoc jam planum est ex regula, quam dixi, cujus sane maximus usus est in libris Regum et Prophetarum, imo etiam in historiis ethnicis, propter continuationem unius alicujus historiae, cum qua simul aliae diversae concurrunt.

bula ex Chronico D. Lutheri descripta, ıae seriem historiae pulchre illustrat.

	Lea peperit		Rahel peperit	
	Ruben	1	o	
	Simeon	2	o	
	Levi	3	o	
	Iuda	4	o	
	o	5	Dan	Ex Bilha
	o	6	Naphtali	
	o	7	Ioseph	
Zilpa	Gad	8	o	
	Asser	9	o	
	Issachar	10	o	
	Zebulon	11	o	
	Dina.	12	o	
	o	13	o	
			Benjamin	

Mirabilis autem fuit oeconomia istorum homim. Videmus enim, mulieres habuisse potestatem erendi ancillas, et rursus auferendi a maritis. Ra. enim postquam peperit primogenitum Ioseph, n admittit amplius ancillam ad maritum, neque a, postquam nati sunt ex ancilla Gad et Asser. ıde apparet, quanta fuerit in eis castitas. Non m licuit Iacob pro sua libidine concumbere cum cillis, nisi volentibus et permittentibus uxoribus:

quod non solent facere adulteri et scortatores. Concupiscentia carnis mortificata fuit in Iacob, et suis limitibus circumscripta, non evagatus est, quo voluit et rapuit libido. Haec duo, figura anticipationis et celebratio castitatis sanctissimorum hominum, diligenter notanda sunt. Alioqui nemo facile historiam hanc intelliget.

Deinde praesentia Dei et in hoc infimo vitae genere agnoscenda est, quod aeque ac reliqua plenum est vexationibus et aerumnis. Regit enim et tuetur Deus sanctos etiam in rebus servilibus, ut non desperent infimae sortis homines, nec superbiant hi, qui summo loco constituti sunt. Deus enim ita administrat orbem terrarum, ut suprema dejiciat, et infima evehat. Confundit sapientiam sapientum et intellectum prudentum. Hae sunt permutationes Dei: ecclesia subjecta est servituti in mundo, imo morti tradita, ut Paulus ait. Et tamen si absque ea esset, reges et principes cum omni potentia sua interirent. Ipsa enim subjectissima imperat et portat orbem terrarum, quia pii sustentant mundum, et tamen sunt servi, perinde ut in Graeco versiculo dicitur: Εἷς ἔστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης: solus paterfamilias servit in domo: sola materfamilias est ancilla. Unus tantum subditus in civitate est magistratus. Alii, qui videntur servi, fruuntur commodis, pace et tranquillitate civitatis, regni, imperiorum omnium: qui imperat, est servus servorum.

Ita enim temperat Deus orbem terrarum, ut serviant ipsi omnia summa, media, infima: supremi sunt infimi, et infimi sunt summi. Sapienter igitur et praeclare dux Fridericus, elector Saxoniae, ad Stupicium dixit, sibi, cum perlustraret animo totum

bem terrarum, et omnium hominum ordines, fe-
issimos videri rusticos, qui sunt infimo loco in re-
blica, propterea quod soli fruuntur pace et vera
nquillitate, non macerantur curis et periculis rei-
blicae. Aestate colunt agros: hieme fruuntur par-
domi ad focum. Tametsi carent lautitiis regiis,
nen summis bonis fruuntur, tranquillitate et otio,
habitant intra suam sepem tutiores et beatiores,
iam reges et principes intra arces aut moenia.

Haec est admiranda Dei gubernatio, sive rerum
rmutatio. Quae enim postremo loco et miserrima
lentur, summa sunt et felicissima. Nihil est mi-
rius ecclesia in mundo. Hinc illae querelae sanc-
rum et ecclesiae: Cur avertisti faciem tuam? Cur
livisceris mei? Ego praedico, confiteor, facio et
ro omnia, quae praecipit Deus; sed nemo me est
agis afflictus et desertus. Ibi vero respondet Do-
inus: Non obliviscor tui, sicut dulcissime dicitur,
aiae 49. (v. 14. 15.): „Et dixit Sion: Dereliquit me
ominus, et Dominus oblitus est mei. Numquid ob-
visci potest mulier infantem suum, ut non mise-
atur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego ta-
ien non obliviscar tui" etc.

Sed non apparet, tantam esse Deo curam et sol-
citudinem de nobis. Discendum igitur est, et ad-
iescendum ad illam permutationem et conversio-
em rerum et hominum in mundo. Gentes utcun-
ue experientia hoc didicerunt, quod servus in do-
io sit herus, et herus serviat. Quin etiam Monachi
e suis famulis idem querebantur. Habebant enim
atres, quos conversos dicebant, quibus res culina-
ia et operae domesticae demandatae erant; sed et
i reliquis imperabant, ut in proverbium abiret:

Conversus Dominus, ex verbis evangelii: „Conversus Dominus, respexit“ etc. (Matth. 11, 22.). Hoc volebant dicere: Conversus est noster Dominus, qui imperat nobis. Ita in nostra oeconomia famulae gubernant dominas, liberi totam domum et familiam, quae servit ipsis. Ejusmodi exemplis docet Deus, se praesentem esse, et curare nos, non oblivisci nostri, in quocunque genere vitae vivamus. Ecclesia est regina in orbe terrarum; sed nihil minus apparet, si quidem mundus regnat et dominatur. Sed nisi oratione et doctrina sustentaret ecclesia mundum, uno momento perirent omnia. Mundus hoc non cernit, nec credit: imo Turca et Gallus putant, se regere et sustentare orbem terrarum, donec nimirum ruant et confundantur in consiliis et conatibus suis. Tum denique experientur, se nihil esse: sed sero.

Et videns Lea, quod staret a pariendo, accepit Zilpam, ancillam suam, deditque eam Iacob in uxorem. Peperit itaque Zilpa, ancilla Leae, ipsi Iacob filium. Et ait Lea: Accinctus. Vocavitque nomen ejus Gad.

Hoc loco debebat nativitas Ioseph commemorari; sed per ὕστερον πρότερον Leae filii recitantur. Removenda autem est omnis suspicio vagarum libidinum et scortationis a sanctis istis hominibus. Iacob enim non appetit ancillam, nec insidiatur pudicitiae ejus, quod scortatores solent. Sed contentus fuisset amore unius Rahelis, quam unice deperibat. Uxoris autem jussu et obsequio ingreditur ad ancillam, cui ipsa concessit torum conjugalem, quia de-

sperat de prole ex suo corpore nascenda. Toto enim triennio fuit sterilis. Neque libens marito ancillam tradit; sed si habuisset spem ulterius concipiendi, nunquam fecisset hoc. Hoc ex sequentibus apparebit, quando ipsa rursus parit, removet ancillam, et non vult, eam amplius ex marito parere. Sic et Rahel postquam natus est Ioseph, non vult ancillam denuo marito jungi.

Ac fuit sane ardentissimum et anxium desiderium sobolis in sanctis matribus. Ideo Lea, postquam triennio fuit sterilis, dolet a se abalienari maritum; et quia non est spes, ex suo corpore nascendam esse sobolem, jungit ei ancillam. Rahel enim uno tantum Ioseph edito magis effertur, quam Lea quatuor filiis natis. Hunc filium solum spectant et mirantur pater et mater et tota familia, quia ex Rahele natus erat, quae erat dilecta et primaria conjunx, ex qua exspectabatur Dominus domus et haeres regni et sacerdotii. Ideo angitur Lea et cogitat: Me miseram: jam denuo humiliata sum, proles mea negligitur, et maritus etiam a me factus est alienior. Sicut expostulat postea cum Rahele, cum ait: Rapuisti mihi maritum. Hae sane videntur offensiones et aemulationes carnales; sed Deus eas tolerat clementer, neque ulla ratione earum habita utrique benedicit, Leae et Raheli. Sic igitur animum induxit suum: Profecto retrahendus erit maritus in meum tabernaculum. Video, Ioseph unicam curam et delicias patris esse, quia natus est ex sorore mihi praelata. Sed tradam ei Zilpam, ut a Rahele eum abstraham, et mihi conciliem. Videre igitur est non libidinem, sed mirabilem ardorem et amorem prolis in sanctis mulieribus.

Manichaei et Papistae, si quando in haec loca scripturae sanctae incidunt, et aures et oculos obstruunt. Atque ita sordent ipsorum judicio carnalia haec, vix ut legere et cognoscere dignentur. Augustinus in confessionibus narrat, Manichaeos virulentissimis conviciis incessisse sanctissimos Patriarchas, eo quod haberent plures uxores et liberos. Ego, inquit, cum Manichaeus essem, ridebam eos tanquam homines libidinosissimos. Sed tu, Manichaee, vicissim me ridebas, cum prodigiosas tuas nugas sectarer, ut cum decerpens pomum aut pirum ex arbore, crederem, arborem lacrymari etc. Sic Papistae dum ex alto despiciunt studium illud procreandi liberos in parentibus, ipsi interea tetris libidinibus involvuntur. Quin et Gerson, Bonaventura, Hugo, Origenes, Hieronymus non minus offensi sunt hisce exemplis. Ideo transeunt ea, nec dignantur inspicere altius: tantum ad allegoriam deflectunt.

Non vident, clarissime in textu dici, quomodo clament, invocent, gratias agant, confidant Deo sanctissimae mulieres. Item: Deus audivit, Deus respexit, permutavit. Deus invocatus, exaudiens, laudatus, benedictus est in medio harum historiarum. Inde aestimare debebant puritatem, innocentiam, castitatem, non, ut ipsi judicant, concupiscentiam et libidines lenonibus dignas. Mira res profecto est, neminem ex Patribus haec vidisse unquam, et quod amplius est, dicitur in textu: „Dedit Lea ancillam in uxorem"; igitur non fuerunt scorta, sed legitimae conjuges, traditae Iacob ad procreandam sobolem.

Saepe autem testatus sum, me valde abhorrere ab allegoriis, et damnare earum studium: quia exempla

pia et vestigia patrum me terrent, qui suis allegoriis obscurant doctrinam et aedificationem caritatis, patientiae, spei in Deum, quando speculationibus illis allegoriarum nos avocant a doctrina et genuino sensu verborum. Idque in primis studio habent Hieronymus et Origenes; quin Augustinus etiam eo adductus fuisset, nisi esset revocatus per certamina et disputationes cum Haereticis. Ego vero quia hos tanquam summos theologos admirabar, idem initio secutus sum. Cum legerem Biblia, non sequebar sensum literalem, sed illorum exemplo omnia in allegorias vertebam.

Hortor itaque studiosos theologiae, ut fugiant hoc genus interpretationis in sacris literis: quia allegoria est perniciosa, quando non congruit cum historia, praecipue vero, quando in locum historiae succedit, ex qua rectius eruditur ecclesia de mirabili administratione Dei in omnibus ordinibus vitae, in oeconomia, politia et ecclesia: quae dum negligunt isti interpretes in historiis, necessario omnia in allegorias et alienum sensum transformant. Sicut in hoc exemplo, quia non vident consilia et gubernationem Dei tectam vili ista specie oeconomiae et conjugii, affingunt peregrinum sensum de vita contemplativa et activa. Nam hae theses eorum sunt, ad quas pleraque omnia referunt. Rahelem dicunt significare vitam contemplativam, Leam vero vitam activam. Haec scilicet egregia illa sapientia est, qua obruerunt et involverunt densissima caligine doctrinam ecclesiae necessariam de conjugio, de oeconomia et ejus partibus.

Rahelem dicunt amari a Iacob, quia habet pulchros oculos; huic accommodant vitam contemplati-

vam, Leae vero vitam activam, quae non amatur, sed negligitur a Iacob, hoc consilio, ut supra omnia reliqua vitae genera sese efferrent. Activa enim vita est hominum, qui occupantur actionibus oeconomicis ac politicis, qui sudant in agro et re familiari. Haec est molestissima et deformis vita, quemadmodum Lea erat debilibus oculis. At vero contemplativa vita invenitur in monasteriis, in collegiis sacerdotum, qui carent molestiis oeconomicis et politicis, qui sedent otiosi, et speculantur de Deo, orant, jejunant, habent suas visiones, revelationes, illuminationes. Ac tandem eo processit furia et illusio Satanica allegoriae de vita speculativa, ut nullus videretur vere Monachus, nisi haberet speciales revelationes, praesertim Minoritae. Illi nihil aliud somniabant, nisi mutua colloquia Christi, Angelorum, sanctorum, Mariae cum animabus. Et exstat adhuc liber de revelationibus Brigittae, qui continet colloquium Christi et animarum. Sed sunt merae illusiones Satanicae, quibus tamen paene ipse captus essem Monachus adhuc, nisi per Stupicium essem revocatus, qui me ad professionem theologiae publicam perpulit, cum ipsius consilio et jussu renuntiatus essem Doctor theologiae.

Ergo Monachorum vita vocabatur formosa et dilecta Rahel: oeconomia autem et politia conferebatur cum Lea deformi. Quin in monasteriis etiam rursus discernebantur sacerdotes a conversis, et his vita activa, illis contemplativa tribuebatur. Sed hac ratione non Leae aut Raheli, sed Turcis et Tartaris similes fiemus. Nam in Turcia etiam multi religiosi sunt, qui id unum student, ut Alcoranum Mahometi interpretentur allegorice, quo in majore admira-

tione sint. Est enim allegoria tanquam formosa meretrix, quae ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, praesertim ab hominibus otiosis, qui sunt sine tentatione. Tales putant, se in medio Paradisi et gremio Dei esse, si quando illis speculationibus indulgent. Ac primum quidem a stolidis et otiosis Monachis ortae sunt et tandem ita late serpserunt, ut quidam Metamorphosin Ovidii in allegorias verterint. Mariam fecerunt laurum, Apollinem Christum, quae quantumvis sint absurda, tamen cum proponuntur imperitis adolescentibus, sed amantibus et studiosis literarum, initio valde allubescunt, ut totos se illis interpretationibus dedant.

Ego itaque odi allegorias. Si quis tamen volet iis uti, videat, ut cum judicio eas tractet. Primum omnium enim quaerendus est historicus sensus, qui recte et solide nos erudit, qui pugnat, defendit, vincit et aedificat. Hic si fuerit genuinus et purus, postea quaeratur allegoria, sed non Monastica, nec de vita speculativa; sed quae concordet cum historia et complectatur reliquias sanctae crucis, hoc est, doctrinam crucis, fidei, spei, caritatis, patientiae, non Monachum, qui sedet et loquitur cum Christo, et jactat apparitiones et voces Angelorum, aut beatae virginis Mariae auditas. Is enim sedet otiosus sine cruce ac tentatione. Talis vita speculativa est maledicta et damnata.

Consentiat igitur allegoria cum historia et super hanc velut fundamentum aedificetur gemma, aurum, argentum. Alioqui est perniciosa allegoria et tantum errores parit, vel si est optima, merae sunt stipulae et ineptiae merae. Ac diligenter discernendum est inter fundamentum sive doctrinam ipsam et

aedificium, quod superstruitur. Allegoria non sit fundamentum, sed sit superficies, sive sit aurum, sive gemma, sive etiam stipula, modo innitatur fundamento. Alioqui sunt Diabolicae illecebrae, si a fundamento dissentiunt. Deus enim non dabit singulis peculiares revelationes, non promulgabit novum decalogum: sed alligavit nos ad hoc mandatum, quod e coelo sonuit: Hunc audite. Item (Luc. 16, 29.): „Habent Mosen et Prophetas". Vult, nos audire verbum et huic credere. Ibi abunde satis speculationum habes, abstractus non tantum ab externis negotiis, sed etiam intellectus et rationis cogitationibus, ut ibi agas sabbatum et cessent opiniones et judicium tuum.

Activa autem vita est caritas, vel fides per caritatem efficax, patientia item in cruce. Haec exercitia sunt utriusque vitae et contemplativae et activae, non solum in monasteriis apud Monachos et conversos, verum etiam in oeconomia et politia apud omnes homines, qui vivunt in fide et exercentur quantumvis obscuris et sordidis actionibus. Sed humana natura non vult esse contenta usitata doctrina et verbo evangelii, nec sacramentis acquiescere, quae per Filium Dei ac Apostolos tradita, perque eorum successores propagata sunt; sed requirit singulare aliquid. Ibi tum Diabolus venit et loquitur tecum. Nisi igitur poteris respondere: Sic dicit verbum Dei: tu dicis contraria verbo, vade retro, Satana, confestim subverteris.

Haec singulari zelo et indignatione trado, propterea quod vidi, hunc locum Manichaeorum deliriis tam foede conspurcatum esse. Monachi et Papistae per omnia Manichaeis similes facti sunt, et repleve-

runt ecclesiam Brigittanis et aliis libris, quibus vituperarunt oeconomiam et politiam, quanquam iis quidem nunquam carere potuerint. Sed si paulo altius introspexeris hanc historiam, videbis exempla castitatis summae in conjugio, cujusmodi nulla unquam apud eos fuit, qui statum virginitatis et castitatis jactarunt, demtis singularibus et miraculosis exemplis Baptistae, Mariae et similium: in caeteris manet furor et ardor libidinis. Ideo nulla comparatio est ullius castitatis ad exempla harum mulierum; describuntur enim et ornantur pulcherrimis verbis, quomodo orant, gemunt, clamant, credunt, exspectant in conjugio prolem a Deo. Libido autem non cogitat de Deo, non invocat, non agit gratias; sed est caeca et vesana. At hae mulierculae orant, lacrymantur: „O Deus, da sobolem" etc. Haec non sunt verba libidinosae mulieris, sed castissimae et honestissimae matronae.

Ideo exempla earum sunt utilissima et maxime necessaria ecclesiis, quia testantur, Deum adesse, gubernare, tueri genus vitae oeconomicum, prae quo tuus caelibatus, tua vita Monastica et contemplativa foetet coram Deo, quin etiam in conscientia tua. Ac merito luunt Monachi hunc suum contemtum conjugii. Quia enim rident haec et similia exempla et Dei opera ipsis sordent, vicissim ipsi quoque a Deo abjecti sunt et neglecti, donec in portenta turpitudinis et libidinum prolapsi sunt.

De etymologia nominis גָּד Rabbini rixantur et variant interpretando. Ego autem existimo, rectissime reddi accinctum, armatum, instructum ad bellum, unde גְּדוּד, miles, latrunculus. Hieronymus vertit excursores in exercitu, hoc est, milites in-

structos ad bellum. Consulto autem et scienter sic vertimus, tametsi sciam, alias significare incisionem, alias felicitatem et fortunam, sicut Munsterus et alii reddiderunt, idque facile eis concedimus. Nam eodem modo Augustinus quoque interpretatus est. Nec impugnamus eorum sententiam, sed non sequimur; sicut et Isaiae 20. et 65. cap. variavimus, ubi vulgata translatio et aliorum habet: Qui ponitis fortunae mensam; nos transtulimus: Qui ponitis Marti mensam, quia Iudaei coluerunt etiam Martem imitatione Graecorum. Mansimus in radice verbi, quae significat accinctum esse.

Et confirmat hanc interpretationem nostram Moses infra 49. (v. 19.) in benedictione filiorum Gad, ubi dicitur: „Accinctus proeliabitur". Haec auctoritas nobis sufficit adversus Rabbinorum rixas: Gad soll fürher gehn, soll Fürgang sein. Ideo nos vertimus: Rüstig, es will angehn. Qui alios vult sequi, faciat sane. Rahel dixerat nato Naphtali: Praevalui, vici. Lea hic dicit: Praevalebo, habeo jam victorem. Es geht rüstig an, dafs ich auch ein Knecht hab, qui vincat et familiam meam propaget.

Ita fuit certamen et aemulatio quaedam inter sanctas matres, ut prae nimio zelo utraque resignet suam dignitatem maternam, et tribuat eam ancillae. Fuit enim magna gloria concipere liberos ex Iacob, qui habebat promissionem seminis benedicti, quam haud dubie diligenter et sedulo inculcavit. Sic mihi dictum est ab Abraham, ab Isaac, a Deo ipso, quod ex posteritate mea venturus sit salvator totius mundi. Maritus tam sanctus et pius non celavit uxores ea, quae ad oeconomiam et posteritatem per-

tinebant. Hac praedicatione accensae sunt sanctissimae mulieres ardore fidei, ut non libidinem, sed prolem quaererent, propter gloriam futurae posteritatis. Si enim tantum concubitum appetivissent, non fuissent tam de prole solliciti, nec tradidissent marito ancillas. Rahel dixisset: Quid ad me? Etiamsi non pariam, tamen fruar consuetudine mariti. Satis id mihi est. Sed aperte significatur, quomodo contemserint voluptatem concubitus, et hoc desiderio arserunt, ut fierent matres seminis promissionis: de hoc certarunt inter se ad invidiam usque. Sed haec Papistae non attendunt: neque enim videbit impius gloriam Dei.

Peperit quoque Zilpa, ancilla Leae, filium secundum ipsi Iacob. Dixitque Lea: Cum beatitudine mea. Beatam quippe me dicent filiae. Vocavitque nomen ejus Asser.

Alterum filium parit Zilpa Leae, de quo iterum sibi mirifice gratulatur. Tantum enim proles quaesita est. Non igitur libidinis, sed castitatis exempla quaerenda sunt in hac historia. Cupit Lea placere marito fecunditate, quae est laudatissima virtus uxoris, desiderantis cohabitare marito, non sequi alienum, quin anxiam esse, ut huic uni placeat, solum hunc habeat faventem, praesertim vero tantum virum, cui promissus est salvator mundi. Itaque vere et maxime maritales amores sunt, pleni pietatis, castitatis, obedientiae, non libidinis, ut scropha Romana et ex Patribus et Monachis multi interpretati sunt. Asser significat beatum. Ego jam ero beata et felix, inquit, et felicem me praedicabunt omnes

uxores et filiae. Ero materfamilias dilecta Iacob, adeo ut dicatur Iacob amare Leam, et alteram negligere tanquam sterilem.

Egressus autem Ruben in diebus messis triticeae invenit Dudaim in agro, attulitque illas ad Leam matrem suam. Dixitque Rahel ad Leam: Da mihi, quaeso, partem de Dudaim filii tui. Cui illa respondit: Parumne tibi videtur, quod praeripueris meum maritum, nisi etiam Dudaim filii mei tuleris? Ait Rahel: Dormiat igitur tecum hac nocte pro Dudaim filii tui. Venit autem Iacob de agro ad vesperam, egressaque est Lea in occursum ejus et ait: Ad me intrabis; nam conducendo conduxi te pro Dudaim filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.

Ruben fuit puer octo aut novem annorum, cum haec gererentur, non fuit maritus, nec potuit major natu esse novem annis. Is igitur egressus est ad patrem suum pascentem greges Laban, aut laborantem in agro, sicut pueri solent, forte etiam missus a matre. Quia autem erat tempus messis triticeae, casu invenit דּוּדָאִים. Puer non intellexit, quid inveniret et deferret ad matrem. Sed apparet, fuisse fructum pulchrum, cujus colore captus est. Cujusmodi autem fructus aut flos fuerit, non constat. Vulgata translatio et alii interpretes verterunt mandragoras, quas vulgo putant gigni ex urina furum suspensorum; sicut multa alia inepte in descriptionibus earum auctores fabulantur; sed sunt

merae nugae, fortassis a Iudaeis ortae. Puer autem non ivit ad patibulum, sed in agrum.

Caeterum necesse est fuisse fructum, qui solet maturescere circa messem triticeam, quae est serior: cujusmodi in nostris regionibus sunt solanum sive Alkekengi, Chamaebatos et rubus Idaeus, Iüdenkirschen, Brambeer, Hindbeer. De solano etiam plerique alii intelligunt, cujus fructus admodum pulchro colore est et grato sapore et est ejus magnus usus in medicina. Aut certe fuerunt vaccinia Chamaebati, quorum sapor admodum dulcis et gratus est. Sed haec relinquo grammaticis et medicis: singularum enim nationum singulares et peculiares fructus et herbae sunt; puero color placuit, et cum domum reversus est, certarunt mulierculae de Dudaim. Et Rahel adeo eo delectatur, ut tradat maritum Leae et cedat de suo jure, tantum ut Dudaim a puero auferat.

Supra modum autem haec ridicula et puerilia sunt, adeo ut nihil dici aut scribi possit levius. Quare igitur scribuntur? Respondeo: Semper in conspectu habendum est, quod toties inculco, Spiritum sanctum esse auctorem hujus libri. Is ipse ita delectatur ludere et ineptire describendis rebus exilibus, puerilibus et nihili, et ea tradit docenda in ecclesia tanquam ad maximam aedificationem. Nonne autem tum aliae praeclariores res gestae sunt apud reges Aegypti, Babyloniae, Persiae, Palaestinae etc., quae digniores fuissent lectione? Quid haec attinet recitare, quomodo puer afferat Dudaim, et duae sorores certent de marito et lecto permutando?

Haud dubie plura et majora gesta sunt, quam quae hic describuntur. Sed leviuscula haec prae il-

lis plenissima sunt consolationis et doctrinae. Neque obiter praetereunda, multo minus tanquam sordida et nihili vituperanda sunt, quod Papistae faciunt. Sint sane haec tenuia, sint etiam eorum res maximae et splendidissimae, sint ipsi reges, Pontifices, Cardinales etc. Spiritus sanctus autem, et Deus creator dignatur ludere, nugari et ineptire cum suis sanctis in rebus leviculis et exilibus, non in resuscitatione mortuorum, aut aliis miraculis, sed in concertatione Rahelis et Leae de Dudaim; et ea vult proponi ecclesiis.

Gentilium autem historiae a Virgilio, Homero, Livio aut aliis descriptae, quantumcunque verbis exornatae, quid sunt? Sunt historiae Graecorum, Alexandri, Hannibalis. Sed destituuntur illa magnificentia, gloria et corona, quae est verbum Dei et promissio. Hoc diadema deest eis: ideo verius sunt miseriae, quam historiae. Quid enim est historia sine verbo Dei, quando dicit Dominus: Haec est mea voluntas, gloria mea, hoc mihi placet, hoc delector, hic habito? Utut igitur haec puerilia sunt et sordida, tamen immensum et infinitum pondus habent, videlicet verbum Dei. Historiae autem Alexandri, Iulii Caesaris etc. sunt quidem insignes et praeclarae admodum, sed carent vero ornamento. Ideo veluti paleae sunt a vento dispersae, et destitutae vero pondere; sunt tantum ventris et carnis gloria.

Nos igitur has historias maximi aestimare et iis consolari nos debemus, etsi sumus humiles, abjecti et contemti, sicut certe sumus: quia nihil est contemtius et abjectius homine Christiano, credente verbo Dei. Omnes alii sunt principes, domini et bea-

ti, pro suo libitu gerentes omnia. Solus ille populus, qui habet verbum et credit in Deum, est filius crucis et vexationis. Et si deest mundus, qui eum crucifigat, tamen non abest Diabolus cum suis Angelis. Sed haec est consolatio nostra, quod domestica et vilissima Christianorum conversatio cum uxore, cum liberis et familia, quae in speciem merae nugae sunt, verae et divinae sunt historiae, ornatae gloria verbi Dei.

Apprehendamus vero et firmiter retineamus verbum, et cogitemus, nos baptisatos, absolutos et doctos esse verbo Dei. Agamus Deo gratias, et simus laeti, sive coelum, sive mundus totus ruat, und treff uns dazu auf den Kopf, tamen certi sumus, quod nostri ludi et miserrimae miseriae sint ornatae et coronatae gloria et magnificentia divina, nimirum verbo Dei. Ob hanc causam hae historiae vocantur sacrae et communes sunt omnibus hominibus, habentibus verbum Dei, in quibus Deus operatur, et quidem cum beneplacito, cum misericordia, cumque gratia sua, qua ratione non agit cum Alexandro, Scipione, Cicerone, Hannibale etc. Ideo gratulemur nobis et acquiescamus grati ac hilares beneplacito divino, feramus etiam aequo animo, si quid objicitur molestiarum. Et utcunque sint exilia, servilia, muliebria et plena miseriae opera nostra, tamen adscribamus hunc titulum: **Verbum Dei**, quo fiunt gloriosa omnia, quae gerimus, et in aeternum mansura sunt, cum e contra mundi historiae in aeternum sint miserabiles.

Sic intelligemus, non frustra haec a Spiritu sancto proposita esse legenda, docenda, credenda. Papa cum suis superbe contemnit et somniat interim,

se nunc juxta S. Petrum in coelo sedem suam exaltatam habere. Et sicut Tetzelius, praeco ille indulgentiarum, jactabat, se non commutaturum cum S. Petro propter infinitum numerum animarum, quas salvasset per indulgentias; verum vana et Diabolica haec gloriatio est. Deus autem respicit humilia in terris et sic dicit: Ego creavi hanc mulierculam et junxi eam marito, conjuncti generant prolem et tolerant miserias conjugales: mihi igitur in hoc placent, quod serviunt conjugio et meae ordinationi. Ac etiam apud gentes longe gratiores sunt, quam omnes philosophi, qui mirabilia speculantur de caelibatu. Quanto magis apud nos, qui sumus baptisati, docti, coronati et ornati gloria verbi Dei, qui habemus Angelos custodes?

Gloriemur igitur et laetemur in his puerilibus et domesticis, si quidem Spiritus sanctus dignatur ea describere, ut significet, se adesse nobis, qui credimus et verbum habemus, et placere Deo etiam nugas istas Dudaim et stultas contentiones muliercularum. Tantum non desperemus, sed maneamus in fide, so lafs den Teufel her gehn, und machen, was er nicht lassen kann. Nos sumus in vocatione spirituali, habemus verbum, Baptismum, Absolutionem, sumus certi, Deum nobiscum et pro nobis esse. **Malim autem praesente Deo esse in inferno, quam absente Deo in coelo.** „Nam si ambulavero", inquit David (Ps. 23, 4.), „in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; et si descendero ad infernum, ades". Si habuero verbum tuum, so frag ich nach dem höllischen Feur nicht. E contra non liberet ne in coelo quidem esse, si tu non mecum esses. Ubi

enim Deus est, ibi est regnum Dei: ubi verbum, ibi Paradisus et omnia. Ideo gratias agere debemus pro verbo, quia sumus jam in Paradiso et sub beneplacito Dei, cui probantur omnia, sive Dudaim, sive olera, sive lac comedamus, quia sumus in verbo.

Haec doctrina ex isto loco sumi debet, insignis profecto et necessaria ecclesiae. De concertatione mulierum etiam aliquid dicendum est. Non enim ita adspiciendae sunt hae historiae, sicut Papistae eas habent pro ludis meretriciis. Mulieres sanctae nihil aliud appetunt, quam naturalem fructum sui corporis. Mulier enim natura ad procreationem liberorum condita est; ideo habet ubera, habet brachia ad alendam, fovendam et gestandam prolem. Ea fuit intentio creatoris, ut parerent et masculi gignerent praeter eos, quos Deus ipse excepit, de quibus Matth. 19. Alias creatura ita est condita, ut sit fecunda. Videre igitur est in hisce mulieribus, quomodo pugnent non libidine, sed amore et desiderio prolis, ad quem finem se norunt esse conditas; ideo uterum, ubera, manus et omnia membra cupiunt servire Deo.

Et quanquam jam antea liberos haberent, tamen cogitarunt, esse eos mortales et fieri posse, ut orbarentur iis. Ideo si vel centum una habuisset filios, tamen semper plures exoptasset, quia spectarunt promissam posteritatem, ad quam pertinebat illa concio, quam ex suo marito audierant. Sic praedicandae sunt sanctae mulieres et obturandum est os Papistis, qui ex suis libidinibus castitatem Patriarcharum et conjugia aestimant, sicut etiam Augustinus per errorem Manichaeorum inductus fuit, ut

sentiret, fuisse eorum vitam libidinosam. Sed hic audimus, Leam orasse, clamasse, ingemuisse pro sobole et esse exauditam a Deo, quae non pertinent ad libidinosam aliquam mulierem, sed ad castam et sanctam matronam, aversantem libidinem et procreationem liberorum expetentem.

Exaudivit vero Deus Leam et concepit atque peperit ipsi Iacob quintum filium. Dixitque Lea: Dedit Deus mercedem mihi, eo quod dederim ancillam meam marito meo, vocavitque nomen ejus Isaschar.

Quintus filius Leae natus est decimo anno. Agit autem Lea gratias, et sicut oravit et lacrymavit, sic jam hilari animo laudat Deum. Hebraeorum Grammatici disputant de nomine Isaschar, quomodo sit legendum. Nihil autem refert, sive Isaschar, sive Issachar legas.

Et rursum concipiens Lea peperit Iacob filium sextum. Et ait Lea: Dotavit me Deus dote bona; hac vice cohabitabit mecum vir meus, eo quod pepererim ei sex filios. Vocavitque nomen ejus Zebulon.

Haec omnia verba et opera sunt sanctissimarum matronarum, orare, lacrymari, gratias agere; non meretricium et turpium mulierum, sed honestarum. Et quid possumus amplius aut majus coram Deo facere, quam haec duo officia, precationis et gratiarum actionis? Primum est audire verbum, quod divinitus nobis traditur, ubi nos nihil agimus, sed *oblatum* tantum apprehendimus. Alterum est, ver-

bo audito et apprehenso orare et implorare auxilium divinum, et eo impetrato gratias agere et sacrificare. Oramus autem non tantum ore aut voce, sed etiam gemitu cordis, totis viribus et omnibus membris, quae est oratio sine intermissione.

Verbum זְבָדַנִי nusquam alibi exstat in scriptura sancta. Nos ad aliorum exemplum vertimus: dotavit. Sed an vera sit interpretatio, non satis scio, quia non potest alio exemplo illustrari. Hoc voluit dicere: Deus dedit mihi aliquid boni, sive dotem, sive donum intelligas. Nihil aliud autem videmus, quam summam pietatem et sanctissimum usum sexus muliebris et conjugii. Virgines talem gloriam et praedicationem non habent, neque in veteri, neque in novo testamento.

Postea vero peperit filiam, vocavitque nomen ejus Dinam.

Hactenus recensuit Moses sobolem Leae, sex filios et unam filiam, duos item filios ancillae. Iam sequitur nativitas Ioseph ex Rahele.

Et recordatus est Deus Rahelis, exaudivitque eam et aperuit vulvam ejus; quae concepit et peperit filium dicens: Collegit Deus opprobrium meum. Vocavitque nomen ejus Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.

Supra dictum est, observandam esse seriem historiae et Mosen usum esse recapitulatione sive anticipatione. Septimo enim anno natus est Ioseph; ideo multo ante debuisset ejus nativitas describi. Sed quia in hunc postremum locum distulit Moses

jam regreditur ad πρότερον, quod factum est ὕστερον. Clare enim patet, Ioseph natum esse septimo anno servitutis, si quidem sex annis post ejus nativitatem servit Iacob. Ideo quatuor filii et Dina filia post eum sunt nati sexennio illo, quanquam priore loco sint recitati in historia. Haec anticipatio saepe narrationes reddit obscuriores. Ideo diligenter observanda est in historiarum lectione, ne fallatur aut impediatur lector non attentus.

Rursus vero proponit Spiritus sanctus non solum excusationem, sed et commendationem harum sanctissimarum mulierum, quae non ardent libidine, sed immensa cupiditate prolis. Atque ita nobis commendatur castitas conjugii Iacob, ut paene nihil carnale in eo appareat: quanquam impossibile est, nihil carnale conjugio inesse. Sed ita ornatur Iacob divinitus, ut non originali peccato infectum, sed mere Angelicum matrimonium esse videatur. Vide enim, quae ibi sint exercitia pietatis et summorum cultuum Dei. Rahel orat, ingemiscit, lacrymatur in sextum usque annum, quo tempore bene vexata et exercitata est insigni patientia. Fuit enim ingens onus et gravissima crux, perferre opprobrium illud sterilitatis tanto tempore. Quot vidit interea mulieres parere? Quin ipsam sororem Leam vidit ornatam gloria maternitatis, abundare sobole, habere quatuor filios. Eo autem moerore ita confectam arbitror, ut facile non libidinem tantum, sed et gaudia omnia animo ejiceret. Non risus aut joci eam oblectarunt; sed perpetuis singultibus, gemitibus, lacrymis, querelis, invocatione dies et noctes transegit. Castissimum itaque conjugium describitur Iacob et Rahelis, quae si quando voluit cohabitare

marito,

marito, tantum eo fine fecit, ut fieret mater et augeret domum Iacob habentis promissionem. Estque exemplum sanctissimae mulieris, quae in fide et patientia imploravit misericordiam Dei, exspectavit consolationem et tulit tentationem et dolorem gravissimum. Ideo significanti verbo usus est Moses: „Recordatus est Dominus", quasi diceret: Ipsa apud se paene desperaverat, ac sic animo suo persuasum habebat, Deum haud unquam sui recordaturum, quin in aeternum sui esse oblitum. Ego non ero mater, cogitavit, sed sum miserrima omnium mulierum. Debebam esse materfamilias in domo; sed Deus mei est oblitus. Sic igitur ad infernum deducta, ubi nulla spes auxilii reliqua videtur, ex desperatione apprehendit ancillam, eamque marito tradit, quod alioqui non fecisset, nisi omnem spem abjecisset. Sic tamen desperat, ut retineat aliquam scintillam fidei. Retinet gemitum illum in desperatione, quem Paulus vocat ineffabilem, sed is adeo profundus, sepultus et obrutus est impossibilitate et contrariis motibus animi, vix ut sentiat illum singultum aut suspirium.

Sicut Samuelis mater Hanna etiam de prole desperabat, nec poterat sentire gemitum suum et desiderium illud prolis in intimo et imo cordis; sed Deus, qui scrutatur corda, intelligit ineffabilem gemitum, qui nec sensu percipi, nec ullis verbis exprimi potest. Sic Augustinus de Monica, matre sua, narrat, quae novem annis ejulabat et deplorabat filii sui exitium, propterea quod in Manichaeorum sectam prolapsus fuerat. Tantum vero flagitabat a Deo, ut converteretur filius et fieret Christianus, atque ob eam causam volebat ei uxorem Christianam despon-

dere, ut conversatione piae mulieris et admonitione reduceretur in viam. Et fuisset contenta, si conversus tantum esset ad sanam doctrinam ab haeresi Manichaeorum. Dominus autem videbatur ei hoc negare, ut ait Augustinus; sed tamen cardinem et profundum desiderii ejus audiebat, nimirum gemitum inenarrabilem.

Quemadmodum autem oratio et gemitus est ineffabilis, ita exauditio et gaudium inaestimabile et ineffabile est: sicut inquit Paulus: „Ei, qui potens est superabundanter, quam petimus aut intelligimus, dare" (Ephes. 3, 20.). Non hoc dat, quod in superficie cordis et spuma illa verborum sancti ejus petunt, sed est largitor omnipotens et opulentissimus, qui reddit secundum profunditatem istius singultus. Ac propterea sinit orationem intendi, crescere, augeri, et non statim exaudit, quia, si ad primum clamorem aut petitionem responderet, oratio non augesceret, sed refrigesceret. Ideo differt auxilium, atque inde crescit in dies et grandescit oratio: gemitus item cordis fit profundior et ardentior, donec perveniat quasi ad desperationem. Ibi tum fit ardentissima et acerrima oratio, quando videtur propemodum jam deficere gemitus.

Quodsi statim audiret, non fieret ita fortis, vivax et ardens precatio, sed esset tantum superficialis et paedagogicus gemitus, qui adhuc discit orare, gemere, desiderare, nondum est magister precum. Quando vero ad desperationem perventum est et cogitat animus tentatus: Ach es wird nichts daraus, es ist alles verlorn, et tamen adest adhuc scintilla et linum fumigans: ibi tum esto fortis, et perdura, *halt fest.* Ea enim est lucta sanctorum, qui putant,

funiculum jamjam ruptum iri, et tamen retinent suspiria; ideo tunc oratio est perfecta et fortissima.

Ita hoc loco de Rahele dicitur: Recordatus est Deus etc. Quasi diceret: Nihil aliud sentiebat Rahel, quam omnes preces et lacrymas fuisse inanes et irritas, ac se simpliciter esse extinctam et deletam ex animo et memoria Dei. Sed non sic statuas, mea Rahel; longe enim erras. Sensus ille tuus carnalis est: nondum est spiritus singultiens et gemitus inenarrabilis, sed caro sentiens et infirma. Nunquam fuit tui oblitus Deus; sed statim a principio, cum inciperes petere prolem, audivit et signavit omnia verba gemitus tui. Nondum autem erat satis ardens et fortis oratio. Ideo oportuit eam adolescere et grandescere, ac propterea distulit Deus in secundum, tertium, quartum, quintum annum. Ibi dedit primum consolationem per ancillam; sed gemitus nondum acquiescebat, adhuc videbatur Deus aversus. Ideo recordatus est Deus: quanquam nunquam unum momentum tui oblitus fuit, sed hoc demum tempus fuit, ut audiret tua suspiria, cum putares, ea sepulta et obruta prorsus esse oblivione.

Ad hunc modum nos quoque discamus petere et sperare auxilium, si quando res adversae sunt et fides labascit. Habemus enim promissionem evangelii, habemus Baptismum, Absolutionem etc. quibus eruditi et confirmati sumus. Habemus mandatum, quo jubemur precari, habemus spiritum gratiae et precum; sed cum primum coepimus orare, angitur animus et querulatur, se nihil proficere. Discendum igitur est, si petendo nihil efficis, ut adjungas inquisitionem, hoc est, quaeras. Si et illa videtur esse irrita, quin magis se abdit et abscondit Deus,

adde pulsationem et non desinas, donec expugnes januam, qua clausus est. Non enim dubium est, quin oratio nostra audiatur statim prolata prima syllaba, sicut dicit Angelus ad Danielem (9, 23.): „Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi". Sed quod non illico dat Deus, quod petimus, hoc ideo fit, quia vult quaeri et improbe instando expugnari: sicut docet similitudo de iniquo judice, Lucae 18. Tum enim venit et liberat electos, et cumulatius dat, quam petivimus, quaesivimus, pulsavimus. Ideo autem differt, ut augescat oratio et gemitus fiat fortior, qui, dum suspiramus, nobis admodum exilis videtur, sed revera est ardentissimus, sicut Paulus clamorem appellat. Non enim recitamus tantum verba formando vocem per linguam et labia, neque etiam expressa voce preces nostras sonamus, sed simpliciter clamamus. Non oris sonus aut vox, sed clamor cordis et gemitus est inenarrabilis, unter dem linken Zitzen stecket er, quando cor singultit et suspirat propemodum deficiens prae angustia. Ac tum quidem oratio perfecta est et efficax.

Haec saepe dicenda et repetenda sunt, ne omnem spem et fiduciam abjiciamus de invocatione nostra, quae utcunque initio est frigida, nec statim impetrat auxilium, tamen sciamus, ideo id differri, ut fiat oratio perfectior et firmior. Mirabilis enim virtus et omnipotentia est orationis: ut cum Rahel videretur prorsus despecta et spreta esse a Deo, et ipsa tamen maneret adhuc linum fumigans, non potuit non expergisci invocatus, quaesitus et expugnatus Deus. Eodem vero modo adest et omnibus invocantibus, atque ita cumulate et liberaliter, ut co-

gentur fateri, se nihil tale unquam sperasse: sicut Monica potuit dicere: Non hoc petivi, nec ausus fui sperare, filium meum unquam futurum tantum doctorem ecclesiae etc. Non igitur deficiamus, sed persistamus in invocando, optando et quaerendo, donec spes et liberatio exspectata affulgeat.

Porro Rahel ipsa satis ostendit, quae ipsius fuerit crux et tentatio. Ait enim: Collegit opprobrium meum: Er hats zusammen gerafft. Quinque aut sex continuis annis tulit opprobrium et ignominiam propter sterilitatem, et suo et aliorum judicio habita est miserrima omnium mulierum. Vidit enim, sororem fecundam esse, vidit, ancillas sororis et suam aliasque mulieres omnes parere, ac propterea laudari, amari et esse in pretio. Ego vero sola, cogitavit, habeor pro rejecta et maledicta. Sed Dominus vidit istam contumeliam et ignominiam omnem, quam sustinui multiplicem et gravem, eamque collegit et amovit a me. Iam sum uxor et materfamilias. Ita impletum est desiderium ejus ét gemitus exauditus est, tot annorum mora probatus et auctus. Patet etiam ex hoc loco, quia dicit Rahel, Dominum collegisse opprobrium suum, fuisse eo tempore vulgata persuasione, sterilitatem in uxore ignominiosam: praesertim in illa linea, unde exspectabatur promissa posteritas. In novo testamento non fuit habita pro opprobrio, quia maxime commendata est virginitas, praesertim in ecclesiastico ministerio. Sed apud Patres gravissima crux et summa ignominia fuit. Et mansit hoc judicium ex verbo Dei, Genesis 1. (v. 28. 29.): „Creavit Deus masculum et feminam, et benedixit eis et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram". Hanc vocem Adam pro-

pagavit ad posteros et diligenter inculcavit. Ideo per manus tradita est nepotibus, quod omnis mulier sterilis sit apud Deum abjecta et maledicta. Hoc longe gravissimum fuit, quod locus ille simul involvit maledictionem Dei. Sterilitas per se grave onus et ingens calamitas est; sed longe fit gravior, quando hoc accedit, quod sub maledictione sit uxor sterilis, et non placeat Deo: aut ut maxime placeat, tamen contemta et spreta sit inter mulieres reliquas populi Dei.

Itaque Elisabeth quoque, mater Iohannis Baptistae, propemodum iisdem verbis gratias agit (Luc. 1, 25.): „Quia sic fecit mihi Dominus, inquit, in diebus, quibus respexit, ut auferret opprobrium meum inter homines". Et Angelus ad Mariam (ib. v. 36.): „Elisabeth, quae vocatur sterilis": quasi diceret: Quae ob hoc male audit, et in summa ignominia est, quod non sit fecunda. Illis igitur temporibus sterilitas non tantum singularis plaga et crux fuit inter homines, sed fuit etiam conjuncta cum maledictione Dei. Hodie multi, qui sunt in re lauta et clari genere aegerrime ferunt, si privantur hac benedictione, et prolem maxime desiderant, cum habeant, unde eam alant. Sed ideo eis haec crux est tolerabilior, quia non accedit hoc in novo testamento, quod propterea sint reprobi et abjecti a Deo. Reliquum vulgus ipsis etiam ethnicis est profanius. Maxima enim pars conjugum non expetit prolem, imo aversantur eam et satius putant vivere sine prole, propterea quod tenui fortuna sunt, nec habent, unde sustentent familiam: praecipue vero hi, qui sunt otio et ignaviae dediti, et fugiunt sudorem et *laborem* conjugii. Atqui finis conjugii non est de-

liciari et otiari, sed procreare et educare sobolem, alere familiam: quod est sane immensum onus, plenum ingentibus curis et laboribus. Ideo vero es conditus a Deo, ut sis maritus aut uxor, utque discas tolerare has molestias. Qui sobolis amore non afficiuntur, porci sunt, et stipites et trunci, indigni nomine masculi aut feminae, quia Dei creatoris et auctoris conjugii benedictionem contemnunt.

Factum est autem, cum genuisset Rahel Ioseph, ut diceret Iacob ad Laban: Dimitte, ut vadam ad locum meum et ad terram meam. Da mihi uxores meas et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: tu autem nosti servitutem meam, quam servivi tibi.

Vide, quam verecunde petit Patriarcha missionem. Neque quicquam praeter uxores et liberos exigit, et tamen subindicat, se bene de eo esse meritum, et dignum, cui aliquid praemii adjiciat. Ideo enim inquit: „Nosti servitutem meam, quam servivi tibi“, quasi diceret: Aequum est, te cogitare, quod non solum pro uxoribus et liberis tibi servierim, sed et de dote, aut de mercede, aut de munere aliquo, quo ornes me, imo et filias et nepotes tuos pro servitute fideli et liberali. Hoc modeste et tecte voluit significare Iacob. Sed cur hoc facit? Quia Laban erat homo impurus et avarus: er war ein Hund etc., portentum illius tam felicis saeculi. Rectius enim ob insignem improbitatem hoc postremo, et avaritia omnibusque vitiis perditissimo saeculo viveret. Diligenter igitur hoc notandum est propter sequens factum Iacob, quod hac ratione excusabimus.

Nam optimus vir servivit quatuordecim totis annis in extrema paupertate, cujusmodi servitutem nemo hodie cum inopia conjunctam posset tolerare, Servivit enim septem primis annis pro Rahele; sed indignissime spe sua frustratus est, neque quicquam pretii a Laban abstulit. Cogitavit is: Peregrinus est et exsul; utar igitur ejus opera, quoad potero, quia fideliter servit et auget mea commoda. Quantum ergo miseriarum passum ipsum putabimus? Non enim agnovit Laban, sive Nabal potius inversa voce, fidem et diligentiam sanctissimi viri: et jam cogitat eum dimittere sine praemio. Nam antea quidem nullum peculium aut exiguum saltem acquisivit. Nihil praeter victum et amictum habuit, et eum tamen tenuem admodum. Der fromme Mann hat eim rechten Hund gedienet. Et infra querentur filiae de rapacitate patris, qua mota Rahel furatur patri idola. Non enim pro filiabus, sed servarum instar eas habuit, quarum operas, lanificia et labores in suum quaestum et commodum vertit. Iam vero cum de mercede paciscitur, denuo eum circumvenire studet, ne aliquid sit solvendum genero et filiabus pro servitio, quo tamen locupletatus erat.

Hae injuriae magno dolore et Iacob ipsum, et conjuges affecerunt. Et saepe clam questi sunt de inopia et egestate, ad quam redigerentur fraudibus et rapacitate patris. Haec enim circumstantiae diligentius ponderatae non obscure indicant, estque improbitas exsecranda, aliena ab omni sensu et natura hominis. Nam alioqui patres filias, quia est sexus infirmior, magis diligunt; sed ἄστοργος et crudelis Nabal insuper etiam spoliat filias, et servitute *durissima* excruciat. De praemio autem cum agitur,

rursus novas fraudes et dolos meditatur. Iacob sincere ac candide omnia agit; sed impostor ille tantum rapinas et technas machinatur. Sicut conqueritur infra Iacob: „Decies mutavit mercedem meam" etc. Non potest igitur satis exaggerari ἀστοργία, crudelitas et avaritia Laban. Et ideo proferenda est in lucem, et modis omnibus amplificanda, quia monstrat causam facti Iacob, quod infra recitabitur, cum rursus decipit Laban, ne id impium aut sceleratum habeatur, sicut obiter adspicienti apparet; sed fuit necessaria fallacia propter injustam rapacitatem soceri.

Iam vero petit abeundi licentiam: „Servivi tibi quatuordecim annis", inquit: primo septennio gratis. Et circumventus insidiis tuis alterum septennium adjeci; idque jam replevi. Restat igitur, ut mihi quoque, familiae et domui meae prospiciam. Memineris autem, quam fideliter ego et uxores tibi servierimus, quorum tamen tu nullam rationem habes: nihil enim mercedis mihi persolvisti pro servitio quatuordecim annorum. Aequum igitur et pium est, ut discedam, et mearum quoque rerum et rationum curam agam. Da mihi uxores et liberos meos. Quasi diceret: Si nihil numeraveris, erit aliquando, cum Deus vindex a te poenas ingratitudinis exiget.

Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo. Auguror enim, quod benedixerit mihi Deus propter te.

Du heiliger Bapst, du frommer B. von M., kannst du auch von Gott reden? Allegat Laban nomen et benedictionem Dei. Sed si verum dicis, et sentis, te esse benedictione divina propter Iacob au-

ctum et locupletatum, quare non refers gratiam, sed cogitas, eum spoliare, defraudare, circumvenire, ut diutius tibi serviat? Sic nimirum solent hypocritae et omnes avari et impii: usurpant nomen Domini, sed in vanum. Ideo utitur Moses mirabili verbo נִחַשְׁתִּי a serpente, ad quam significationem videtur respexisse simul. Significat etiam auguria et divinationes; Num. 24. (v. 1.): „Non perrexit in occursum auguriorum". Fuit autem consuetudo augurandi per serpentes: ideo voluit significare Moses, fuisse Laban augurem. Auguratus sum, inquit: ich hab michs wohl lassen dünken, es ahnt mich wohl, animus mihi hoc praesagiit. Auguratus sum quasi signo quodam divino, Deum mihi propter te benedixisse. Sed non vult Iacob hunc honorem deferre, non gratias ei agere, neque Deo gloriam dat. Sic visus sum mihi conjicere, inquit, quod per te mihi benedixerit Deus. Vult videri non indignus, cujus res familiaris divinitus augeatur, quanquam ante adventum Iacob admodum tenuis fuerit.

Hoc voluit dicere Moses mirabili et significanti verbo. Tales vero sunt homines fallaces et bilingues, qui aliud sonant, aliud sentiunt, qualis species est linguae serpentis bifidae. Non dicit simpliciter: Experior, intelligo, certo statuo, me propter te esse benedictum et locupletatum. Si enim agnovisset hoc, coactus fuisset aperire loculos, et numerare aliquid genero, filiabus et nepotibus. Verum non affirmat, sed vocat in dubium, et disputat, si velit Iacob ab eo mercedem exigere, ut habeat causam tergiversandi aliquo praetextu. Ideo dicit: Auguror, fieri potest, quod Dominus mihi per te benedixerit. Hoc unum est ex artificiis Iuristarum, uti verbis ambi-

guis, quae in utramque partem pro libitu flecti queant.

Postea vero audiemus, Laban fuisse etiam idolatram; forte igitur auguratus est, aut consuluit idola, et persuasit sibi, ex cultu idolorum se hac felicitate auctum. Sed haec non disputo. Illud certum est, usurpare eum nomen Dei in vanum. Studet enim se accommodare ad ingenium et mores Iacob. Hunc videt esse pium; ideo iisdem verbis utitur, quibus Iacob uti solebat.

Et ait: Nomina mercedem tuam, et tradam.

Hebraeum verbum נָקַב significat: perforare. Hagg. 1. (v. 6.): „In sacculum נָקוּב perforatum". Significat etiam nominare, qua significatione ponitur Levitici 24. (v. 16.): „Maledicens nomini Domini". Qui nominavit nomen, et maledixit: Wer in Gottes Namen flucht. Ita et hoc loco vertimus; potuisset Moses alio verbo uti, sed significat, Laban voluisse Iacob singulari et religioso verbo prohibere, ne nimium mercedis postularet, quasi iniqua postulatione offensurus esset Deum. Omnia enim verba proficiscuntur ex animo, avaritia et cupiditate corruptissimo, et eo tendunt, ut defraudet et spoliet Iacob. Addit vero: „Et tradam". Hoc non est verum. Ne teruncium quidem cogitat solvere, sicut postea novam fraudem machinabitur, ne servet pacta et conventa de mercede solvenda. Ibi non avarum tantum et impium, sed ipsam fuisse avaritiam videbimus.

Cui ille respondit: Tu nosti, quomodo servierim tibi, et quanta fuerit possessio

tua apud me. Nam modicum illud, quod tibi fuit ante me, auctum est in multum, benedixitque tibi Dominus ob ingressum meum.

Repetit Iacob superiora verba cum gravi reprehensione avaritiae, impietatis et augurii Laban, quasi diceret: Non est, quod augureris aut dubites, utrum illam benedictionem mihi an tibi acceptam referas. Res ipsa loquitur, te in pede meo, hoc est, ad meum ingressum benedictum esse. Nam antea etiam auguratus es. Si quid igitur propter auguria accessisset, etiam me absente accessisset; sed res ostendit, tum demum rem familiarem tuam auctam, cum suscepissem ego curam domus tuae. Refutat igitur impium et ineptum responsum de augurio, et praedicat sua officia. Scis, inquit, quam diligenter et fideliter tibi servierim, quod etiam negante te, aut me tacente, res loquitur ipsa. Quanta enim fuit res pecuaria mihi tradita? Forsan mille ovium, quas sola Rahel, filiola tua, pascebat, ita ut nec servo, nec pastore tibi opus esset: tam exiguus numerus erat; was darfst du denn augurirn, du geiziger Wanst. Sic enim rectius et acerbius potuisset Iacob increpare hominem sordidum et avarum. Non potest esse numerosus grex, quem puella pastum agit; sed modicum illud auctum sive diruptum est. Ea enim vis est Hebraei verbi. Me pascente res tua pecuaria quasi per vim multiplicata et aucta est, dirupit septa et caulas prae multitudine. Benedixit igitur tibi Deus ad pedem sive adventum meum, non ad auguria et idola tua.

Haec est confutatio et objurgatio satis acris, qua *reprehendit* avarissimum hominem, qui servo fidelis-

simo et optime merito justam mercedem solvere gravatur pro servitute non unius, sed quatuordecim annorum, quibus nihil dedit, sed omnia ad se rapuit, corrasit, ac generum et filias defraudavit, neque quicquam eis reliquum fecit pro durissimis laboribus. Sequetur autem aliquanto post exemplum judicii divini adversus nefandam rapacitatem. Qui enim parce seminat, parce metit.

Et est exemplum nostris moribus accommodatissimum. Videmus enim principes, nobiles, rusticos, cives omnes labanisare contra pauperem Iacob. Idem tamen, quod hic accidit, omnibus eveniet. Utcunque enim rapiant, corradant et congerant, tamen Deus benedicit Iacob, qui spoliatur, et raptori omnium rapit vicissim omnia. Sic enim, Psalmo 39. (v. 7.), dicitur: „Thesaurisat, et ignorat, cui congregabit ea". Ac profecto maxima miseria est, quod mundus non patitur sibi hoc persuaderi, sed vult sentire et experiri judicium divinum. Quando quaerunt, cumulant, rapiunt per fas et per nefas, tum putant, se beatos esse, et habere ea, quibus tam cupide inhiarunt. Sed Psalmus respondet: „Ignorat, cui congregat ea".

Sic multae respublicae et principes ingentem vim pecuniae conquirunt et insaniunt in usuris et avaritia; sed quibus congregant? Impio militi, Bruder Veiten, qui paulo post diripiat et pessundet omnia. Id quod nobis nuper paene usu venisset in tumultu inter duces Saxoniae orto ad oppidum Wurzen. Nisi Deus prohibuisset, wie bald wäre Bruder Veit kommen, und hätt in einem Tag alles zerrissen. Clemens Papa spoliavit templum Toletanum, et rapuit ex eo magnam summam pecuniae, quae trium

regnorum opes facile aequabat, hoc praetextu, quod vellet eam incorporare ecclesiae S. Petri. Fuit enim mirus artifex compilandi et corradendi, nec videbatur cupiditati ejus universus orbis sufficere; sed thesaurisabat is quoque impio militi, qui postea diripuit et expilavit omnia. Idem omnibus aliis accidet, qui usuris et fenore ditescunt, neque modum ullum, nec finem corradendi habent. Ac si quando admonentur, ut et pauperibus aliquid relinquant, aut cum benedictione divina colligant, non audiunt, sed sic cogitant: Quaerenda pecunia primum; virtus post nummos. Si compilavi aliquam summam pecuniae, postea ea fruar, et tamen retinebo, quo jure quaque injuria conquisivero. Nequaquam vero hoc fiet: quia sic dicit Psalmus: „Ignorat, cui congregabit ea".

Quanto vero esset beatius timere Deum, et rem facere cum benedictione divina? Iuxta sententiam, Psalm. 37, (v. 16.): „Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas". Sed surdis narratur fabula. Sic enim colligendum et corradendum est, ut habeant פָּרִיץ, qui diripiat. Servemus ergo vulgatum illud: Mitte vadere, sicut vadit etc. Die Welt will ihr nicht sagen lassen, sie wills erfahren. Laban dum studet omnia colligere et conquirere, et fraudat mercede generum et filias, omnia amittit: Wer zu viel haben will, dem wird nichts. Ego ipse jam sexagenarius plurima exempla vidi Labanitarum, quorum ingentes opes subito dissipatae sunt. Quorundam etiam in parvo oppido Mansfeldia, quae mihi patria est, exempla nominatim possem recensere. Celebrantur et in aliis urbibus, Lipsiae, Fribergae et plerisque aliis locis venarum metallicarum insignia exempla eorum, qui rapiebant, thesaurisa-

bant nostra memoria, sed de amplissimis eorum opibus jam ne teruncius quidem restat. Id nimirum est colligere in saccum pertusum, ut inquit Haggaeus. At quare hoc fit? Quia ego sufflavi, dicit Dominus. Illo sufflante disperguntur opes, si etiam totus orbis terrarum repletus esset auro et argento.

Haec, tametsi nihil proficimus apud hypocritas impios et profanos, tamen inculcanda sunt, si quos forte moveant. Laban nihil curavit; nihilominus tamen Iacob docuit uxores et familiam, et ipsum quoque Laban admonuit de ira Dei adversus impietatem et avaritiam. Videte, dixit ad familiam, quanta sit avaritia soceri nec timentis Deum, nec nostrae servitutis rationem habentis. Non solum enim mercedem nullam solvit, sed spoliat etiam et expilat filias et nepotes. Quid faciam? Si mercedem nominavero, aliam technam inveniet, qua nos defraudet. Quia voluptati est talibus hominibus rapere, fallere, fraudare. Nihil aliud nisi fraudes et dolos nectunt, und wenn sie einem ein Heller abschinden können, so meinen sie, sie haben ein Gulden gewonnen: genus hominum exsecrabile, et invisum Deo ac hominibus.

Postremam particulam omnes vertunt: Ad ingressum sive introitum meum; sed res ipsa loquitur, Laban non statim ad introitum Iacob locupletatum esse. Ideo rectius redditur: Ad pedem vel ad cursum meum, quo simul significatur indefessum studium et durissimi labores Iacob, quasi diceret: Dies et noctes cursitavi, non equo aut curru vectus sum, sed defatigatus sum discurrendo in agrum, ad pascua pecorum, ad domum, tibi ut inservirem recte et fideliter. Die aestu, nocte frigore exhauriebar.

Ad illum cursum et laborem meum benedixit tibi Dominus.

Et nunc quando curabo etiam ego domum meam?

Est valde acris objurgatio. Hoc enim vult dicere Iacob: Tu socer meus es; debuisses igitur ipso jure naturae statim post natos quatuor filios me hortari ad rem familiarem curandam. Et si pius aut honestus tibi animus esset, sic mecum ageres: Mi Iacob, video, jam augeri prolem, natis nepotibus quatuor, dabo tibi mille oves, unde et tibi et tuae familiae peculium acquiras. Quis enim non juvaret filiam et generum honestum, praesertim suis commodis inservientem? Sed hoc non facit Laban; justissima igitur est querela Iacob de inopia sua. „Quando providebo ego domui meae"? Habeo duas uxores, totidem ancillas, septem filios. Horum omnium laboribus et parto tu frueris, et quod in nostrum commodum cedere debebat, rapis. An non cogitas, jure divino et naturali aliquando prospiciendum esse domui meae? Infra dicet ad Laban: „Nisi Deus fuisset mecum, et nunc vacuum dimisisses me". An non igitur iniquum hoc est et crudele, rapere panem ex ore et faucibus filiarum, nepotum et generi?

Haec enim vis est horum verborum, quae quanquam verecunde et modeste a Iacob proponuntur, tamen continent acerbam increpationem. Ego sum maritus quatuor uxorum, parens tot liberorum. His vero ego non laboro, nec prosum; sed te alo et domum tuam, tu voras ac rapis nostris laboribus parta. Si esset in te vel mica rationis et sensus communis, sive etiam pudoris et humanitatis, non sine-

res nos ita nudos et rerum omnium egentes vagari: das heifst das heilig Kreuz, und das Gold von der Heiligen Füsse stehlen. Est Lazarum famelicum fame occidere.

Est igitur exemplum incredibile inauditae avaritiae, quod ideo exaggerare debemus, ut discamus mundum cum suo monstro, avaritia, damnare et detestari, et futuras poenas et dissipationem bonorum injuste partorum denuntiare. Sicut omnium gentium voces et proverbia testantur: De male quaesitis non gaudet tertius haeres etc. Et vos adolescentes videbitis aliquando avarorum liberos egere et mendicare: et e contra Spiritus sancti promissionem impleri: „Non vidi justum derelictum, et semen ejus quaerens panem" (Ps. 37, 25.). Rursus vero: Non vidi impium conservatum, juxta illud (ib. v. 35. 36.): „Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat. Quaesivi eum, et non est inventus locus ejus". Experientia cum scriptura sancta pulchre congruit. Sic Laban maledicetur tanquam raptor et latro filiarum et nepotum, et bona ejus dissipabuntur.

Honestissima vero oratio est Iacob et causa justissima, ob quam missionem petit. Est enim mihi mandatum, vult dicere, ut prospiciam meis domesticis jure divino et naturali: sicut inquit Paulus: „Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior" (1 Tim. 5, 8.). Sed Laban nihil audit, nec movetur honestate, neque necessitate generi, sicut dicitur: Venter caret auribus.

Dixitque Laban: Quid dabo tibi?

Satis trepide quaerit. Ac si diceret: Si opus est centum aureis, rogo, tantum quatuor postules. An non autem debuisset statim in haec verba prorumpere: Agnosco tuam fidem et diligentiam, nec opus est verbis? Ultro tibi defero omnia officia, et quaecunque in rem tuam fore intellexero, libens praestabo tibi, genero et filio meo. Sed vide, avaritia quid facit? Adhuc quaerit: Quid dabo tibi? Cave nimium exigas. Ei du schändlicher Hund. Iacob est gener, sunt filiae et nepotes tui, et quaeris, quomodo illis commodare debeas? Moses egregie describit tam insignem Euclionem melius et exactius, quam ullus Apelles pingere eum coloribus potuisset.

Sed quid faciat Iacob? Videt, socerum alienum esse ab omni humanitate et pietate; ideo permittenda haec censet judicio divino. Sicut sane omnes avari vindictam Dei haud unquam defugiunt, quin ipso incremento et auctu rerum pereunt, quia crescunt tantum in maledictionem et perniciem, non in benedictionem. Quoties igitur vides avarum, vides hominem pereuntem et perditum. Intelligit autem Iacob animum ejus fallacem et veteratorium. Ideo cogitat: Tametsi exegero pecuniam, et tu promiseris, te daturum, tamen nihil dabis. Invenies aliquam fraudem, qua eludas quodvis pactum tecum initum. Nunc jacturam aliquam rerum, nunc alias difficultates causaberis, quibus moras subinde nectes. Infinitae enim excusationes sunt eorum, qui aegre solvunt. Ideo aliam conditionem offert.

Respondit Iacob: Non dabis mihi quicquam; sed si feceris, quod postulo, iterum pascam et custodiam oves tuas.

Nolo, tibi aliquid de substantia tua decedere: retineas sane, quae mea opera et diligentia hactenus parta sunt. Ac manebo ego tecum, et eadem fide pascam greges tuos, nec mercedem certam postulo, sed Domini benedictionem exspectabo, et boni consulam, quicquid is dederit. Haec oratio avaro Laban admodum grata fuit, cum audiret, sibi in praesentia nihil erogandum pecuniarum, et posse se diutius frui servo tam fideli. Sequitur ergo pactum inter Laban et Iacob.

Transibo hodie per omnes greges tuos, et separabo cunctas oves punctis notatas et maculosas, et omne pecus rufum in agnis, et maculosum atque punctatum in capris; idque erit merces mea. Et respondebit pro me justitia mea, cras aut hodie, cum cedet mihi merces mea coram facie tua. Et omne, quod non fuerit varium, aut maculosum, aut nigrum, tam in agnis, quam capris, furtum hoc esto apud me.

Peculium et opes Laban fuerunt oves, caprae, agri, hirci etc. Quia autem locus est obscurior, primum omnium sententia certa inde colligenda est. Queritur enim Hieronymus, eum a septuaginta confusissime redditum esse: nec se quenquam vidisse sive ex Hebraeis, sive ex Latinis interpretibus, qui satis distincte explicaverit. Idem fere Burgensis queritur. Lyra mihi utcunque satisfacit, quanquam haeret adhuc in quibusdam, ubi grammatica parit obscurita-

tem, et verba sunt elliptica, estque difficultas fere in sex versibus. Sed summa rei haec est. Nos inibimus, inquit Iacob, pactum. Nihil abs te postulo, sed quodcunque benedictione Domini mihi obvenerit, eo ero contentus. Transeamus ergo per greges tuos, et separemus inde omne, quod est maculosum et varium, ita ut ex una parte maneant unicolores, ex altera parte discolores statuantur. Sunt autem quatuor species: arietes, oves, caprae, hirci. Sed interdum una tantum nominatur per synecdochen, interdum plures, non semper omnes recensentur. Inde oritur difficultas. Postquam autem distributi sunt greges, accipit Iacob unicolores: qui vero sparsis pellibus sunt, attribuuntur Laban. Et Iacob hanc conditionem fert socero, ut, quicquid nascatur maculosum et punctatum ex unicoloribus, sibi mercedis loco veniat. Reliqui autem fetus unius coloris, sive albi sint, sive nigri, cedant socero.

Hanc conditionem Laban libenter accipit, neque quicquam fraudis dolive subesse suspicatur, si quidem fidem ac candorem Iacob tot annis perspectam habet. Itaque novae praedae inhiat. Ac ridet et miratur tacitus simplicitatem Iacob, qui minorem numerum elegerit, et ipsi reliquerit unius coloris fetus, quorum haud dubie major copia futura erat. Naturale enim est, ut albi ex albis, ex nigris nigri fetus, rarissime autem maculosi ex unicoloribus nascantur, nisi arte et diligentia humana naturae fiat imitatio, sicut postea dicetur. Ideo sibi gratulatus est Laban, quod peculio suo non solum nihil decederet, sed et major fieret accessio. Natura enim facit pro eo.

Sed hoc ipso rursum prodit execrabilem avari-

tiam suam; potius enim debuisset admonere generum, ne se ipsum defraudaret, quam conditionem tam iniquam acciperet. Deligebat enim sibi tantum albas aut nigras pecudes, ex quibus secundum naturam non varias, sed sui similes nasci necesse erat. Quid igitur agis, mi gener? debuisset dicere. Te ipsum debita mercede fraudas, quando maculosas tibi loco mercedis segregas? Iujusta pactio est, et contra naturam. Sed nihil tale ei in mentem venit: quin potius gaudet, sibi datam occasionem denuo fallendi et ludendi fatuum istum, et sperat, se, si unquam alias, hoc pacto maxime auctum et locupletatum iri. Tanta est immanitas avaritiae, ut reddat homines prorsus alienos ab omni pietate, humanitate, clementia, et induat eos crudelitate et malitia Diabolica. Talis enim hic Laban describitur, qui avaritia adeo ferus, adeo crudelis et ἄστοργος redditur, ut ne ungulam quidem de toto grege libens concedat genero et filiabus.

Haec est sententia hujus pacti, in quo simul immanis avaritia Laban amplificanda et exagitanda est. Iam et textum videamus, qui, ut dixi, propter ellipsim verborum est obscurior. Primum dicit, se separaturum omne pecus punctatum, etiamsi unum tantum punctum habeat: ut si nigro pecori unus aliquis punctus albus sit in fronte aut alibi, vel album pecus habeat unicam nigram notam, quacunque parte corporis. Et hac appellatione videtur comprehendere tanquam sub genere, vel per synecdochen omnia pecora, non una tantum, sed pluribus et quidem parvis maculis sive punctis respersa. Hoc enim Hebraeis est pecus נָקֹד.

Deinde maculosa pecora dicit טָלוּא, quae nos proprie reddimus, bunte. Sic enim discernuntur hae duae appellationes. Haec sunt notata maculis grandioribus et latioribus, grosse breite Plätz duorum colorum, albi aut nigri; illa sunt respersa maculis minoribus. Tertio pecus rufum in agnis segregaturum se ait, hoc est, rufos agnellos; differunt autem שֶׂה et כֶּשֶׂב; illud generis nomen est conveniens omnibus aliis pecudibus. Hoc significat agnum anniculum aut minorem; quando excessit annum, non vocatur amplius כֶּשֶׂב. Nos paschalem agnum dicimus, ein Osterlämmlein. Quarto etiam in caprarum grege maculosas et punctatas separat, perinde ut in ovibus. Sed ex agnellis tantum rufos deligit.

Sequitur autem: „Idque erit merces mea". Hic ellipsis est, et est subintelligendum: Quicquid erit hinc natum istis simile, et maculosum ex albis. Videtur enim mihi relictum esse Iacob tantum alborum gregem, quanquam alii etiam nigras pecudes additas putant. Et est sententia: Quicquid ex albis nascetur varium et sparso vellere, hoc erit meum: tuum vero, quod natum fuerit album. Est igitur admodum iniqua conditio, si quidem contra naturam est, ex albis capris aut ovibus generari rufas aut maculosas: tamen eam offert homini avaro. Tum enim, inquit, respondebit mihi justitia mea, id est, ero justus: quia pendet haec pactio ex fortuna et casu, si forte eveniat, ut ex albis mihi nascantur pecudes maculosae, ne quid insidiose aut fraudulenter a me fieri suspiceris, quanquam nullam unquam tibi feci injuriam. Porro quicquid non varium, sed unius coloris et album apud me inventum fuerit, id furto tibi surreptum dicito, et libere me furti arguito.

Valde dura obligatio est viri tam sancti et justi apud nebulonem impurissimum. Et apparet inde, Laban saepe conviciis incessisse Iacob, si quando non satisfactum fuit cupiditati et avaritiae ipsius, tanquam furto aliquid ablatum esset, aut familia Iacob mactasset et comedisset oves, capras etc. de grege. Aut saltem ejusmodi increpationibus et conviciis interminari et cavere voluit, ne quid in suum commodum verteret Iacob, tametsi de fide ejus et diligentia non posset dubitare.

Dixitque Laban: Age, utinam fiat juxta verbum tuum.

Videtur Laban adhuc dubitare et diffidere Iacob. Utinam, inquit, vel modo fiat, quod dixisti. Age experiamur, donec videam, an respondeat fetura meae exspectationi. Quanquam suae avaritiae accommodata omnia videt, tamen nondum pro rato accipit: sed cum conditione, ut possit mutare et rescindere pactum, quando aut quoties velit. Sicut infra audiemus decem vicibus mutatum esse. Augescit igitur magis ac magis detestatio avaritiae Laban, quia ringitur adhuc, cum offert gener aequissimam conditionem et sibi iniquissimam. Non adsentitur liquido: non ideo, quin utilem sibi et amplectendam statueret, sed ut retineat potestatem, ad quemlibet eventum retractandi et recusandi. Viden, avaritia quid facit?

Praeclare igitur a poëta dictum est (Virg. Aen. 3, 56. 57.): Auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora? Ita enim mutantur homines, ut nihil humani retineant, sed fiant statuae et simulacra sine omni sensu humanitatis. Et pulchre huc accommodatur id, quod Psalm. 115. (v. 4. 8.) dicitur:

„Simulacra gentium argentum et aurum; similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis". Usurarii, raptores, avari non sunt homines. Oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt. Et Ecclesiast. 10. (Sir. 10, 7.) scriptum est, avaro nihil esse scelestius. Sunt enim homines ἄστοργοι, immanes, crudeles, qui si omnium hominum vitam obolo possent redimere, non darent. Sunt igitur latrones et homicidae, quia rapiunt ea et vorant, quibus alii frui et sustentari deberent.

Quodsi vel exigua scintilla humanitatis in Laban fuisset reliqua, debuisset flecti ad humanitatem et beneficentiam virtute et liberalitate generi, et cogitare: Video generum meum ingenio bono et honesto praeditum, et adeo mearum rerum studiosum, ut conditionem non modo tolerabilem, sed et maxime quaestuosam offerat. Sed avertat Deus, ut eam accipiam. Habet filias meas uxores, cum quibus honeste et amanter vivit, et fideliter mihi quatuordecim annis serviit. Nae ego crudelior fuerim quavis bestia, si mea commoda ex ejus compararem incommodis. Sed nihil horum ne per somnium quidem cogitat, quia avaritia omnem humanitatem, verecundiam et ipsam naturam hominis exstinguit, et efficit simulacra argenti et auri etc.

Itaque valde mihi placet poëtarum fabula de Mida rege, cujus attactu scribunt omnia in aurum versa esse, quemadmodum voto optaverat fieri. Tales nimirum sunt avari instar statuarum argentearum aut aurearum, sine ullo sensu humanitatis. Et praeclare alibi dictum est, avarum nihil recte facere, nisi cum moritur. Sunt enim inutilia, imo noxia pondera terrae, et tollendi erant ex omnibus rebuspublicis bene

constitutis, quia sunt pestes societatis humanae, et exempla, imo portenta horribilia inhumanitatis, crudelitatis et impudentiae.

Separavit igitur eadem die hircos notis et maculis respersos, omnesque capras punctatas et maculosas, omnes, inquam, in quibus albedinis aliquid erat, deinde quicquid erat nigrum in agnis; et dedit eas sub manus filiorum suorum. Posuit vero spatium itineris trium dierum inter se et inter Iacob, qui pascebat reliquos greges Laban.

Moses hic aliis nominibus utitur, quam antea. Supra dixit rufum pecus in agnis. Item: punctatum in ovibus et capris. Hic hircos nominat, ut significet ingentem et inexplebilem cupiditatem Laban; qui etiam eas pecudes segregarit, quae non fuerunt nominatae in pacto. Quanquam enim id per synecdochen supra fieri diximus, tamen non temere videtur diversis appellationibus priores mutasse. עֲקֻדִּים hircos majores significat, qui praecedunt gregem: sicut תְיָשִׁים hircos minores sive capreolos, qui aluntur ad escam, non ad feturam.

Etymologiam vocis עֲקֻדִּים non scio. עָקַד significat vincire. Ideo exponunt pro hircis, qui habent circulum album in nigris pedibus, aut e contra, quo quasi revincti pedes videntur. Aut, quod mihi magis placet, eos intelligit, qui per dorsum habent maculas oblongas, ein langen Striemen, cujusmodi fere omnes hirci habent: ut hoc quoque conveniat ad amplificandam avaritiam Laban, qui exquisitissime separavit etiam eos, quorum maculae

vix notari poterant. Ideo enim dicit: Omne, quod erat in eis album, et omne nigrum in ovibus, quasi diceret: Cum jam pecudes sparsis pellibus separasset, hanc curam quoque adhibuit, ut in singulis, quae unius coloris erant, etiam pilos dispiceret in pedibus aut barba, si qui essent diverso colore notati. Tam anxia et sollicita segregatione usus est erga filias et generum, ut declararet animum sordidissimum omnium mortalium, et Dei odio dignum. Atque hactenus de pacto.

Porro Iacob accepit virgas de populo viridi, de corylo et castanea, et decorticavit eas, ut albedo appareret, denudans scilicet, quod album erat in virgis. Et posuit virgas, quas decorticavit, in canales aquarum ante oculos ovium, ut potum venientes in adspectu earum conciperent. Concipiebant itaque oves ante virgas, et pariebant diverso colore adspersas, ac punctis et maculis notatas.

Audivimus, Laban avide et anxie novae rapinae inhiasse. Sed quid fit? Deus monstrat Iacob singulare artificium, quo corrigat et mutet naturam. Sumit enim virgas ex tribus arboribus, et eas deglubit, non quod corticem prorsus detrahat, sed ut varietatem quandam colorum albi et nigri efficiat, ita ut una parte album propter detractum corticem, altera nigrum relicto cortice appareat. Has ponit in canales aquarios, ut oves ante oculos virgas habeant, et in adspectu earum concipiant. Fuit ingeniosa philosophia sive magia, qua effecit, ut oves in ardore libidinis, adspectu variarum virgarum varios

fetus procrearent. Atque ita ex grege albo aut nigro nati sunt multicolores et maculosi. Concipiebant in Hebraeo est יֶחֱמוּ a יָחַם calefaciebant se oves ad virgas, id est, coibant. Psalm. 51. (v. 7.): „In peccatis יֶחֱמַתְנִי concaluit, concepit me mater mea“, id est, ardore libidinis et turpi pruritu carnis conceptus sum. Significatur calor generans, qui ante lapsum fuit purus, et ad generationem conditus et necessarius, sed jam infectus est peccato originali; non est innoxius ardor, sicut fuit initio, sed est libidine et concupiscentia corruptus. Sic igitur arte atque ingenio, aut magia naturali fallit Iacob artem, sive potius malitiam Laban, quam magiam patres sive usu longiore, sive ex institutione majorum didicerunt; Iacob enim haud dubie ab aliquo Patriarcharum aut instinctu divino per Spiritum sanctum edoctus fuit. Et est res certa, et conveniens cum doctrina medicorum, qui affirmant, in conceptu omnium animalium, non brutorum tantum, sed et hominum, peculiares formas aut maculas imprimi fetibus, cum ex imaginatione, tum ex variis objectis animo aut oculis obversantibus, non solum in ipso ardore conceptus, sed etiam post impraegnationem.

Hieronymus et physici recitant exemplum reginae, quae enixa fuit infantem forma et facie Aethiopis propter fortem imaginationem Aethiopis depicti in tabella ad lectum. Aliam item narrant fuisse accusatam de adulterio, quod deformis ipsa peperisset formosum infantem, utrique parenti et toti generi dissimilem: et damnata esset, nisi Hippocrates eam liberasset, monens, ut ex ea quaereretur, an habuisset pictam aliquam tabellam in cubiculo, cujus adspectu esset delectata; quae cum esset inventa, ab-

soluta est a judicibus. Sic in facie, oculis, genis, cervice infantum sparsas interdum maculas sanguineas aut alterius coloris videmus: quando nimirum gravidae subito adspectu aut terrore rei inusitatae perc̃itae manus illis membris admoverunt. *Vidimus* hic Witebergae civem facie cadaverosa, qui dixit, matrem ferentem uterum subito oblato oculis cadavere ita fuisse exterritam, ut facies fetus in utero cadaveris formam indueret.

Idem fieri studiose solet in admissione pecudum et jumentorum: sicut affirmat Hieronymus, apud Hispanos generosissimos equos statui ante equas in admissura, ut illis similes pulli procreentur. Ideo non est jocandum cum praegnantibus, sed diligens cura earum habenda est propter fetum. Infinita enim sunt pericula abortuum, monstrorum, deformitatum variarum. Maritus igitur tum maxime „secundum scientiam", ut inquit Petrus, cum uxore habitet (1 Petr. 3, 7.). Memini, me puero Isenaci formosam et pudicam matronam eniti glirem, quod eo accidit, quia ex vicinis aliquis gliri suspenderat nolam, ad cujus sonitum reliqui fugarentur. Is occurrit mulieri gravidae, quae ignara rei subito occursu et adspectu gliris ita est conterrita, ut fetus in utero degeneraret in formam bestiolae. Talia exempla nimis usitata sunt, quando praegnantes saepe subitis affectibus et pavoribus concitantur, cum vitae discrimine.

Cavendum itaque est, ne accidant eis vehementiores cum corporis, tum animi commotiones. Qui enim gravidarum non habent rationem, nec parcunt tenero fetui, fiunt homicidae et parricidae. Sicut *quidam* usque adeo crudeles sunt, ut etiam verberi-

bus saeviant in gravidas, fortes scilicet et animosi in sexum imbecillem, alioqui vero ignavissimi. Nam nuper audivimus, principem quendam, multis aliis sceleribus et flagitiis nobilem, in conjugem languentem et affixam lectulo strinxisse gladium. Egregium vero heroëm, et militem strenuum. Atqui id minime heroicum, sed flagitiosum est et turpissimum. Si enim vir es, invenies parem, cum quo congrediaris. Heroës sunt fortes contra fortes, et infirmi erga infirmos. Quid est, quod adversus puerum et mulierem praegnantem pugnam cies? Satis superque satis alioqui periculorum est huic sexui, etiam apud moderatos maritos, a vicinis, a Diabolo, a variis spectris et imaginibus brutorum. Sceleratum est, illa etiam tua crudelitate augeri.

Quin etiam ethnici hanc virtutem in suis heroibus praedicarunt, quod fuerint placidi et blandi erga uxores. Id enim testantur descriptiones in Homero Achillis, Hectoris etc. Hector armatus osculatur filiolum. Ita fuerunt mulieres cum mulieribus, adeo ut nihil videretur magis muliebre heroibus illis apud conjuges. Sed in proelio Achilles aliter se gerit adversus Hectorem, quam cum ludit cum Briseide. Digni igitur odio sunt, qui adversus inermem et imbecillem sexum sunt fortes et pugnaces. Nos viri sumus nati non ad laedendum, sed ad defendendum sexum imbecilliorem. Mulier enim habet corpus conditum ad ferendum uterum, ad nutriendum fetum, et plurimis periculis exposita est. Ideo prudenter et moderate est tractanda. Atque hactenus prima pars hujus loci explicata, et una industria Iacob descripta est.

Et separavit Iacob agnos, et posuit separatum gregem ad maculis respersos et nigros agnos in grege Laban. Et posuit sibi greges seorsim, non ad oves Laban. In omni igitur admissura ovium robustiorum posuit Iacob virgas in canales ante oculos ovium, ut in admissura coram virgis conciperent. In admissura autem debilium ovium non ponebat. Ita debiliores erant ipsius Laban, robustiores vero Iacob. Auctusque est vir ille valde nimis, ut esset ei magnus grex, ancillae, servi, cameli et asini.

Altera industria est de verno et autumnali conceptu. Usus enim est Iacob suo artificio in primo, id est, verno conceptu, quando oves sunt fortiores: tum posuit virgas in canales, ut robustiores fetus fierent varii, qui ad se pertinebant. In autumnali autem et serotina admissura oves debiliores sunt, propterea quod destituuntur calore solis, quem habent in veré. Ideo tum non ponebat virgas, ut secundum naturam nascerentur unius coloris agni, qui ad Laban pertinebant. Vernae autem admissurae ideo sunt meliores, quia fiunt adscendente sole, quando redit calor, et omnium herbarum et animalium vires augentur. Curavit igitur Iacob, ut haberet oves meliores et fortiores, vernas scilicet, die Früling, sicut autumnales et serotini dicuntur die Spätling und Winterschaf. Caeterum haec satis ingeniosa industria, imo calliditas et propemodum nequitia fuit: et tamen ibi quoque aequitatem et moderationem talem servavit Iacob, ne moveret suspicionem avaro *socero*, quod arte falleretur. In admissura hiberna

nihil mutabat, ut et Laban aliquam partem retineret, nec in totum spoliaretur. Egregie igitur circumventus est, nec potuit intelligere, qui fieret, quod fetus verni ederentur sparsis pellibus, et autumnales sequerentur naturam. Cogitavit, id fortuito aut benedictione divina fieri: ideo mutavit pactum, ut infra dicetur, decies, ubi, si unquam antea, maxime insigne et detestandum specimen avaritiae suae edit. Quia enim videbat, vernos fetus meliores et robustiores esse, rescindebat pactum, et deligebat varios. Ibi cum Iacob non corrigeret naturam suo artificio, edebantur unius coloris, et iterum obveniebant Iacob meliores; rursus igitur fallebatur, et rursus ipse mutabat tertia, quarta, imo decima vice. O turpem et conspuendam ab omnibus avaritiam!

Flagellant autem me Rabbini nostri, quod male reddiderim hunc locum in translatione Germanica. Addunt enim ipsi tertiam industriam ex eo, quod dicitur, posuisse separatum gregem ad oves in grege Laban etc. Id sic interpretantur, quod maculosos agnos in unum gregem redactos fecerit antecedere gregem ovium Laban, ut sequentes oves contemplatione praecedentium variorum alios maculosos fetus ederent. Sed haec orta sunt a pessimis et avarissimis Rabbinis, qui sanctissimum Patriarcham ex suo ingenio metiuntur, quasi non fuerit contentus illa magia, sed etiam in conspectum unicolorium gregum adduxerit maculosas oves, ut non tantum ex variarum virgarum, sed etiam ex varii gregis adspectu varietatem quandam induerent fetus: cum tamen Moses tantum de virgis loquatur, et prorsus contrarium velit, videlicet, quod Iacob semoverit gregem varium in alium locum. De agnis enim loquitur, quos

segregavit: sicut hodie etiam agnellos seorsim ponunt, quando matres in pascua ducunt, et sejuncti fuerunt duo greges spatio itineris trium dierum. Ideo non potuerunt simul esse in uno aliquo loco uterque grex, Iacob et Laban.

Hac autem industria scribit Moses Iacob valde locupletatum esse; sive, ut est in Hebraeo, dirupit vir ille, id est, auctus est supra modum. Atque haec mihi quidem videtur esse germana et genuina sententia hujus loci admodum obscuri, congruens cum judicio omnium catholicorum, et sumta ex collatione consequentium, quae quidem hanc sententiam magis illustrabunt et confirmabunt, et ex accurata consideratione circumstantiarum omnium.

Quaeritur autem, an possit excusari hoc factum Iacob, quod manifesta fraude socerum fallit. Habet enim quandam speciem avaritiae, vel potius furti et rapinae. Cur enim non servat ordinem naturae utroque tempore, verno et autumnali? Respondeo: Ex iis, quae supra dicta sunt, et quae sequentur infra, varia et honesta excusatio sumi potest. Primum jure humano excusatur, quod concedit iis, qui serviunt dominis avaris et iniquis, si nihil mercedis solvunt, sed tantum rapiunt, spoliant, expilant, ut vicissim rapiant, quod debetur eis pro mercede, sed debito modo, ne fiat id cum detrimento domini. Sic filii Israël spoliaverunt Aegyptum, mercedem accipientes injustae servitutis, quam Aegyptii nondum persolverant. Ad eundem modum Iacob servierat quatuordecim annis, et multis miseriis, difficultatibus et molestiis conflictatus fuerat, et tamen justa mercede fraudabatur. Ergo jure ad eum pertinebat

hoc, quod rapiebat, etiam invito et inscio domino. Haec una responsio est.

Secundo, tametsi est dolus et fallacia, tamen fecit eam Iacob auctoritate divina, quia Angelus apparuit et monstravit ei, hanc magiam naturalem et licitam esse. Ex Angelo igitur vel ex sanctis Patribus Iacob eam didicit, qui magnam rerum experientiam et cognitionem habuerunt. Quando vero jubet Deus sanctos et fideles viros aliquid facere, id sine ulla dubitatione sanctum est et licitum.

Tertio, infra dicet (nam hoc caput sine sequenti intelligi non potest) Deus respexit laborem et afflictionem meam. Ibi audiemus, quibus angustiis impulsus fuerit ad hanc fraudem struendam. Quod furto peribat, dicet, cogebar solvere: nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac affuisset, nunc quoque vacuum me ablegasses. Optimus et fidelissimus Iacob nullam spem habuit comparcendi aut colligendi peculii alicujus propter rapacitatem inexplebilem soceri. Ea profecto non fuit exigua calamitas, qua motus est ad rapinam hanc, praesertim cum accederet auctoritas divina, qua jubebatur hoc facere. Plus enim ex te sensit Laban commodi, dixit Angelus, quam tu ei possis rapere. Ideo jure potes uti arte et fallacia, ut ab eo aliquid auferas, non raptum, sed a Deo ipso concessum et datum. Itaque et humano et divino jure et extrema necessitate excusatus est Iacob.

Non autem cuivis imitandum hoc exemplum erit, nisi in simili casu. Alioqui enim oculi nequam in factum ipsum tantum intuentur, posthabitis circumstantiis, et pro exemplo aliis rapinis temere accommodant. Verum nequaquam id sequeris, nisi per

monia similis fueris Iacob, et omnes circumstantiae in casu simili te impulerint. Is enim auxit rem familiarem soceri, et servivit tam duriter avarissimo et rapacissimo Laban, qui ne victum quidem sufficientem ei praebuit, passus est vigilias, famem, sitim, aestum, frigus noctu dieque sine ulla compensatione aut praemio. Quin insuper cogitavit Laban pacta mercede eum spoliare, si quidem retinet arbitrium mutandi pactum, quoties vult. Hae circumstantiae diligenter adspiciendae et perpendendae sunt: tum non accusabitur Iacob avaritiae, neque quisquam etiam facile exemplum hoc imitari volet, quia est heroicum, sicut alia multa in Patriarchis; de heroicis autem factis supra diximus. Aliquando ad regulas se accommodant heroici, aliquando non; sed Iacob hic non peccat contra regulam, quia succurrit ei jus naturae et civile, et Christus inquit: „Dignus est mercenarius mercede sua“ (Matth. 10, 10.).

Nota. Negligentia quadam in fol. 21. pag. 334. lin. 12. a. s. post voc. nummos in nonnullis exemplaribus omissum est: „(Hor. Ep. I, 1, 53.)“, cui ut ignoscatur rogamus.

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA

CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ONOLDINI PROFESSOR.

TOMUS VIII.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. XXXI — XXXV.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXXI.

IN GENESIN

ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM PER VITUM THEODORUM,

TOMI III. PARS III.

TRIGESIMUM PRIMUM CAPUT GENESIS.

Et audivit verba filiorum Laban, dicentium: Tulit Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri, et ex his, quae patris nostri sunt, omnem istam gloriam paravit.

Hactenus recitavit Moses ea, quae gesta sunt sex annis post natum Ioseph. Ex eo enim tempore coepit cogitare Iacob de gubernanda et alenda familia sua, cui superioribus quatuordecim annis nihil prorsus providerat. Postquam vero tot filiorum factus est parens, sero propemodum de rationibus rei familiaris ei in mentem venit. Quemadmodum autem quatuordecim annis magna tolerantia durissima quaeque sub avaro domino passus est, ita sexennio hoc mirabili artificio et benedictione Domini non contemnendum peculium acquisivit. Nec sine invidia. Neque enim clam socero et filiis ejus opes suas habere potuit; itaque exactis sex annis parat reditum in patriam: quanquam non festinat, forsan etiam mansurus diutius, nisi divina accessisset vocatio.

Sed accedit ad cumulum illum miseriarum, quem in domo Laban tot annis sustinuit, livor et invidia filiorumfamilias, qui eum expilatorem paternorum bonorum non obscure criminantur. Audivit enim, inquit Moses, verba filiorum Laban, dicentium etc. Vidit et vultum ipsius Laban immutatum, frontem corrugatam et tristem, quae omnia intellexit signa esse animi alieni et infensi. Audi igitur insignem calumniam filiorum Laban exprobrantium Iacob opes illas, tam diuturnae et durae servitutis praemium, ac dices, cum avaritia conjunctum esse universum orbem iniquitatis. Hinc illud Ecclesiastici: Nihil scelestius homine avaro (14, 6.). Et ex ethnicis Mimi Publiani praeclara vox: Avarus nihil recte facit, nisi cum moritur. Ita enim totius naturae, et omnium gentium una vox et consensus avaros detestatur et damnat: quia habent insitam animis idolatriam et universam impietatem, non in exteros et alienos tantum, sed etiam in domesticos et in viscera sua, nimirum in filias, nepotes, generum. Quid possit cogitari sceleratius et exsecrabilius tali homine, qui filiabus ex se natis aut conjugi suae non favet unam buccellam panis? Quid is faciet ignoto aut nulla propinquitate conjuncto? Itaque nihil satius est, et nihil melius potest facere avarus, quam si moriatur, quia vivendo nec Deo, nec aliis, neque sibi ipsi vivit. Nihil aliud potest, quam peccare contra Deum, contra homines, contra se ipsum, quia et suo ipsius corpori haud unquam benefacit.

Utuntur ergo filii Laban verbis admodum plenis et grandibus ad declarandam suam invidiam. „Tulit, inquiunt, Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri". Lüg dich nicht zu Tod. Est hyperbolica

calumnia: O nos miseros, inquiunt, perimus; unde deinceps vivemus? Iste omnia bona patris nostri compilavit, prope adest, ut nos exsugat et absumat prorsus. Ad hunc modum depingit Moses Laban cum suis filiis, quod parentem secuta sit sua proles. Omnia tulit, inquiunt. Et tamen Iacob servivit quatuordecim annis, neque quicquam praemii tulit praeter victum tenuem et vestitum. Quod fuit reliquum, omne cessit Laban. Imo is nunquam ad tantas opes pervenisset, si fuisset absque pede Iacob, de quo supra dixit. Deinde nihil unquam surripuit, sed segregavit singulari studio maximum gregem unicolorium a suo grege variorum agnorum, qui multo minor fuit, et vixdum collectus industria et inspiratione divina. Et nihilominus interea alter grex Laban, jam antea satis numerosus, auctus est. Iacob tantum fructum laboris sui segregavit, et inde istas opes exiguas sane, si ad ingens peculium Laban conferantur, comparsit.

Ex hac igitur oratione filiorum Laban colligimus, quis sit animus, quod ingenium avarorum. Non enim hoc considerant, quod habent ipsi in manu, non gregem numerosum, non proventum uberrimum, sed quod pauculas oves ex gregibus suis nactus est Iacob, quos tamen ipse antea tot annis tanto studio auxerat, et unam tantum partem gregis sibi mercedem laborum suorum postulaverat; id vident, et quidem cum summo dolore et invidia. Quomodo igitur adderet aliquid Laban, cum hoc invideat et praebeat aegerrime, quod omni jure et ex pacto fideli servo debebatur. Talis nimirum pestis est avaritia, quae eo non est contenta, si possit sola omnia absorbere, sed hoc etiam requirit, ut alii

omnes egeant, esuriant, pereant egestate et inedia. Non potest satiari, salvis etiam omnibus suis reditibus et thesauris, nisi videat, alios prorsus nihil habere.

Est autem invidia justissima poena avaritiae. Interim enim dum alios egere vult avarus, suis quoque rebus non fruitur. Sicut testatur dictum Hieronymi in prologo Bibliorum: Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet, ita ut pauperculus aliquis suavius victitet pane quotidiano, quam ille omnibus suis reditibus. Vidi ipse Erphurdiae in Academia magistrum abundantem opibus, sed ita sordidum et tenacem, ut toto anno non biberet sextarium vini ad tuendam valetudinem corporis. Quid igitur est miserius, quam in tanta copia sitire, esurire, egere, deinde hac cupiditate excruciari, ut oportet, alios omnes esse miserrimos, et dolere ac ingemiscere, si videat alterum vel unum aureum possidere? Vide igitur, an non sit avaritia monstrum omnium monstrorum teterrimum?

Et superat haec cupiditas et livor filiorum Laban omnia alia exempla: quia optimus vir magno labore et miseria tam diu servivit, suoque sudore uxorem et liberos aluit, et non privatam suam rem, sed domum et greges Laban auxit et locupletavit: et oportet tamen eum ferre et audire calumniam hanc: „Tulit omnia bona patris nostri“. Dignum sane exemplum et nomen Laban, quod perinde ut Euclionis nomen in proverbium abeat ad notandum immensum et infinitum studium opum. Quantum enim id fuit, quod hisce sex annis acquisivit Iacob sua arte? Profecto multo uberiore accessione dignus *fuisset*. Quid vero putabimus numeraturum fuisse

Laban genero pro tam fideli et longa servitute, si non intercessisset pactum illud? Hoc scilicet, quod postea dicet Iacob: „Dimisisses me vacuum et egentem", vel mansisset perpetuo servus, cujus labores et miseriae, ut antea, ipsi fuissent quaestui.

Videmus enim, quam cupide inhient huic peculio Iacob, quam odiose id amplificent, quasi dicerent: Quid haberet Iacob, si absque bonis patris nostri esset? Mendicus esset et exsul. At cur non potius sic dicunt: Quid habuisset pater noster, si non venisset huc Iacob? Quae enim fuerint facultates ejus, supra significavit Laban, cum diceret: „Modicum habuisti, cum ingressus sum ad te". Filia Rahel custos erat pecoris et gregis exigui. Non erat opus pastore aut servo aliquo propter paucitatem. Sed ipsi invertunt et quaerunt: Quid attulit Iacob ad nos? Ingressus est vacuus et nudus: rursus ergo sic abeat. Sed unde habebit remunerationem suorum officiorum, quae praestitit huic domui viginti annis? Nihil est meritus, dixerunt, quia est servus. Nos sumus liberi et sumus filii heriles. Fruamur ergo partis Iacob, et ipsum extrudamus inopem et egenum, aut serviat nobis gratis perpetuo. Sic enim jure sibi postulare et deberi servitutem hanc existimarunt, neque ullam mentionem praemii recte fieri posse. Quin etiam servum non decere, ut tam magnificas opes possideat.

Ideo enim singulari appellatione utuntur כָּבֵד, quod proprie significat gravem esse. Per metaphoram autem gloriam denotat: supra 13. (v. 1. 2.): „Adscendit Abraham de Aegypto gravis valde pecore, argento, auro". Sic terra dicitur gravari fame, pestilentia, etc. Item: Aggravatum est cor Pharao-

nis. Significat, adesse res, non esse inane et vacuum. Hinc transfertur ád gloriam, quia opes et copia omnium rerum pariunt gloriam et magnificentiam. Sic ergo invidiose loquuntur filii Laban: Paravit ex nostris bonis omnem illam gravitatem, id est, gloriosam et magnificam substantiam. Non volunt dicere fructum, possessionem, facultatem, peculium etc.; sed dicunt כָּבֹד odiose et calumniose; quasi dicerent: Venit huc mendicus, sed maximas opes domi nostrae cumulavit.

Haec ideo accuratius evolvenda sunt, quia videtur scriptura sancta voluisse exactam descriptionem avaritiae hoc exemplo constituere, quod sit avaritia orbis et cyclopaedia omnium vitiorum et scelerum, et avarus sit, qui nec Deo nec sibi ipsi bene cupiat. Quae enim non serviunt ipsius commodis, ea potest odiose exaggerare, et dolet, se iis non posse potiri. Quod igitur de ingratis dicitur, omnia convicia dixeris, si ingratum dixeris, id multo rectius de avaro dicetur, quia ingratitudo est peccatum omissionis; avaritia autem est peccatum commissionis et summae crudelitatis. Ideo illud longe superat, propterea quod rebus publicis et privatis vehementer officit.

Vidit quoque Iacob faciem Laban, animadvertitque, eam non esse erga se, quemadmodum fuerat heri et nudius tertius.

Prima causa fuit discessus, querelae et calumniae filiorum Laban: altera est facies soceri mutata. Eadem enim est invidia et cupiditas patris, quae est filiorum. Non potest sine magno livore et dolore intueri peculium generi: quia optavit, eum perpetuo pauperem esse et servum, ut miseria ejus sibi quae-

stui esse posset. Non videt, jam antea se beneficio Iacob crevisse, et pro una filia pluribus pastoribus ad tam numerosum gregem opus esse. Sed generum et filias unam aut alteram oviculam, agnum, capellam habere videt et ringitur: non exporrigit frontem, sicut antea, cum solus ipse cresceret, et Iacob nihil sollicitus esset de re privata.

Porro autem offenso et irascente domino etiam filii et reliqua familia ad ejus nutum vultus composuerunt. Hi quoque sorores Leam et Rahel infensi observarunt, si quid vel extremo digito attrectarent, quod pertinebat ad peculium Laban, saepe contumelias, calumnias, convicia confinxerunt, et ea in miserum Iacob et invisum patrifamilias conjecerunt. Itaque omnia tristia, adversa et molestia ei fuerunt in hac domo: nec unum tantum aut alterum mensem invidia et odium hoc duravit, sed statim secundo aut tertio anno incepisse consentaneum est, cum primum coepit Iacob crescere. Quid vero possit homini accidere tristius, quam cum tali familia vitam exigere, ubi paterfamilias, uxor, liberi, servi, ancillae torvum tuentur, fremunt, indignantur? Et implevit tamen Iacob sexennium illud. Tandem vero cogitavit: Iam nunc tempus est, ut hac domo excedam, exacto sexennio in maximo odio et acerbissimis calumniis. Quanquam non festinat, necdum recessisset, sed auctoritate divina jubetur redire in patriam.

Et dixit Dominus ad Iacob: Revertere ad terram patrum tuorum, et ad cognationem tuam. Ego tecum ero.

Hinc apparet, quantum molestiarum et aerumnarum sustinuerit Iacob, si quidem necesse est, ut

Dominus eum respiciat, et ex his angustiis evocet. Neque enim frustra loquitur Deus, nec offert verbum suum otiosis et securis, sed his, qui egent, qui laborant, qui affliguntur et sustinent difficillimum certamen adversus carnem et omnia apparentia, hoc est, ea, quae secundum sensum et rationem humanam pugnant cum fide, Hebr. 11. ut afflicti unico praesidio verbi Dei niti et sustentari queant. „Non habitat sapientia, inquit Hiob (28, 13.), in terra suaviter viventium", quia est verbum crucis et desperationis. Ideo pertinet tantum ad vexatos et mortificatos, despectos, desperatos, oppressos: qualis fuit Iacob in exsilio suo apud socerum injustum et avarum, qui nihil largiri, et omnia rapere et deglubere conabatur, cujus filii acerbissime eum exagitabant. Et id meditabantur omnes, ut perpetua servitute devinctum retinerent, ejusque sudoribus et aerumnis ditescerent.

In his angustiis loquitur ad eum Dominus, cum nihil aliud praeter fidem et invocationem haberet reliquum, ac detentum et odio habitum ab omnibus hominibus complectitur, et confirmat propositum de discessu, jubet, ut deserat familiam tam infensam ipsi et conjugibus, atque suae domui provideat, quo verbo testatur Deus, universam vitam et omnes actiones Patriarchae Iacob sibi placere.

Proinde hic locus diligenter notandus est. Non enim de summis tantum miraculis concionatur scriptura sancta, sed etiam testatur, Deum servilium et oeconomicarum rerum cura affici, id quod summorum miraculorum instar est, et signum singularis gratiae et favoris Dei. Atque haec consolatio supra *et in tota* scriptura saepe repetita est, ac saepe est

agitanda. Qui credit enim, sicut Iacob, debet esse certus, omnes cogitationes, omnia vestigia sua esse Deo curae, non aliter, ac si nihil aliud esset, quod ageret Deus, quam ipsum ut tueretur et gubernaret. Nihil enim de regno Aegyptio aut Babylonio, nihil de toto mundo concionatur Moses. Tantum recitat, quomodo Iacob vexatus, tentatus, et in patriam redire paratus fuerit. Ideo non est, quod angamur et sollicitemur, qua ratione gubernentur regna et imperia mundi. Sed agamus Deo gratias, quod scimus, nos ita ei curae esse, ut etiam sciat omnia, quae facimus, patimur, cogitamus.

De hoc vero singulos oportet esse certos, quod sint populus Dei, sive membra ecclesiae. Haec fides ante omnia necessaria est, quae firmiter hunc syllogismum apprehendat: Omnis populus Dei benedictus, sanctus, Deo gratus et acceptus est, ita ut non possit rapi ex manibus Dei. Nos sumus populus Dei: ergo Deus nostri curam agit. Major est verissima, quia etiam mors et sanguis sanctorum sunt pretiosa in conspectu Domini, placent Deo omnia, quae faciunt et patiuntur: imo errores et lapsus eorum tecti sunt et remissi, ut testatur Psalmus 32. (v. 1.). Sed de minore est quaestio. Nam et Turca, Papa, Iudaei gloriantur, se esse talem populum, placentem et gratum Deo. Videndum igitur est, ut de minore simus certi, quod nos simus filii Dei, de grege et populo Dei, sub uno pastore Christo. Hoc si firmiter et certo statuere potes, jam es beatus. Sis igitur bono animo, neque turberis aut trepides, si vel fractus illabatur orbis: si quidem certus es, te esse sub eo pastore, qui est dominus coeli et terrae.

Difficile autem est huic propositioni firmiter adsentiri, etiam ovibus et piis ipsis. Perpetuo enim luctandum est contra dubitationem et diffidentiam: tam magna et difficilis res est fides. Sed Turca, Iudaei, Papistae non sentiunt hanc luctam, non pugnant, sed sunt certissimi, et secure gloriantur, se sine ulla dubitatione esse populum Dei. Assidua igitur consolatione opus habent pii, ut huic minori credant; tum enim major te non fallet, quia testatur Spiritus sanctus et hoc et aliis exemplis compluribus, Dei populum etiam in minimis et levissimis placere Deo. Omnia enim per te operabitur, mulgebit per te vaccam, et servilissima quaeque opera faciet, ac maxima pariter et minima omnia ipsi grata erunt. Sed quibus argumentis probanda erit minor propositio? Quomodo certo sciam, me esse de populo Dei? Ante Christum incarnatum Patres habebant promissionem, verbum et vocem Dei, habebant et signum circumcisionis. Nos hodie habemus claves, Baptismum, Eucharistiam, promissiones evangelii. Inde colligas argumenta et demonstrationes, quibus certus fias, te esse Christianum, esse baptisatum, et incedere in vocatione sancta et pia. Non blasphemes, sed ames verbum, et Deo servias aliquo honesto munere. Si hoc animo tuo infixum haeret, tametsi fuerit pugnandum contra dubitationem, tamen sic concludas et colligas, te esse eum, cujus facta omnia Deo curae sint et placeant. Cogita: Ego sequar vocationem meam, faciam operas serviles, heriles, pueriles cum Iacob. Scio enim, haec omnia esse in honore et pretio coram Domino, Deo nostro.

Haec propter assiduam luctam adversus dubita-

tionem repetenda sunt. Diversum enim a verbo et consolatione divina objicitur sensibus. Caro aliud sentit, ita ut piis omnia in contrarium ferri videantur, si quidem impii sunt felices, et ipsi affliguntur, Ideo fides est rerum invisibilium, donec exitus veritatem promissionum probet. Et ob hanc causam Dominus iterum alloquitur Iacob, non tantum ut consoletur eum, sed etiam ut confirmet et juvet eum in hac lucta, quam sustinuit haud dubie acerrimam.

Diligenter autem observandum est, quid loquatur Deus ad Iacob. Revertere, inquit, in terram patrum tuorum, quasi diceret: Satis diu multumque passus es apud avarum istum nebulonem, expilantem et deglubentem te. Vade igitur, et fias paterfamilias in tua patria. Haec est vox Dei consolantis et erigentis Iacob. Accepta autem consolatione additur ei animus, et audet, quod alioqui nunquam fuisset ausurus. Audet clam socero et filiis excedere domo cum uxore, cum liberis et omnibus, quae possidet satis confidenter. Sed quia verbum jubet, ideo non trepidat, sed pergit in nomine Domini; sunt enim haec verba Dei liberantis Iacob de angustia, et promittentis futuram defensionem. Vade et collige omnia, quae habes, et confer te in patriam tuam. Sed insequetur me Laban, potuit Iacob dicere, et retrahet in servitutem; pollet enim viribus, potentia, numero amicorum et propinquorum; non potero clam aut incolumis evadere. Sicut accidit postea, quando insequitur eum Laban tanquam fugitivum et furem, et mortem ei minatur. Ait ergo Dominus: „Ego ero tecum". Etiamsi omnes Diaboli cum Laban essent contra te, tamen ego tecum ero: sine modo veniat. Magna res est profecto,

quod Iacob potuit huic verbo credere. Sed fuit homo exercitatus fide et probatus multis tentationibus. Et tamen habuit etiam suam infirmitatem; sicut alii Patres tot tentationibus et luctis interdum defatigati sunt; sed subinde animum et robur receperunt. Et fuit perpetua haec vicissitudo tentationum et consolationum.

Misit igitur Iacob, et accersivit Rahelem et Leam in agrum ad gregem suum. Et dixit ad eas: Video ego, faciem patris vestri non esse erga me, quemadmodum heri, et nudius tertius. Verumtamen Deus patris mei fuit mecum. Et vos quidem nostis, quod toto robore meo servivi patri vestro; pater autem vester dolo malo egit mecum, et immutavit mercedem meam decies. Sed non permisit Deus, ut noceret mihi. Quando sic dicebat: Quae punctis respersae sunt, sint merces tua, pariebant omnes oves fetus punctis respersos. Quando vero dicebat: Ea, quorum crura fuerint diversis coloribus, erunt merces tua, omnes oves pariebant fetus cruribus discoloribus. Eripuit igitur Deus peculium patri vestro, et mihi dedit.

Miror, quae causa fuerit, quod non in domo et tabernaculis cum uxoribus consultavit. Fuit enim gener et maritus filiarum: potuit igitur domi non nunquam cum familia et uxoribus colloqui, et significare suum consilium. Fortassis Laban et filii interdixerunt ei domo, ne auderet ingredi ad tabernacula uxorum. Ideo oportuit eas evocari et egredi

in campum, ubi suos et soceri greges pascebat. Et fuit haud dubie suspiciosus. Ideo non facile passus est, Iacob colloqui cum uxoribus, ne eas domo abduceret. Quicquid fuit, videtur Moses significare animum malignum et suspiciosum Laban.

Quanta vero malitia est, quod statim, ubi videt Iacob crescere, rescindit pactum? Quid superioribus quatuordecim annis rapuisse eum putabimus, cum tam inique et per vim conventa et pacta mutet? Hoc Spiritus sanctus studiose recitat ad exaggerandam nequitiam et avaritiam Laban. Mutavit enim conditionem, quando et quoties libuit. Si videbat, varium pecus nasci, post fetum dicebat: Volo, ut in futurum mihi varia nascantur. Rursum cum videret unius coloris procreari, non adhibitis virgis Iacob, deligebat pecus album aut nigrum. Sic elusit artem Iacob et fefellit eum singulis annis, imo semestribus singulis, cum sex annis decem vicibus mutarit. Primo anno servavit pactum, sed reliquis quinque annis decies mutavit: hoc valde iniquum fuit. Ideo cogitavit Iacob: Quid cum illo agas? Hic nihil proficiam. Abibo igitur, et relinquam hominem nequissimum. Et est exemplum insignis fidei et patientiae in Iacob, qui potuit haec perferre et perpeti. Nihil ei profuisset neque pactum cum socero, neque magia, qua utebatur, toties et pro libitu Laban mutante conditionem, nisi accessisset benedictio divina: sicut ait: Dominus fecit, ne noceret mihi. Deus me liberavit et auxit greges meos: imo patri vestro eripuit peculium, et mihi dedit.

Estque singularis emphasis in verbo eripuit. Non dicit: accepit, aut abstulit Deus, sed eripuit. Sicut in Psalmo usurpatur: „Eripe me de inimicis

meis". Deus eripuit, id est, liberavit, salvavit. Et vult Spiritus sanctus significare, peculium id omni jure ad Iacob et uxores ejus pertinuisse, donatum benedictione Dei, et laboribus ipsorum partum, quia serviverat XIV. annis, et sexennio hoc decies fallebatur. Dicit ergo scriptura sancta, esse id per vim raptum et sublatum, quod debebatur Iacob et familiae ejus, Gott hat mir Macht dazu müssen thun. Ars et astutia mea divinitus monstrata et approbata nihil profuisset, nisi Deus singulari vi et potentia eripuisset, et liberasset tanquam captivum peculium patris vestri, quod ipse ante nobis rapuit ex faucibus. Nostrum fuit hoc totum, quod tenuit. Et quod jam habemus, non arte aut industria acquisivi, sed divina potentia, qui manu forti rapuit de manu latronis et nebulonis hujus. Hoc voluit Moses verbo וַיַּצֵּל significare, quod Dominus rapiendo benedixerit Iacob. Ita enim manus Domini est cum sanctis ejus, ut protegat et liberet eos a fraude et malitia impiorum.

Et hoc quoque factum est, tempore admissurae ovium sustuli oculos meos, vidique per somnium: et ecce hirci adscendebant super pecora notis respersa, punctisque notata et maculosa. Et dixit ad me Angelus Dei in somnis: Iacob. Et respondi: Ecce ego. Et dixit: Attolle oculos tuos, et vide omnes hircos adscendentes super pecora variis notis, punctis et maculis respersa: quia vidi omnia, quae fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc igi-

igitur surge et egredere de terra hac, et revertere in terram cognationis tuae.

Haec sunt verba synecdochia, et propter brevitatem, qua utitur Moses, videntur sic sonare, quasi Iacob in somnis nihil viderit praeter hircos unius coloris adscendere. Intelligendus igitur est textus distributive, non collective, id est, nunc hac fetura super unicolores, alia super discolores adscendentes vidit. Et pars sumenda est pro toto. Intelligit enim omnes masculos in pecore ovino et caprino: si quando dicebat: Hac vice habebis עֲקֻדִּים, nascebantur עֲקֻדִּים; et sic de reliquis generibus. Convenit enim cum eo, quod supra dixit: Quando dicebat: Notis respersae oves erunt tibi pro mercede, edebantur tales. Quando nigros aut albos fetus mihi tribuebat, nigri aut albi nascebantur. Ita vult significare, Deum sibi affuisse, et mirabiliter fraudibus et dolis Laban obstitisse.

Porro aliud argumentum avaritiae videtur Moses ostendere: nimirum, quod avarus Nabal tanquam singulari praerogativa, non pacti ratione, rapuerit ad se omnia pecora unius coloris, quacunque fetura edita: deinde etiam ex maculosis fetibus unam tantum speciem ei reliquerit. Si hac fetura multi enati sunt punctati, quos antea genero attribuerat, alia fetura punctatos sibi vendicavit, cum videret illorum magnum numerum editum. Sic assidua permutatione usus est, et in singulis feturis non amplius una specie discolorium ei dedit: reliquos omnes retinuit ipse. Singulari itaque virtute Dei opus fuit ad reprimendam infinitam cupiditatem Laban, quae omnem rapacitatem etiam Turcicam exsuperat.

Sic autem consolatus me est Deus, inquit Iacob,

ut mitteret Angelum, qui luctantem me et perturbatum ob insignem nequitiam soceri confirmaret, et diceret: Laban tibi imponit, cum nihil nisi circulatos fetus tibi relinquit. Sed Dominus tibi benedixit, ut omnes fetus in toto grege circulati nascantur. Item alio anno dixit: Obventura mihi punctata pecora. Ibi rursus Angelus consolatus est me, et dixit: Omnes pecudes punctis notatos fetus procreabunt, ut illa una species, quam solum relinquit tibi Laban, multitudine et numero superet reliquas, imo omnes fetus tales nascantur, quales ipse de una specie variorum tibi tribuit. Ac nisi hoc modo Deus paupertatem Iacob sublevasset, Laban nihil prorsus ei reliquum fecisset. Est enim iniquissima tyrannis, tantum unam speciem concedere ex toto grege contra pactum. Itaque rursus depingitur Laban horribilis et execrandus raptor, ac tyrannus contra filias, nepotes et generum.

Vocabulum בְּרֻדִּים supra nondum habuimus. Deducitur autem a verbo בָּרַד, grandino: ex qua etymologia facile potest intelligi significatio hujus vocis. Sicut enim נָקֹדִים una aut altera nota variegatum significat, sic בְּרֻדִּים pecudes parvis maculis adspersas, instar grandinis, quasi grandinatas, ut sic dicam, multis maculis, scheckicht. Sicut apud Virgilium capreoli describuntur: Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albi (Ecl. 2, 41.).

Exstat eadem vox Zachariae 6. (v. 2. 3.) in visione quadrigarum: „Equi enim in prima quadriga sunt rufi, rothe Pferd, Füchs, in altera nigri, in tertia לְבָנִים albi“, in quarta robusti equi et בְּרֻדִּים. In primo capite (v. 8.) alia appellatio est:

שׂרֻקּים a שׂרֵק, quod vitem laudatissimam significat, ein braun Weinreben, שׂרֻקּים sunt equi non rufi aut nigri, sed spadices, castanienbraun, quales uvae sunt in palmitibus; בְּרֻדִּים autem Germanice significat apfelgrau, Schimmel. Quia in clunibus eorum apparent tales maculae adspersae, quasi species pomorum aut speculorum.

Respondit vero Rahel et Lea, dicentes ad eum: Num pars aut haereditas adhuc nobis est in domo patris nostri? An non extraneae ab eo reputatae sumus? Vendidit enim nos, deinde comedendo comedit pecuniam nostram. Ideo Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis et filiis nostris, et nunc omne, quod dixit tibi Deus, fac.

Post querimoniam Iacob sequuntur querelae Rahelis et Leae. Pium enim et justum est, ut mater cura et sollicitudine liberorum suorum afficiatur, quia juxta mandatum divinum hoc est officium matris seu conjugis, ut maritum adjuvet in alendis et educandis liberis, in administranda re familiari. Miserabiliter autem queruntur hae duae uxores de crudelitate patris, quae jam matres sunt duodecim liberorum, et tamen spoliantur ab avaro et iniquo parente rebus necessariis ad alendam tam numerosam familiam. Forsan etiam panem et lac aegre suppeditavit, cum omnia, quae ipsi laboribus suis conquisiverant, ad se rapiat. Nec tamen occasionem, nec potestatem conquerendi de suis miseriis habuerunt. Non enim licuit quicquam inscio et invito parente facere aut dicere.

Dicunt igitur: „Numquid superest nobis adhuc

pars aut haereditas in domo patris"? quasi dicerent: Quid hic faciemus? habemus magnam familiam, duas ancillas et duodecim liberos. Pater autem nulla cura tangitur, quomodo his prospiciatur. Ne obolum quidem suppeditat. Ita nos tractat tanquam alienas, qui nihil residui in facultatibus et haereditate paterna habeamus. Videntur autem ista aliena a reverentia filiarum erga patrem; nimis enim dura et acerba haec est oratio. Sed ad quem pertinet pars et haereditas in domo? Nonne ad filias? Si non tota haereditas, tamen portionis alicujus spem habere debebant. Atqui sic se erga nos gerit, inquiunt, pater, ut ne sperare quidem, aut exspectare ab eo quicquam liceat. Quanto diutius hic vivimus, tanto durius et crudelius exercemur perpetua servitute, quae eo etiam est intolerabilior, quia nihil praemii reddit, sed insuper nostro labore partam pecuniam sibi vendicat et absumit. Nec solum spoliat nos portione et haereditate legitima, verum etiam vendidit nos veluti mancipia: nullam addidit dotem, sed a nobis exigit et rapit ea, quae comparsimus, quod famulabus et servis non solet accidere.

Sunt hae sane querelae miserabiles, et videntur tamen verba duriora, quam ut deceant filias. Non videntur honorare parentes, quando tam impia, horrenda et propemodum parricidialia de patre loquuntur. Mandat enim quartum praeceptum, ut honore afficiamus parentes, et ornemus eos et verbis et re ipsa. Quid posset autem dici atrocius, quam hoc, quod ipsae queruntur: Pater non agnoscit nos pro filiabus, non amat, nec agnoscit sobolem ex carne et visceribus suis natam? Non habet στοϱγὴν φυσικὴν, id est affectum illum et caritatem naturalem

parentum erga liberos, natura omnibus hominibus insitam, cujus exempla creberrime occurrunt in omni vita et in historiis omnium gentium. Quin de meretrice in historia Regum dicitur, litigante de filio coram Salomone (1 Regg. 3, 16.): „Concaluerunt viscera ejus super filio suo". Maluit enim carere fructu uteri sui, quam videre caedem filii. Hic ergo affectus maxime secundum naturam hominis est, quin etiam brutis est insitus, quae quo magis ferae sunt, hoc magis furunt affectu et amore catulorum: lupi, ursi, leones, porci pro catulis acerrime et saevissime dimicant. Tanta vis est naturae.

An non igitur horribile est, avaritiam non bestiam, sed hominem, qui est natura praestantissima, ita immutare, ut naturalis inclinationis et pietatis erga liberos prorsus obliviscatur. Nec potuisset acerbius exagitari hoc monstrum avaritiae in Laban, quam cum optimae matronae filiae queruntur, se natas esse ex hoc patre, et tamen pro filiabus non reputatas. Significatur enim, vinci et excuti avaritia naturalem στοργήν, et pietatem parentum erga prolem. Et clare hoc demonstrant, cum inquiunt: „Vendidit nos, et devoravit pecuniam nostram".

Id profecto pugnat cum natura. Naturale enim est, ut pater prospiciat de victu et amictu filiabus tanquam imbecilliori sexui. Nec de his tantum, sed et de dote, de haereditate et aliis necessariis. Quin aviculae et bestiae pulchre sequuntur naturam ducem, parant nidos, tutelam, victum pullis aut catulis suis. Hoc non facit Laban, sed filias pro alienis reputat, ut queri necesse habeant, ancillarum meliorem esse conditionem: quia debetur omni jure, divino et humano, ancillae merces laboris et victus. Nobis ni-

hil solvitur, inquiunt, sed habemur non ancillarum, sed extranearum loco, ac si ipse nobis non sit pater, neque nos simus ipsius filiae. Ibi sane posset cessare quartum praeceptum. Quid enim habet paternum Laban dignum honore? Bestia est et monstrum. Quomodo vero coles eum tanquam parentem, qui non vult esse pater, nec dignatur te habere pro filio, sed exuit omnem sensum et affectum paternum, ac in tyrannum degenerat?

Hanc vero tyrannidem tolerarunt optimae matronae totos viginti annos. Ego nunquam putassem, tantum furorem posse in naturam hominis cadere, nisi sacra historia id testaretur. Vendidit nos, inquiunt, hoc est, tradidit nos tibi pro labore tuo et omnibus bonis, quae a te parta sunt. Ac praeclare de nobis actum est Dei beneficio, quod talem emtorem invenimus, qui nos curet, alat et tueatur. Maledictum vero venditorem. Propter nos tibi serviendum fuit, mi Iacob, et ista omnia, quae quatuordecim annis durissimo labore acquisivisti, solvenda pro nobis. Si non invenissemus emtorem tam pium et beneficum, fame nobis fuisset pereundum, aut ipse pertaesus servitutem et egestatem, fugisset relictis nobis et socero.

Gravissimae certe et inauditae querelae sunt, quarum vix aliud simile invenias exemplum. Incredibile enim est, hominem ita immutari et degenerare, non in bestiam, sed in portentum et monstrum naturae. Hoc illud est, quod dicitur vulgo: Wenn ein Engel ein Teufel wird, so wird er gar bös: diabolum eo, quod ex praestantissima et Angelica natura degenerarit, factum esse corruptissimum et pessimum. Sic virgo pudica, postquam semel pudicitiam prostituit, nihil veretur amplius, sed perfricat

frontem ad quaslibet turpitudines. Sic ex Christiano si fiat Apostata, non erit alius infensior hostis ecclesiae et pietatis.

Ad eundem modum Laban postquam traditus est in avaritiam et cultum Mammonae, amisit sensum communem, non hominibus solum, sed et bestiis omnibus maxime proprium et naturae insitum. Ex parente factus est tyrannus et latro filiarum. Nihil enim nobis dedit, inquiunt, ne pilum quidem, ne buccellam panis, et mercedem, quam pactus est, decies mutavit. Quicquid habemus, quicquid sumus et vivimus, hoc totum emtori nostro debemus, qui suo labore nos alit ac sustentat. Imo, quod majus est et atrocius, „comedendo comedit pecuniam nostram". Maritus impendit pro nobis durissimam servitutem quatuordecim annorum; sed eo non fuit contentus, quin etiam nostrorum laborum fructum et pretium raperet atque absumeret. Quae nobis debebantur pro nostris et mariti laboribus, iis fruitur ipse, et in suos usus insumit.

Iam igitur quaere, an peccaverint hae filiae obtrectando et detrahendo patri suo. Ego sane non laudabo, sed libenter concedam, esse infirmitatem et impatientiam quandam, imo peccatum sanctorum; sed veniale et tolerabile. Quid enim boni possit dici de cane? Ego certe dicerem: Wie hündisch hält mich mein Vater, wie wölfisch etc. Pater meus non aliter ac canem me tractat. Non potest de illa canina rabie aliquid humani dici. Deinde apud alienos haec non sparserunt, sed in mariti sinum effundunt; apud eum sane sine peccato ipsis licuit de suis difficultatibus queri. Dolendum profecto est, patrem omnem humanitatem et amorem erga nos ita exuisse

ut non solum negligat nos, sed etiam parta laboribus nostris eripiat. Haec vitia nemo recte excusabit, ornabit, defendet, sed rectius taxabit et insectabitur, ut agnoscere et fugere alii turpissimum exemplum discant.

Etsi igitur fatebimur, hanc commemorationem de vitiis parentis esse infirmitatem quandam carnis et sexus imbecillioris, tamen vere dicendo Laban est canis. Et est exemplum, quod exsecrari omnes et fugere debent. Vicissim autem hanc suam moestitiam et miseriam solantur filiae Dei beneficentia, cui tribuunt hoc, quod sit auctor totius peculii et omnium bonorum, quae nunc possideant. Nisi Dominus nobis affuisset, inquiunt, non essent aliae miseriores mulieres in hac terra. Hoc beneficium Dei gratis animis agnoscunt et praedicant, quod Deus in tanta miseria et paupertate ipsas non reliquerit, sed cumulate compensarit, quod pater rapuerat. Laudandus est Deus, qui audivit gemitus nostros, et lacrymas numeravit, omnes opes, quas rapuit Deus patri nostro, jam nostrae sunt et filiorum nostrorum.

Ideo ad querimoniam Iacob de injuriis soceri et de consilio profectionis ferunt sententiam: Fac, quicquid Deus tibi mandavit. Quasi dicerent: Non est, quod verearis, te injuste haec bona possidere, et tecum auferre. Est ita, ut dixisti: rapuit Deus possessionem patris vestri, et dedit mihi. Sic idem verbum, quo supra usus est Iacob, repetunt, quasi dicant: Istae opes, quas Deus tibi per miraculum quoddam dedit, erant captivae sub manu mammonis et avaritiae patris. Ipse jure divino et humano nobis debuit, sed malignitate ejus factum est, ut hactenus neque tu, neque nos eas tenuerimus, quan-

quam tuis laboribus viginti annorum acquisitae essent: donec Deus venit et liberavit, sive eripuit rursus opes ab avaro et iniquo domino, nobisque attribuit.

Pulcherrime autem hoc exemplum congruit cum facto Israëlitarum, spoliantium Aegyptios. Dominus enim hoc mandabat. Sicut dicitur, Exodi 11. (v. 2. 3.): „Dices enim plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptiis, ut commodarent eis", et spoliaverunt Aegyptios, nimirum Domino eripiente et liberante velut captivas opes, argentum et aurum, ex Aegypto. Spoliaverunt eos non suis cupiditatibus, sed divina sententia et auctoritate, qui eripiebat et spoliabat Aegyptum mandando, ut mutuum acciperent, et discederent: quia, inquit, debent vobis mercedem pro laboribus vestris tot annorum. Vos gratis serviistis, et ipsi nihil retribuerunt. Igitur ego retribuo, et ab illis praereptum et retentum eripio, et vobis reddo tanquam debitum.

Estque haec imago omnium beneficiorum, quae confert Deus ecclesiae, ut alat et sustentet eam. Lazarus ad ostium divitis epulonis famem patitur. Sic ecclesia in mundo affligitur et eget. Pii pastores cum uxoribus et liberis esuriunt, aut si quid habent, tanta est hominum invidia et malitia, ut quo jure quaque injuria cupiant id eis eripere, et saepe etiam, cum possunt aliqua specie, ministros et reditus ecclesiasticos in parochiis expilant et rapiunt, ita ut vere hoc dici queat: Quicquid habet ecclesia, habet invito et repugnante per vim perque insidias et fraudem impediente Satana et mundo: est quasi spo-

lium, quod rapit Deus mundo, quia non sunt digni cives et rustici, ut habeant largas manus ad fovendum et alendum ministerium ecclesiarum et scholarum; sed quicquid bonorum conferunt, quasi ereptum spolium est divinitus ex faucibus luporum et unguibus leonum.

Videmus, quam indigne et contumeliose tractantur parochi a magistratibus et quaestoribus; quando queruntur de angustia et inopia rerum suarum, statim exprobrant eis avaritiam, die Pfaffen sind geizig. In aulis et civitatibus, si qui novas artes expilandi parochias et exagitandi sacerdotes excogitant, ob frugalitatem laudantur, et ad honores perveniunt tantum eo, quia vituperare ministros ecclesiae et premere possunt. Si admonentur locupletiores, ut juvent studia discentium; hoc opus, hic labor est, imo Periclea eloquentia opus erat, ut vel pauxillum emungas, quod tamen satis maligne praebetur, et cum stomacho et fastu magno. Recte igitur dixerimus, nos vivere ex rapto, sive de spoliis, quibus Deus spoliat mundum invitum et repugnantem, quia non sunt digni, qui conferant aliquid subsidii ad alendam pauperculam et afflictam ecclesiam.

Hoc quidem tempore quorundam principum liberalitatem experimur, qui libenter, quod possunt, suppeditant, sicut facit illustrissimus princeps Ioannes Fridericus, dux Saxoniae elector. Et tamen in hac et aliis ditionibus plurimae harpyiae sunt, praefecti nimirum et quaestores, quorum tanta invidia et malignitas est, ut ea, quae larga manu principis collata sunt ad sustentandos ministros ecclesiae, aegerrime ex ipsorum manibus extorquere possis. Ita simpliciter de spolio vivimus, non nostrae cupidita-

tis, sed divinae clementiae et liberalitatis, qui mirabiliter rapit ex manibus harpyiarum, ut conserventur ecclesiae et scholae, nec ministri earum fame et inedia pereant. Hae igitur sunt ereptiones et spolia divina, sicut hoc loco matronae istae de suis opibus dicunt.

Qui vero vult ditescere ex ministerio ecclesiae, non reprehendat aut insectetur vitia cum vulgi, tum magnatum et quaestorum, sed palpet et blandiatur eorum avaritiae, et dicat placentia. Sinceri autem doctores, bono et pio zelo servientes ecclesiae aut scholis, invisi et spreti sunt ab omnibus, neque unquam rem facient, quia Labanitae nec de suo, nec de alieno quicquam largiuntur.

Saepe unus aliquis Abimelech fovet Abrahamum aut Isaac, sicut supra audivimus; sed alii omnes, sunt hostes ecclesiae. Saepe etiam unum aut alterum bonum et pium quaestorem ditio aliqua habet, reliqui autem sunt Labanitae, quibus videntur indigni parochi et ministri, qui unam saltem horam vivant, aut unam buccellam panis comedant. Nec dissimulant illi sua judicia, sed aperte dicunt: subulco aut upilione aut lictore pagos et civitates non posse carere, parocho aut ludimagistro nihil opus esse. Itaque duriter exercentur hoc tempore multi boni viri ab harpyiis istis; saepe enim non sine magno labore extorquent stipendia sua ab iis, qui praesunt reditibus ecclesiasticis, cum de eo etiam maligne praebeant, quod ipsi non contribuerunt. Discamus igitur has injurias et invidiam aequo animo tolerare, et agnoscamus mirabilem Dei gubernationem, qui pascit et alit nos sicut Iacob apud Laban servientem. Non nunquam etiam unum aliquem

pium quaestorem aut praefectum dat, qui aliquid boni facit, reliquis omnibus invidentibus et reluctantibus.

Sic igitur recitat Moses, quomodo duae conjuges sententiam Iacob de erepto peculio, avaro socero, et factum ipsum probaverint, et hortatae sint maritum, ut pergeret. Fac, inquiunt, secundum omnia, quae Deus dixit tibi. Id quoque singulari Dei benignitate ad consolationem Iacob factum est, quod habuit consensum carissimarum conjugum, quae nihil aliud praesidii praeter unicum maritum reliquum habebant, et ita a patre tractatae fuerant, ut nihil magis exoptarent, quam domo patria excedere. Congruunt voluntates et affectus adversus crudelem patrem, ac gratulantur sibi, quod offeratur occasio discedendi. Mi Iacob, dixerunt, vidimus jam diu miseram servitutem tuam, ac optavimus, ut multo ante nos abduceres. Sumus enim certae, quod Deus tecum sit, et ea, quae dixisti, Dei verba sunt et jussa. Sequere igitur, quam primum potes, jubentem Deum.

Est autem, ut antea dixi, admodum periculosa res, exire domo soceri, et abducere conjuges cum filiis et gregibus invito tyranno. Neque sane unquam fuisset ausus Iacob, hoc facere, nisi habuisset verbum: quanquam antea etiam contulit forsan consilia cum uxoribus, quomodo possent liberari ex hac captivitate et carcere. Cum enim videret, toties mutari pactum a Laban, venit ei in mentem vereri, ne aliquanto post causam aut fallaciam inveniret, qua toto peculio suo se ipsum spoliaret. Sicut significabit infra Iacob, cum ait: „Nudum dimisisses me“. Nam ut solent lividi et avari, ita haud dubie saepe

ecum reputatus est Laban: En video, istum ditescere et augeri me invito, et occulto quodam et mirabili modo. Fingendum est aliquid, quo redigam um in pristinam servitutem, et hos greges mihi endicem.

Propter hanc infinitam cupiditatem spoliandi non ine magno periculo molitur discessum ex carcere ioc, praesertim vero cum tanta familia et tot impeimentis, quae secum trahit. Sed audet in nomine)omini, et conjuges consentiunt propter verbum.)ominus enim dixit: Vidi, quibus injuriis affecerit e Laban, collegi autem omnes lacrymas tuas in trem. Ideo me jubente et protegente discede.

Hac consolatione tuto potuit niti et confidere: uod alioqui consilio aut judicio humano difficile et ericulosum erat, quia cum insequeretur eum Laan, non solum auferre omnes facultates, sed etiam oenas ab eo exigere potuisset propter filias furtim bductas. Sed mandatum divinum perrumpit omia, et facit, ut sequantur eum conjuges summa voıntate cum omnibus impedimentis. Postea vero freıet et persequetur eum Laban septem diebus, sed rustra. Iacob aufert secum spolia divina. Ideo disessus et tota profectio bona et sancta est.

urrexit autem Iacob, et imposuit filios uos et uxores suas camelis. Eduxitque mnes greges suos et omnes facultates uas, quas in Mesopotamia acquisierat, t veniret ad Isaac, patrem suum, in terram Canaan.

Rursus confirmat textus, vere divinum illud spoum fuisse, et pretium debitum laboribus Iacob.

Non enim vocat spolium, furtum aut rapinam, sed appellat facultates sive possessiones, vestes, aurum, argentum, greges. Haec omnia tua sunt, dixerunt conjuges, est spolium divinitus tibi traditum, quod eripis ex faucibus avarissimi Cerberi in modum furti et rapinae, quanquam est tua substantia.

Addit autem textus: ut veniret ad patrem, quasi dicat: Non meditabatur fugam velut plagiarius, fur aut latro; sed justam profectionem suscipiebat ad patrem Isaac, ubi possit tutius vivere, et omnibus sive Laban, sive aliis, qui velint eum in jus trahere, et accusare furti, rationem reddere suae profectionis et facultatum suarum, si quidem injustum videbatur clam discedere, et invito Laban omne peculium suum abducere.

Sic nos quoque bona conscientia frui spoliis mundi possumus, quanquam cibum ex unguibus harpyiarum, mundi et Diaboli eripere nos oportet. Ipsi enim oderunt nos, et negant, se habere opus parochis et ministris. At Deus e contra dicit: Ego opus habeo ecclesia, et vos estis ministri mei. Tolerate igitur injurias et tyrannidem propter me. Ego curabo, ut distribuam aliqua spolia inter vos, dabo bonum principem, qui praebeat hospitium. Non dabo vobis orbem terrarum, sicut Turcae dedi, item Epicureis et usurariis, quibus oportet me objicere opes mundi, et saginare eos ad aeternum ignem. Vobis autem dabo portiunculam, quae erit sicut spolium. Et si vobis magna molestia et labore constiterit, cogitate, me mundo eripuisse, sicut facultates Iacob et spolia Aegyptiorum.

Laban autem abierat ad tondendas oves suas.

Diligenter hoc observandum est, quod Iacob non tentat Deum, sed captat occasionem commodam, ut declinet offensiones, quas potest effugere. Non enim accersenda, sed vitanda sunt pericula. Et quanquam habemus verbum Dei, quo tuto possumus et debemus niti, tamen per se solum ingentibus et plurimis periculis nos onerat; ideo non sunt alia non necessaria accersenda. Nec debemus otiosi et securi stertere, sed utendum est prudentia et industria naturali, consiliis item et auxiliis humanis, ne videamur tentare Deum.

Iacob potuisset dicere: Habeo verbum et mandatum Dei. Excedam igitur hac domo, et nihil morabor furorem et indignationem Laban, sed ipso vidente et furente relinquam domum ejus, et abducam filias cum universo peculio. Haec esset temeritas et praesumtio non necessaria, et tentatio Dei. Si igitur verbum habes, bene facis, quando ei obtemperas. Sic vero te compara, ut utaris his, quae ad manum sunt, juxta verbum. Sic enim Iacob habet mandatum de egressu ex terra ista et reditu in patriam, habet et promissionem de protectione divina, quod non debeat timere, quantumvis pericula et variae difficultates, de quibus infra, objicerentur. Tamen exspectat occasionem et tempus, quo Laban domo abest itinere trium dierum ad tonsuram ovium. Et sic ratiocinatus est: Hoc triduo non poterit me assequi, neque resciscere facile, me abivisse. Interea ego tantum spatium itineris confecero, ut non possit primo aut secundo die ad nos pertingere, et aliquam turbam dare. Sic pulcherrimam occasionem

captavit. Iacob singulari prudentia et consilio. Ideo enim dedit Deus rationem et omnes creaturas omniaque bona temporalia, ut serviant nostris usibus. Qui volet peregrinari, illi opus erit viatico, unde victum et hospitia possit sibi comparare; stultissime autem egerit, si cogitabit, sibi non opus esse pecunia aut alimentis, divina providentia undecunque sibi omnia oblata iri. Atqui propterea condidit Deus omnia ad hanc vitam necessaria, non ut immediate ab eo exspectes, sed ut iis, quae ad manum sunt, fruaris, et eo ordine, quem praescripsit ipse. Nequaquam igitur contemnendus est usus et ministerium creaturarum, si quidem eas condidit Deus, ut nobis inserviant.

Et furata est Rahel idola patris sui.

Hoc aliud scelus est. Rahel furatur patri תְּרָפִים. Ac vide, quaeso, ingenium mulieris. Sic enim ratiocinata est: Omnia, quae possidemus, vi ablata et retenta fuerunt a patre: jam vero a Deo tanquam spolium erepta ipsi et nobis tradita sunt. Ergo licet illa omnia auferre, quae nobis etiamnum debet. Mihi vero tanquam legitimae sponsae debuisset dare ornamentum aliquod aureum aut argenteum: sed quia non dedit, ideo surripiam ego, quod ipsum sua sponte et omni jure largiri oportuit.

Primum igitur contra quartum praeceptum gravissime peccarunt sanctissimae mulieres et Iacob, accusando patrem ac socerum de neglecto officio pietatis erga filias, quod admodum durum est, et Moses videtur quodam modo secum ipse pugnare, si quidem honorandos esse parentes dicit, tolerandos item eorum mores et infirmitatem in quarto praecepto.

cepto. Sed hoc loco recitat exemplum Patriarchae Iacob et filiarum plane contrarium, quae omnis reverentiae erga parentem oblitae videntur, dum adeo duras et malignas erga eum sese praebent vehementi et atroci accusatione.

Alterum peccatum est, quod furatur Rahel תְּרָפִים patris. Spiritus sanctus enim non abhorret a vocabulo furandi; sed clare dicit, quod Rahel, sanctissima mulier et viri sanctissimi conjunx, credens verbo Dei, et secundum illud hortans maritum ad discessum, furata sit תְּרָפִים. Non simpliciter dicit: abstulit, amovit, sed furata est, contra septimum praeceptum: „Non furtum facies". Si autem non licet furari proximo aut alieno, quanto minus parenti? Et furatur hoc, quod pater habebat pretiosissimum et carissimum domi suae, nimirum Deos, quos colebat.

Etsi vero antea dictum est, in omnibus sanctis plurimum infirmitatis haerere, quas non libenter excuso, tamen et hoc addendum est, quod pater Rahelis desiit esse pater omni genere crudelitatis et tyrannidis. Habuit enim filias pro extraneis, et generum toties decepit, imo cogitavit de retinendo et genero, et filiabus in perpetua servitute. Iustissimam igitur causam habuit Rahel jure civili et naturali rapiendi תְּרָפִים, sicut supra de Iacob etiam dictum est. Accedit autem et prima tabula, quae facit gradus mandatorum Dei et obedientiae, juxta sententiam Christi (Matth. 10, 37.): „Qui amat patrem et matrem plus, quam me, non est me dignus". Itaque non solum jure secundae tabulae justi sunt Iacob et Rahel, sed etiam primae. Quando enim obediendum est Deo in secunda tabula, tum cessat obedientia pa-

rentum et omnium praeceptorum obligatio. Multo magis vero, quando proceditur de jure primae tabulae, hoc est, quando Deus novo verbo aliquid jubet. Sicut sanctissimi homines habuerunt verbum Dei prolatum per Angelum; et Rahel et Lea eo nituntur, quando inquiunt: „Omnes opes, quas Deus eripuit a patre nostro, sunt nostrae et filiorum nostrorum“. Item: „Fac secundum verbum, quod dixit tibi Deus, cum per Angelum testaretur se conscium eorum omnium, quae fecit tibi Laban“.

Dicit autem Moses in benedictione Levi, Deut. 33. (v. 9.): „Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos etc. hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt“, hoc est, qui vult servire Deo, non debet obedire praecepto decalogi de honorandis parentibus. Quid hoc? Cur igitur tulit hanc legem Moses, si alio loco sancit contrarium? Nam haec ex diametro pugnant, et sunt verissimae ἀντιλογίαι. Respondeo: Quando prima tabula praecipit de cultu et obedientia Dei, tum secunda debet cedere, et dicendum est patri et matri: Nescio vos, non obedio etc. Clamant ergo, hac ratione dissolvi obedientiam politicam et oeconomicam, ac propterea evangelium tam male audit, et appellatur seditiosa doctrina, sicut ostendit titulus crucis Christi: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum, hoc est, seditiosus rex. Et eodem modo doctrina quoque de hoc rege seditiosa dicitur, contra secundam tabulam, quia negat, obediendum magistratui et parentibus, imo jubet de iis male loqui. Sicut Rahel de patre dicit: Est inimicus et hostis noster etc. Quid possit dici magis *seditiosum*? An non enim obediam magistratui, pa-

rentibus?' etc. Quae inde orietur dissipatio et confusio omnium rerum?

Respondeo: Est sane obedientia illa praestanda, quam praecipit Deus in secunda tabula; sed faciendi sunt gradus obedientiae, quorum accurata ratio est habenda. Si enim pugnant inter se prima et secunda tabula, tum simplex et vera ratio est, qua jubetur secunda cedere primae, quia Deus est creator, caput et dominus patris et matris, politiae et oeconomiae. Omnia haec debent esse subjecta creatori. Et quando quaeritur, utrum horum sit deserendum, creatorne an creatura? respondeo: Creatura est relinquenda, quia prima tabula praecedit; cui si est satisfactum, tum etiam secunda suum locum habet, tum obedias parentibus, feras et patiaris injurias eorum: sed pro me, inquit Deus, non contra me et contra primam tabulam.

Simplex ergo et plana responsio est de furto Rahelis: quod prima tabula deroget secundae. Recte in secunda praecipitur: Non occidas. Sed si prima jubet occidere, cedit mandatum secundae. Sic irritum fit septimum praeceptum de non furando, quando Deus jubet, ut tollas ea, quae sunt patris tui. Sic octavum prohibet maledicendi et obtrectandi studium, praecipue vero erga parentes, sed salva prima tabula. Ea enim jubente debes odisse et increpare parentes, sicut Rahel facit.

Haec distinctio necessaria et utilis admodum est. Saepe autem accidit, ut Haeretici ea abutantur, et jactitent, se habere primam tabulam, et hoc praetextu aboleant secundam. Ibi accurato judicio opus est. Sic enim Pontifex etiam jactitat, se habere primam tabulam, et ratiocinatur inde, quod nemo te-

neatur obedire magistratui, sed debeant omnes obedientiam Romanae sedi, cui etiam imperatores et reges necessario sint subjecti. Sed vide, an recte doceat primam tabulam, et quamobrem solvat secundam. Nam de monachatu dixerunt, esse currendum ad Christum, neglectis et spretis parentibus, esse audiendos spirituales patres; sicut exstat vox Hieronymi: Si occurrerint tibi pater et mater ingressuro monasterium, et monstraverint ubera, et lacrymis suis te voluerint retrahere, contemne lacrymas, et conculca pedibus parentes, nudusque fuge ad crucem Christi.

Impia haec et Diabolica vox est, quia abusi sunt sana doctrina ad stabiliendum Monachatum et doctrinas Daemoniorum. Res ipsa et doctrina est verissima; sed vide, ut sis bonus dialecticus, et recte distinguas inter primam et secundam tabulam. Videas item, an Monachatus vere sit res divina, aut causa Dei, ob quam solvenda sit secunda tabula. Si est res aut causa Dei, tum recte dicitur: Conculca ubera matris, contemne lacrymas. Sin minus, memineris, tibi praestandam esse obedientiam cum omni reverentia, toleranda item esse eorum vitia et infirmitates, dummodo non pugnent contra primam tabulam. Sic Rahel pro se habuit primam tabulam, quia est vocata verbo Dei, ut egrederetur ex domo patris. Et pater non solum contra secundam tabulam peccat, sed et in primam, quia est idolatra. Omnia, quae egit hactenus, non solum infinita cupiditate et avaritia egit, verum etiam idolatria peccavit, quae duo omnium gravissima peccata sunt. Quanquam enim avaritia per se est idolatria, tamen accessit cultus idolorum, sive תְּרָפִים.

Rahel igitur prudenter sic collegit (fuit enim

mulier quinquaginta annorum circiter): Ego vocor secundum primam et secundam tabulam, ut egrediar, itaque habeo verbum Dei. Et pater contra utramque graviter peccat, quia est idolatra et est avarus. Adhuc enim ne obolum mihi dedit de iis, quae omni jure humano et divino debuit largiri. Debet igitur mihi mercedem et munera etiam jure secundae tabulae, non primae tantum, quia sum filia. Furabor igitur aliquid, et quidem tale, quod afferet impedimentum idolatriae ejus, surripiam תְרָפִים. Nimis enim tenax et sordidus est, ut non facile alias imagines conflaturus sit. Atque ita in prima tabula recte faciam rapiendo idola et evertendis falsis cultibus, et in secunda tabula mihi prospiciam auferendo, quod mihi omni jure debebatur: et tamen vocat scriptura sancta furtum. Sicut Christus nominat odium patris et matris (Luc. 14, 26.): „Qui non oderit patrem aut matrem, aut animam suam" etc. quod est prohibitum in lege, cum quidem non sit odium.

In secunda tabula recte sic dicitur: Non debes nec alium, nec te ipsum odisse, aut occidere. Sed in prima mandat Deus: Iubeo, ut animam tuam odio habeas contra praeceptum secundae tabulae, ubi praecepi, ut te diligas. Sic caedes est prohibita in quinto praecepto, sed Deus jubet magistratum uti gladio in prima tabula: „Mihi vindictam et ego retribuam" (Rom. 12, 19.). Magistratus ergo occidit non virtute secundae, sed primae tabulae, neque est caedes injusta, quanquam revera est homicidium. Ita hic furtum seu spolium dicitur, quod ad Laban et secundam tabulam attinet; sed in prima est justum et licitum opus, ac praemium ipsi debitum. Et tamen vocatur furtum, quia Laban pro furto habet

Nec possumus nos appellationem mutare, quia scriptura sancta sic loquitur. Sic spolium Aegyptiorum in secunda tabula et quoad Aegyptios est spolium; sed in prima est debitum. Rahel igitur non est furata, sed clam debitam sibi mercedem recepit.

Caeterum opus est diligenti distinctione et dialectica accurata, ne confundamus haec, aut sicut Papa et fanatici faciunt, abutamur hac distinctione. Ipsi enim magno periculo ecclesiae et rerumpublicarum sibi arrogant primam tabulam, quanquam contemnunt eam, et conculcant revera; sed volunt ea frui, ut praetextu ejus omnia praecepta, et jura obedientiae, magistratuum pariter et parentum, solvant. Papa clamitat: Ego sum doctor et caput ecclesiae: igitur mihi obsequendum est. Ego sum in prima tabula, ergo solvo omnia, quae sunt secundae. Sed ibi accurato judicio opus est, ut recte accommodetur distinctio, et exigantur mandata ac doctrina Papae ad veram sententiam praeceptorum primae tabulae. Nam et ego doceo, principem nostrum non debere obedire Caesari, et absolvo eum ab obedientia non tantum Papae, sed et totius imperii et Caesaris. Sed quo jure? Ibi enim videndum mihi est, ut recte definiam et distinguam obedientiam. Hoc jure, quia Caesar et Papa jubent et mandant contra primam tabulam. Igitur nec princeps, nec populus tenetur obedire mandatis contra Dei obedientiam. Papa etiam absolvit ab obedientia Caesaris, et saepe imperatores regnis et imperio amovit. Quare? Quia mihi non obediunt, inquit. Ego sedeo in prima tabula. Sed est hypocrita male intelligens et depravans doctrinam primae tabulae, et falso sibi arrogans, quod non habet. Nos vero recte absolvimus,

quia Caesar et Papa non amplectuntur verbum Dei; sed praecipiunt ea, quae ex diametro cum verbo pugnant. Ideo docemus, obedientiam illam detestandam esse. Discendum autem est, ut recte distinguamus inter verbum Dei, quo immediate colitur Deus, et inter obedientiam humanam, qualis est parentum, praeceptorum, dominorum, magistratuum. Hae enim sunt creaturae, ecclesia vero non habet alium doctorem, nisi Deum: igitur nec aliam obedientiam. Quando igitur creator immediate dicit: Hoc mihi praestabis, mihi soli obedies, me pro Deo habebis, crede in Christum; hunc audi, ibi nemo alius audiendus est. Ubi hoc audieris, tum demum descende ad obedientiam creaturarum, et obedias parentibus et magistratui, quae cessant, ubi cultus creatori praestandus est; manent autem firma et integra, postquam satisfactum est creatori.

Ad hunc modum spolium aut furtum Rahelis in secunda tabula nomen illud retinet; sed in prima est retributio laborum justissima. Et tamen est eadem res. Vindicta magistratus in secunda est caedes, in prima est justitia. In secunda est rebellio, inobedientia et maledicentia adversus parentes: in prima est reverentia et cultus. Hoc discrimen tradit dialectica Spiritus sancti. Id vero diligenter attendendum est, ut vere habeamus verbum Dei, non traditiones hominum specie et praetextu verbi, sicut Papa toti orbi imposuit, et suae tyrannidi imperium mundi obnoxium habuit.

In eo itaque omnia posita sunt, ut habeamus praedicatores sive doctores et scholasticos, qui haec discant. Et orandus erit Deus, ut det tales pastores, sicut hactenus dedit, qui hoc discrimen clare

tradant, et luce verbi regant. Quid enim est mundus, si caret hac luce coelesti et spirituali, quam habemus ex theologia? Iurisconsultorum et medicorum doctrina habet suum locum, et est optima et necessaria et quaestuosissima. Sed si his studiis omnes fuerint addicti, ubi manebit lux illa coelestis, cum defuerint studiosi et auditores theologiae? Quid prosunt aurum, argentum, bona valetudo, imo tota haec vita, hac lucerna verbi extincta? Atqui a paucis jam fovetur, cum quidem plurimorum diligentia et studio opus esset, et difficulter retineatur; odit enim eam Diabolus et mundus: sicut Iacob est stella, quae luxit in domo Laban, cognitione et studio verbi, sed videmus, quomodo is tractetur a Laban. Et tamen totus mundus est in tenebris et horribili caecitate sine hac lucerna. Quid est Papa, quid Turca sine hac luce? Sint sane opulenti, sapientes et potentes: sed quia destituuntur lumine vitae, sunt infelicissimi.

Studeamus igitur et diligenter exerceamur in theologia, ut servemus scholas et parochias, qui est summus cultus Dei in toto orbe terrarum: Obs übel zugehet, ob wir stehlen müssen, furemur in nomine Domini. Et si spoliando praemia nobis debita, imo victum et necessaria ad hanc vitam eripere ingrato mundo necesse est, tamen sunt spolia et liberationes earum rerum, quae ad nos pertinent. Lafs das ander den Laban und Nabal fressen, lafs ihn ein guts Iahr haben. Nos vivimus spoliis, quae tamen non sunt spolia in prima tabula: quanquam cives et rustici judicant, se nobis tanquam furibus et praedonibus ea largiri. Sed haec judicia non curemus, quin potius eo acquiescamus, quod ait Paulus,

Phil. 2. (v. 15.): „Sitis sine querela et sinceri filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes". Ac quilibet suo loco studeat provehere doctrinam et studia verbi propter suam salutem et gloriam Dei, ac boni consulat spolia ista satis tenuia, unde vult nos Deus sustentari in hac vita. Deleta enim luce verbi rursus omnia horribilibus tenebris, Turcicis et Papisticis, aut aliorum Haereticorum involventur.

Haec de furto תְּרָפִים, quae optima mulier Rahel rapuit tanquam pretium aliquod servitutis aut loco haereditatis debitae. Nulla enim prorsus spes erat, quod aliquam portiunculam saltem de facultatibus paternis habitura esset cum bona gratia patris. Ne itaque vacua et expers totius haereditatis domo patria excederet, aufert secum idola aurea, quia Laban nihil humani amplius habebat, sed erat bellua rapacissima, qui injustissime generum et filias spoliaverat. Non igitur injustum erat, ut vicissim spoliaretur a justis possessoribus et haeredibus. Fecit autem Rahel clam marito Iacob: sicut infra patebit: qui fortassis vix permisisset hoc fieri, si scivisset. Sed audet ipsa confisa verbo et meritis suis erga parentem, cui servierat quatuordecim annis jam maritata, quamobrem aequum erat, eam liberaliter remunerari.

Porro de quaestione grammatica, quae hoc loco agitatur, aliquid dicendum est. Primus enim hic locus est, quo ponitur vox ista תְּרָפִים. Ac certum est, quod significet idola, quia Laban fuit idolatra. Mira autem res est, quod Iacob, vir sanctissimus, cum uxoribus sanctis et tota sua ecclesia versatus est in domo idolatrica. Fuerunt igitur in ea domo si-

mul Deus et Diabolus, filii Dei et filii Diaboli: quod saepe solet accidere. Et totus mundus etiamnum constat ex filiis Dei et Diaboli, sicut erant in domo Adae conjuncti Cain et Habel, in domo Abrahae Ismaël et Isaac, in domo Isaac Esau et Iacob, et sic ad finem usque mundi adjuncta erit falsa ecclesia verae ecclesiae, falsi fratres piis et sinceris fratribus. Nos hodie sincere et fideliter docemus evangelium, sed habemus admixtos usurarios, Papistas, Haereticos et sectarios, quia manent perpetuo zizania mixta tritico; non potest aliter fieri in mundo. Iacob eo tempore sincere tradidit doctrinam coelestem et promissiones de Messia; hanc uxores et familia amplexae sunt, et credibile est, aliquos etiam ab idolatria conversos ad verum cultum Dei; sed fuit ecclesia Iacob in domo impia et idolatrica.

De vocabulo autem תְּרָפִים Iudaei multa nugantur, quae paucis perstringemus, ne videamur eorum deliria ignorasse. Lyra sic describit תְּרָפִים, quod fuerit caput alicujus pueri primogeniti interfecti, et sacrificati Daemoni, conditum sale et aromatibus, ne putresceret, quod sub lingua habuit laminam auream, in qua scriptum fuit nomen Daemonis, a quo petita sunt responsa et oracula. Eadem interpretatione utitur, Iudicum 17. (v. 3.) de Micha. Ego vero nihil istorum credo. Est enim תְּרָפִים usitata vox in sacris literis, et ex aliis locis sumenda est interpretatio, ut in historia Regum (1 Sam. 19, 13.) de Michol, quae posuit in lectum loco David תְּרָפִים, ein Bild, addito capillitio, ut effingeret imaginem hominis decumbentis et aegrotantis in lecto. Ibi non potest accipi pro capite pueri, sed fuit simulacrum hominis collocati in lecto pro Davide.

Item, Hoseae 3. (v. 4.) dicitur: „Sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine אֵפוֹד et sine תְרָפִים. Ibi non videtur convenire, si reddas תְרָפִים idola, ac si populus Dei habuisset idola. Sed quicquid est, meo judicio et secundum grammaticam videtur significare generaliter similitudinem vel imaginem cultus divini, sive veri, sive falsi. Laban habuit imagines idolatricas. Hoseas autem videtur complexus omnes figuras cultus divini, videlicet tabernaculum, mensam, velum, candelabrum, panes propositionis etc., quibus omnibus caruerunt in exsilio et captivitate. Sicut igitur gentes sua idola hoc nomine appellant, ita Hoseas accommodat ad suppellectilem tabernaculi: quia non est consentaneum, hanc poenam intelligi a Propheta, quod sederint sine idolis; sed vult, intelligi suppellectilem sanctam, qualem antea diximus, ita ut significet generaliter imaginem quandam cultus externi in signis et figuris.

Statuam autem, quam ponit Michol in locum Davidis in lectum, puto fuisse aliquod simulacrum, ex reliquiis superstitionis et idolatriae alicubi reservatum: sicut apud nos multae statuae reliquae sunt, quae servantur alicubi in memoriam veteris idolomaniae, alicubi ad spectacula et lusus pueriles, non ad cultum. Ejusmodi idola tempore Davidis in angulis aedium delituerunt. Michol autem subito, cum nihil aliud prae manibus esset, arripuit statuam, et in locum Davidis collocavit. Manserunt enim haud dubie illo etiam tempore multa vestigia superstitionum et idolatriae ex regno et religione Iebusaeorum, et clamores, quae non potuerunt prorsus aboleri: sicut testantur anxiae querelae multorum Psalmorum.

in quibus magno dolore orat et pugnat adversus idolatriam David. Et de Lachide civitate dicit Michas (1, 13.), quod fuerit principium peccati filiae Sion, et inventae sint in ea transgressiones Israël, adeo ut etiam in populo Dei nunquam potuerint prorsus deleri idola. Quin etiam Mose aetatem vide in deserto. De ea enim inquit Amos (5, 25. 26.), et Stephanus in Actis (7, 42. 43.): „Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël? Imo portastis Sicchut, regem vestrum, et Chium, idolum vestrum" etc. Id de populo sub Mose dici profecto mirabile est. Contra vero Balaam inquit, Numeri 23. (v. 23.): „Non est augurium in Iacob, nec divinatio in Israël". Sed dicitur id per synecdochen usitatam in scriptura. Semper enim seges ecclesiae mixta fuit zizaniis. Sufficit autem, quod tempore Davidis regnum et ministerium fuit purum, et ita constitutum utrunque, ne quid impium vel idolatricum doceretur aut juberetur. Sic in deserto sub Mose doctrina fuit pura, magistratus sanctus et nihil nisi sancta ordinans, absque ulla impietate aut idolatria, adeo ut recte dixerit Balaam: „Non est augurium in Israël". Item (Num. 24, 5.): „Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israël". Fuisse autem reliquias et vestigia quaedam idolomaniae apud quosdam, non est dubium.

Ad eundem modum quando pastor ecclesiae nostrae recte docet, et pugnat contra idolatriam, reprehendit item vitia hominum, ibi vere possum dicere: Non est idolum aut impietas Witebergae. Est igitur ecclesia sancta, quia ministerium est purum, neque magistratus politicus imperat aut defendit ido-

latrica: quemadmodum dux Georgius in sua ditione jubebat servari religionem Pontificiam, et habebat morigeros pastores. Ibi non erat vera et pura ecclesia; sed ubi est ecclesia, in qua sincere traditur doctrina coelestis, et magistratus non impugnat sanam doctrinam, ibi sunt pura et speciosa tabernacula Iacob. Corpus est per se sanum, firmum et validum; sed non caret sordibus, sanie, ulceribus, sputo et excrementis. Et tamen dicitur sanum per synecdochen. Ad eundem modum manent in mundo, imo in ecclesia et domo Iacob תְּרָפִים usque ad finem. Haec de significatione vocabuli.

Disputant porro de etymologia. Quidam enim a רָפָא cum א deducunt: quidam a רָפָה cum ה. Illud mederi aut sanare significat, unde רְפָאִים gigantes, medici, quasi dicas salutares aut salvatores, hoc est, deos. Hoc vero cessare, vacare. Et ab eo mihi rectius derivari videtur תְּרָפִים a vacando, et alluditur ad sabbatismum, sive ad cultum, quod fuerit eis vacandum, serviendum et sabbatum agendum: sicut Psalm. 46. (v. 11.) dicitur: „Vacate et videte", id est, mihi auscultate, desinite a vestris studiis, lafst ab, lafst mich machen. Sic idola illa habuerunt sua sabbata et cultus, a quo cultu dicta sunt תְּרָפִים, dafs man ihnen hat feiren müssen.

Et Iacob furatus est cor Laban Syri, eo, quod non indicavit illi, quod fugeret.

Hoc aliud crimen est, et longe gravius furtum, quam Rahelis. Non enim idola aut facultates Laban surripit Iacob, sed cor. Est autem idiotismus Hebraeae linguae, furari cor, pro frustrari et fallere

spem conceptam, consiliaque omnia irrita et inania facere, sine ulla spe potiendi iis, quae animo agitaveras. Sic enim secum collegit Laban: En habeo generum cum filiabus cumque nepotibus et ancillis; eorum opera ego pulchre ditescam. Sunt enim mihi obnoxii omni jure, ut augeant meam rem familiarem. Est et perspecta eorum fides. Iacob enim bonus est et candidus, non faciet mihi injuriam, nec facile me invito et inscio mutabit conditionem, nec tuto id facere poterit. Sin aliquid surripuerit aut damnum dederit, tum demum causam invenero, quamobrem detineam eos perpetua servitute mihi devinctos.

Hae sunt amplissimae spes et cogitationes Laban, consilia astutissima et ipsius judicio certissima. Sed uno momento subito confunduntur et evanescunt. Hoc vocat scriptura sancta: furari cor, hoc est, irritam facere spem, quantumvis certam et indubitatam, atque ipso quidem ignorante. Nihil enim tale metuit Laban; sed sine ulla dubitatione sibi promittit, quod sit mansurus Iacob, quodque nihil minus queat moliri, quam discessum. Et tamen furtim se subducit Iacob, non sine magno damno et indignatione Laban. Hinc autem longam seriem et catalogum maximorum scelerum texet Laban, sicut infra audiemus.

Fugit itaque ipse et omnia, quae illius erant, surrexitque et trajecit fluvium, ponens faciem suam versus montem Gilead.

Diligenter notandum est, quod scriptura sancta omnes actiones Iacob appellat nominibus vitiorum et summorum criminum. Antea dixit, furatum esse *Iacob cor* Laban Syri. Hic dicit, eum fugisse inscio

et invito socero, auferentem substantiam, et fallentem omnem exspectationem de perpetua servitute. Haec omnia scelerum appellatione nuncupantur: sicut paulo post rhetorice ea amplificabit Laban; perinde ut Christus vocat odium matris, patris sui ipsius, quod est nomen vitii, cum sit summa virtus. Ita revera hoc factum non est furtum, sed loquitur scriptura sancta more hominum, qui sic usitate judicant de ejusmodi factis. In auribus Laban est furtum et fuga; sed divino jure et justitia pro pretio et mercede summo jure debita aestimatur. Sicut odio habens patrem et matrem propter Christum non odit, sed diligit, et qui se ipsum abnegat, et perdit vitam suam, invenit eam.

Fluvius vero, cujus hic fit mentio, Euphrates est, dividens Mesopotamiam a terra promissionis. Eo usque igitur pervenit Iacob, ut jam trajiciat Euphraten in magna spe constitutus, quod Laban non possit se et familiam amplius assequi. Sed avaritia est inquietum, indefessum, rapidissimum et vivacissimum monstrum, quod non patitur Laban acquiescere. Postquam vero trajecit fluvium, tendit porro ad montem Gilead.

Nuntiatum est Laban die tertio, quod fugeret Iacob. Et accipiens fratres suos secum persecutus est illum itinere septem dierum, et comprehendit eum in monte Gilead. Venitque Deus ad Laban Syrum noctu in somnis, et dixit ad eum: Cave, ne quicquam aspere loquaris cum Iacob.

Moses hoc loco persecutionem Laban obiter tan-

tum perstringit, copiosius postea eam tractaturus. Furit enim Laban et aestuat ira, ac colligit animo cumulum maximorum flagitiorum et scelerum Iacob. Nunc apparet, cogitat, qui vir sit: nunc captum et proprio scelere irretitum habeo. Iustissima enim haec causa est, quamobrem eum cum omnibus facultatibus et tota familia retraham, et juramento fidem ejus mihi adstringam in perpetuam servitutem. Est enim raptor, fur, plagiarius, abigeus, sacrilegus, parricida, quorum singula aeterno carcere et cruciatu digna sunt.

Ita ardet iracundia Laban, et fingit sibi justissimas causas exigendi poenas a nebulone isto omnium sceleratissimo. Ac sane saeviisset in optimum virum crudelissime, si ei licuisset furori suo indulgere. Supra autem dixi, divino instinctu et mandato per Angelum discessisse Iacob: alioqui res est plena periculi fugere, insalutatis omnibus hominibus in tota familia et ditione, quin ipso quoque socero invito, et abducere filias, nepotes et totum gregem, cui avide inhiabat Laban cum filiis suis. Nisi igitur obstitisset Deus furiosis conatibus, indignis modis fuisset ab eis tractatus.

Haec ideo diligentius perpendenda sunt, ut animo colligamus, quanto furore fuerit accensus, et quantopere injuriam hanc ulcisci concupiverit. Concurrunt enim multa flagitia, quae infra a Laban exaggerari tragice audiemus. Forsan vitae pepercisset, sed in suum quaestum tantum, ut per omnem vitam sibi habuisset obnoxium. Insigne autem hoc exemplum est, quo docemur, quomodo possit Deus frenare impetus et furores Diaboli et membrorum ejus, *ne pro libitu* suo saeviant. Sic enim Deus frangit

et reprimit animum Laban ira inflammatum, ut ne mutire quidem adversus Iacob auderet. Idque nobis in consolationem proponitur, ut certam spem habeamus in bonitate et misericordia Dei, qui, ut inquit Paulus, fidelis est, qui non patitur, nos tentari supra id, quod possumus, sed dat una cum tentatione exitum, ut possimus sustinere. Deus imponit modum tentationi, ne supra vires, aut ultra voluntatem et consilium ipsius tentemur. Diabolus et Laban certa sententia definierant, Iacob meritum esse extremum supplicium. Mitigassent autem poenam, sed ita, si in perpetuam servitutem se dedidisset cum tota familia, quae servitus ipsa morte fuisset acerbior. Verum dum de opprimendo eo cogitant, adest Deus, et consilia ac conatus crudeles dissipat.

Nequaquam hoc facies, Laban, inquit, imo ne verbum quidem asperius aut acerbius cum eo commutabis. Sic ponit terminum furori ejus, quemadmodum de fluctibus et procellis marinis Deus ad Hiob (38, 10. 11.) loquitur: „Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia. Et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos“. Mare enim vento et tempestatibus agitatum intumescit, ac minatur quasi aggeri sive litori circumfuso fluctibus suis tergentibus, tanquam jamjam exundaturum per omnes regiones terrae. Sed ego posui ei terminum, inquit Deus. Ideo litus non metuit minas et tumorem maris.

Sic Diabolus insurgit adversus ecclesiam, et dira minitatur, ac molitur vim et exitium piis. Sed qui posuit terminum mari, hos quoque fluctus componit, ne possit grassari pro libitu Satan. Ad hunc modum totum impetum et furorem Laban reprimit

Deus uno somnio, et tam placidum reddit, quam ovem, quantumvis invitum et frementem. Non enim permittit Deus, hos, qui credunt et habent verbum ejus, affligi aut tentari supra vires. Est fidelis custos eorum, qui custodiunt et servant verbum ejus. Iacob habebat verbum: „Egredere et revertere ad terram patrum tuorum". Item: „Vidi omnia, quae fecit tibi Laban". Huic verbo obedit, et rapit omnia secum: quanquam videtur gravissima peccata committere. Et movet Deus corda conjugum, ut sequantur et obediant marito et verbo, imo urgeant, ut egrediatur.

Hanc obedientiam sequitur persequutio. Diabolus conatur eum cum tota familia retrahere et opprimere. Ac consentaneum est, Iacob cum uxoribus fuisse in magnis angustiis. Venit enim ei in mentem haud dubie: En Laban insequitur te occisurus, perditurus et rapturus omnia. Quam imprudenter egi fugiendo et occultando consilia mea? Quam afferam ei causam discessus clandestini? Ego me et familiam in hoc periculum conjeci imprudens etc. Haec fuit interna tentatio, quae auxit animum ejus. Atque ita foris impugnatus est per Laban, intus per cogitationes desperationis. Et senserunt eandem tentationem uxores quoque et ancillae et tota familia. Quanto satius fuisset, dixerunt, manere in Mesopotamia, quam hic misere perire, vel reduci in priorem et longe graviorem servitutem. Potuissemus sane acquiescere priore conditione; si non magnis opibus licuisset abundare, tamen in pace et absque periculo fuissemus. Miserabile est, uno momento aut vitam ipsam, aut parvulum hoc peculium et omnem spem libertatis amittere.

Talia sine ulla dubitatione venerunt eis in mentem. Moses quidem non expressit sensus animorum, sed satis ostendit eo, quod dicit, Deum venisse ad Laban Syrum in somnis etc. Iacob autem interea sustentavit se promissionibus divinitus datis, quod jussu Dei esset egressus, et iisdem familiam et conjuges erexit, quod Deus apparuisset sibi in Bethel, item dixisset: „Revertere in terram cognationis tuae", halt fest, lieben Weiber und Kinder, Deus non deseret, nec abjiciet nos.

Sic luctatus est Iacob, et vicit fide tentationem. Id enim est certamen fidei. Tempore pacis et extra tentationem operatur bona opera: in hora tentationis clamat, imo rugit clamore valido, ut omnes Angeli exaudiant. Deducitur enim ad infernum, et pericula mortis experitur. Ibi incipit luctari et clamare, quo clamore expugnatur et coelum, et terra; venit igitur Deus in somnis noctu ad Laban versantem animo crudelissima consilia, et ponit modum persecutionis. Ibi componuntur fluctus isti minaces et procellae furiosae in corde Laban. Dixit enim ad eum in somnis: Video, te furere et ardere iracundia, et omnes conatus et cogitationes in hoc intentas, ut vim facias Iacob; arbitraris, te habere justissimam causam persequendi et opprimendi. Nam tuo judicio Iacob est omnium, qui vivunt, sceleratissimus. Habes meditatum animo tuo magnum acervum criminum et calumniarum, quas in eum evomas. Sed ego edico tibi, ut non solum manus abstineas ab eo, sed ne verbo quidem eum offendas.

Ad hunc modum Deus credentes non deserit, praesertim clamantes ad eum in vera fide. Sicut nos quoque mirandam Dei bonitatem et custodiam sae-

pissime experti sumus. Quot enim et quam crudelia consilia regum, Pontificum, Cardinalium hactenus mirabiliter repressa sunt, non nostris viribus aut consilio, sed divina virtute, qui vel terrore eos concussit, ne quid auderent, aut si quid ausi sunt, turbavit consilia et conatus eorum. Novem conventus acti sunt ab eo tempore, quo coepit evangelium renasci et affulgere Germaniae, adversariis horribiliter furentibus et dira minitantibus. Quin Augustae aperte dixerunt, sie wollten Gut und Blut zusammensetzen. Ac sane vivos deglutivissent nos, sicut in Psalmo (124, 3.) dicitur, nisi Deus nos servasset, et consilia eorum fecisset irrita. Quoties vidimus tumultuantem incendiarium, et pessima quaeque molientem, donec ejectus est sua ditione? Sic deinceps plura tentabunt, nec quiescent, donec Turca eos dissipet.

Meminerimus igitur hoc exemplum liberationis Iacob a Laban infenso et crudeli hoste per verbum, cui credidit. Ubi enim verbum est, ibi est etiam fides, ubi est fides, ibi est et clamor propter tentationem. Clamor autem non potest non exaudiri. Exauditus clamor frangit omnes vires coeli et terrae omniumque portarum inferi. Ideo catalogus iste scelerum, quem collegit Laban, subito dispergitur: imo gratulatus est sibi Laban, quod tantum moneretur verbis a Deo, non plaga aliqua aut cruce, propter avaritiam et invidiam adversus generum, cujus sibi erat conscius.

Ita periculo mortis exterritus et compunctus est, ut jam non periculum genero machinari, sed poenam et malum, quod metuebat, declinare cuperet, quanquam non emendatur admonitione. Consterna-

tus quidem fuit judicio divino, sed mox rediit ad ingenium, sicut audiemus. Manus coërcuit, ne quid mali facerent, sed a maledictis et conviciis non abstinet, ist ein Galgen- und Iudasreu. Sicut Pontifices et eorum satellites, reges et principes, tenentur et impediuntur in suis deliberationibus adversus nos, „aufertur eis spiritus", ut in Psalmo (76, 13.) dicitur, sed non resipiscunt. Haec est poenitentia hypocritarum et incredulorum, qui poenitent, ut Laban aut Esau. Non est seria aut voluntaria poenitentia, non mutantur in melius; sed tantum absterrentur ab instituto, ne perficiant, quod conabantur.

De somniis alias dixi, quomodo sint discernenda. Vera somnia afferunt secum impressiones, quae commovent corda quasi terrore et consternatione quadam, ut non possint contemni: qualia fuerunt somnia Pharaonis et Nebucadnezaris. Alia vero sunt ἄσημα et vanae quaedam spes et imaginationes, quae debent contemni. Sed exemplum ipsum ad doctrinam et usum nostrum transferamus. Ob hanc enim causam proponitur, ut videamus, Deum adesse suis, quanquam miseris et infirmis. Laban longe est potentior Iacob, qui in summo periculo constitutus inermis est et pauper: sed habet verbum. Itaque adest Deus et exercitus Angelorum credenti et invocanti Iacob. Sicut igitur eduxit Deus Patriarcham ex domo patris, ita reducit eum adhibita custodia Angelorum. Ad eundem modum nos quoque si credimus et adhaeremus verbo firma et immota fide, etiam in ipsa peste, in morte, in bellis juvabit et liberabit nos. Impossibile enim est, relinqui et non defendi eum, qui credit verbo Dei.

Idem testabitur gravissime sequens historia de

Angelis. Illorum enim potentia superat omnium hostium vires, sicut docet exemplum obsidionis Ierosolomitanae sub Sennaherib. Et Christus inquit: „An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones Angelorum" (Matth. 26, 53.)? Cum igitur sumus sub protectione Dei, nihil dubium est, quin et in custodia et excubiis Angelorum simus, qui et in vita periclitantibus adsunt, et moribundos deducunt in locum pacis et quietis. „Angelis enim, inquit David (Ps. 91, 11.), mandavit de te" etc. Item: „Castra metatur Angelus Domini in circuitu piorum" (Ps. 34, 8.). Atque haec monere et excitare nos debebant, ut libenter audiamus et amemus, libentius vero credamus verbo, hac fiducia, quod simus tecti praesidio Angelorum.

Haec de mandato divino, quo interdicitur Laban, ne sit molestus Iacob dictis aut factis. Nam haec sententia divina catalogum scelerum, quem collegit, et omnes rationes Laban confundit. Hebraea autem phrasis sic habet: Ne loquaris cum Iacob a bono ad malum, scilicet, incipiendo a bono, et declinando in malum. Sed non obtemperavit Laban per omnia, quanquam a facto abstinere cogitur. Catalogus vero prorsus rejicitur. Tua crudelia consilia et cogitationes, dixit vox divina, nihil sunt nisi merum somnium, vanitas, error et mendacium. Ideo non indulgeas furori tuo. Attamen non continebit se, quin invehatur in Iacob jurgiis et conviciis. Sequitur enim expostulatio admodum acerba.

Assequutus est itaque Laban Iacob. Iamque Iacob extenderat in monte tabernacu-

lum: sed et Laban cum fratribus suis tetendit tentoria sua in monte Gilead.

Post correptionem ac admonitionem, quam in somnis audiverat Laban, ne quid asperius adversus Iacob loqueretur, etsi confusa sunt consilia omnia et furores ejus, pergit tamen. Et cum non possit nocere, simulat studium nocendi et furoris minitando malum. Non enim vult videri frustratus suis consiliis, aut rebus infectis discedere. Turpe id sibi ducebat, sic frustra gloriari et spirare caedem et minas inanes; ideo prae se fert magnam indignationem, ac si neglecta sententia divina propositum suum vellet persequi.

Est igitur pulchra imago poenitentiae hypocriticae et simulatae. Sic enim compunguntur etiam interdum mali, ut olim loqui solebant in scholis, non quod vere compungantur, aut serio poeniteant, in qua opinione ego aliquando fui; sed simulant poenitentiam et dolorem de peccato. Longe aliter igitur vox David ad Nathan intelligenda est (2 Sam. 12, 13.): „Peccavi", quam Saulis, qui eodem modo ad Samuëlem dicebat (1 Sam. 15, 24.): „Peccavi". Idem verbum quidem est, vox eadem et facies compunctionis aut poenitentiae; sed corda sunt dissimilia.

Mali sic poenitent, ut magis doleant de prohibitione cupiditatum et peccatorum suorum, quam de mortificatione vitiosorum affectuum et peccatorum. Sunt poenitentiae legales, quas usitate dicimus ein Galgenreu. Si enim absque metu crucis et poenae esset, longe mallet furari fur, quam abstinere ab alieno; ideo dolet, se coërceri metu supplicii. Ita describitur et Laban non vere poenitens, nec resipis-

cens ex animo: sed dolet, divina potentia injectum frenum suis cupiditatibus et furoribus. Est igitur superficialis poenitentia, sicut Saul dicit: „Peccavi; sed nunc honora me coram senioribus". Angitur de infamia et opprobrio apud seniores, non quod Deum offenderit.

Cor autem vere poenitens sic affectum est, ut nihil aliud nisi iram et indignationem Dei formidet, nulla ratione ignominiae apud homines habita, tantum Deum sibi noverit esse propitium: sicut David hunc affectum et sensum peccati expressit, Psalmo 51. Observandum vero est, quod hypocritae manent sui similes, et cum non licet saevire pro libitu, tamen furorem et singularem potentiam ostentant, ne videantur inferiores iis, quos oderunt et persequuntur.

Mons Gilead eo tempore non sic nominatus fuit; sed vocatur hic eo nomine, quo postea primum nuncupatus fuit, per anticipationem. Videtur autem Moses significare, quod Laban verticem montis occupaverit, Iacob autem in imo montis fixerit tabernaculum, ut ostenderet ille se superiorem et potentiorem. Iam vero sequitur rhetorica exaggeratio et congeries scelerum Iacob.

Et ait Laban ad Iacob: Quid fecisti, quod furatus es cor meum, et abduxisti filias meas velut gladio captas? Cur me clam et inscio fugere voluisti, et non potius mihi indicasti, ut prosequerer te cum gaudio, cum canticis et tympanis et citharis? Nec passus esses, ut oscularer filios meos et filias meas: stulte quidem egisti. Et va-

leret manus mea, vobis malefacere. Sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave loquaris cum Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

Si vere poenituisset Laban, credidisset et adsensus esset verbo Dei, quod Iacob justum et innocentem pronuntiabat, adeoque indignum, qui injuria afficeretur, quia audit, eum a Deo absolutum ab omnibus sceleribus, propter quae eum persequebatur. Sed ad gloriam suam ornandam, et justitiam suam defendendam expostulat cum eo, ne videatur vana fuisse sine viribus ira, et ut Iacob expavescens fateatur delictum. Hoc voluit superbus hypocrita et justitiarius astutissimus.

Primum igitur inquit: Quid fecisti mihi? quasi diceret: Omnia, quae fecisti, sunt pessima peccata, tu es reus summorum criminum, propter quae ego pro mea justitia et jure possem in te animadvertere. Sed non audet ei malefacere, simulat tantum fortitudinem quandam et justitiam vanissimam. Prius igitur dictum est, fuisse eum avarum: jam superbissimum hypocritam et justitiarium describi videmus. Et tamen est admonitus verbo Dei in somnis, Iacob esse justum et bonum. Sed nec suum peccatum, nec virtutes Iacob agnoscit: quin etiam vehementer delicta Iacob exaggerat: „Furatus es cor meum.“ Hoc valde atrox crimen est.

Primum peccatum fingit crimen laesae majestatis. Ego enim, inquit, eram pater et socer, tu servus meus, sed oblitus es omnis reverentiae et obedientiae filialis, imo omnis pietatis erga me. Ausus

es, me parente, socero, domino tuo insalutato, tam irreverenter discedere, et insuper filias meas abigere tanquam latro, sicarius et raptor. Sed mentitur Laban impudentissime; ut maxime enim cor sit furatus, tamen causam justam habuit clam aufugiendi: alioqui non potuisset veniam recedendi ab avaro domino impetrare.

Alterum vero mendacium est, quod dicit: Abegisti filias meas tanquam captivas. An non enim sunt uxores ejus, quas tu, Laban, ei despondisti, et ipsi magno constitit conjugium hoc? Estne id gladio et vi abigere, quando maritus secum ducit uxorem, quae debet omni jure sequi? Et quidem sponte consentit et cohortatur maritum ad discessum. Vides igitur, quam virulentam et Diabolicam linguam habeat, magnificantem et ornantem peccata sua, et recte facta in calumniam rapientem. Fingit enim et mentitur haec omnia sceleratus hypocrita ad deformandum Iacob cum sua familia, et ornandam suam justitiam et gloriam. Quando vero abactae sunt, aut captae gladio? Quando rapuit eas Iacob quasi fur aut latro? An non sunt legitimae conjuges, quae non raptae sunt, sed sponte et volentes secutae maritum pro eo, ac debebant sequi?

Hoc igitur decuisset Laban dicere: Si quidem voluisti meam domum relinquere, bene fecisti, quod non deseruisti conjuges, sed eas tecum abduxisti. Et quanquam hoc molestum est, quod furatus es cor meum, tamen hoc laudo, quod filias meas fugae socias esse voluisti. Haec fuisset honestior oratio, bono viro digna; sed est impius hypocrita, ideo invertit omnia, et quae erant laudanda et praedicanda in genero, ea exagitat et vituperat odiosis-

sime. Vide autem, an servet hoc, quod fuit mandatum, ne quid durius loqueretur adversus Iacob. Congerit exquisita et virulenta convicia, et quod turpissimum est, falsa et ementita. Scit enim, esse uxores ejus, quibus abducendis nihil peccavit, praesertim cum sponte sequerentur. Quin etiam nolentes cogere ipse debuisset, ut comitarentur maritum.

Exsecrandus igitur est hypocrita, qui tantum virum tantis virtutibus ornatum audet onerare et incessere virulentissimis conviciis: ac quidem repetit hoc, quod dixit: „Furatus es cor meum". Cur me clam fugere voluisti? Nam hujus injuriae non potest oblivisci, haec mordet ejus animum. Non enim dolet de iniquitate, quae nulla est, quia Iacob est justissimus et sanctissimus: sed hoc male habet virum, quod nullo signo aut judicio potuit deprehendere consilium de discessu. Ibi non solum cor meum furatus es, inquit, sed me ipsum cum omnibus meis bonis. Quia Iacob auxerat ejus rem familiarem ingenti accessione. Hunc bolum dolet sibi ereptum e faucibus, et sic cogitat: Si scivissem, nihil reliquissem intentatum, te ut retinerem. Iam enim salus ipsa et incrementum omnium mearum rerum mihi periit.

Iam vero postquam fere omnem iram et indignationem suam evomuit, atrocissime accusando Iacob, et se ipsum justificando, praedicat suum amorem et benevolentiam cum erga generum, tum erga filias, ut augeat indignitatem rei, ac prae se fert magnam pietatem, humanitatem et στοϱγήν erga liberos. Te et filias ita amavi, et quibus potui officiis complexus sum, ut nihil in me desiderare posses, sed semper me senseris tibi amicissimum. Ideo

nunc quoque, convocatis omnibus amicis et incolis hujus terrae, honorifice et splendide te deduxissem, cum gaudio, cum musica, cum tympanis etc. scilicet. Quae enim fuissent gaudia et tympana illa? Compedes, vincula, carcer, perpetua servitus.

Si indicasset Iacob, se cum uxoribus moliri abitionem, nunquam fuisset dimissus. Sic enim solebat amicos suos beare, ut ante dictum est: retraxisset eum in perpetuam servitutem et miseriam, nisi Deus prohibuisset. Sicut crudelitatem illam satis declaravit, cum mutavit mercedem Iacob decem vicibus, et quatuordecim annis pro filiabus servire coëgit, et sex annis pro peculio sine mercede debita. Nisi igitur repressisset Deus cupiditates ejus, fraudasset generum omnibus bonis. Haec scilicet sunt tympana, gaudia et citharae.

Omnia autem haec commemorat ad praegravandum optimum et sanctissimum virum Iacob, et tyrannidem sive crudelitatem atque avaritiam suam ornandam et tegendam. Suntque mera et nugacissima mendacia, imo quo blandior est oratio, hoc plus acerbitatis animo clausum habet, et singula verba singulari studio ad calumniam et insectationem summarum virtutum in Iacob sunt composita. Quomodo enim dimitteret eum, quem cupiebat vel mille annis domi suae retinere? Atque id inprimis dolebat, quod amitteret servum fidelem et suis commodis aptissimum. Hoc est illud furtum cordis.

Addit autem amplius, et quasi tacitae objectioni respondet: Non permisisti, me osculari filias etc. Ut maxime dicas, fuisse filias meas tuas conjuges, tamen ideo reprehendendus es, quod privasti me omni officio pietatis et paternitatis, quod praestitis-

sem liberis et nepotibus pro meo erga eos amore et naturali benevolentia. Usitatum enim est omnium gentium moribus et consuetudine, ut filiae egressurae domo patria salutent parentes, oscula, amplexus et benedictionem a patre expetant. Id ego ex animo desideravi facere. Sunt sane uxores tuae, quas jure potuisti abducere; sed decuit te meo desiderio affici et concedere, ut prius suavissimas filias et nepotes exoscularer, non tam crudeliter ex amplexu et sinu optimi parentis clam eas abstrahere. Hinc illae lacrymae. O ferreum animum, qui ad has non ingemiscit: Der verzweifelt Schalk sollt Papst oder Bischoff von M. seyn, qui animum crudelissimum tam pia et honesta oratione potest tegere. Quo modo enim osculareris filias tuas? Osculo Iudae. Aut si volebas osculari, et patriam pietatem erga filias declarare: quare non aluisti, non vestivisti, et debitis officiis prosecutus es, cum adhuc servirent tibi? Imo tum rapiebat omnia, et habebat eas pro extraneis, ac vendiderat tanquam captivas; et nisi fuga sibi consuluissent, fame pereundum fuisset. Tanta scilicet erat pietas pientissimi, imo crudelissimi et exsecrandi patris Laban. Nunc vero cum videt manifestae impietatis erga filias se reum agi, et crudelitate sua generum coactum, ut fugeret cum filiabus, vult tegere hanc suam immanitatem, accusando generum, quod abduceret filias se invito et insalutato: non quod cura aut amore earum afficeretur, sed ut tegat avaritiam suam. Angit enim eum hoc, quod principio dixit, furtum cordis sui. Nimirum commoda et incrementa rerum suarum, ex servitute Iacob intercepta.

Quid enim faceret crudelis tyrannus ipse mo-

mento profectionis, cum antea viginti annis nihil benigne aut paterna pietate dignum fecerit? Sed si qua in eo vel guttula pietatis aut benevolentiae patriae reliqua fuisset, adhuc alium se praebuisset. Oblitus esset omnium offensionum et injuriarum, aut sic dixisset: Age, agnosco vos durius a me tractatas, et nihil muneris aut mercedis accepisse. Haec igitur nunc vobis et liberis trado de meis gregibus, aut de iis, quae habeo pretiosissima, annulos et ornamenta aurea, quae sint vobis perpetuae claritatis et benevolentiae pignora.

Sed quid daret avarissimus hypocrita? Quin infra audiemus, quomodo exploret et scrutetur omnia, et libenter etiam ea, quae ex divinis spoliis habebant, rapuisset. Interim tamen se ornat, quasi sit justissimus et amantissimus liberorum, Iacob vero ἄστοργος et crudelis erga socerum. Incredibilis haec et inaudita malitia, hypocrisis et crudelitas est. Homines profani et ethnici, qui naturam et rationem ducem sequuntur, ab ejusmodi sceleribus abhorrent. Ac videtur impossibile, ut cadat in cor humanum tanta crudelitas, qua quis filias et nepotes suos non negligere tantum, sed et omnibus officiis et praemiis debitis spoliare ausit. Exsecranda vero hypocrisis et simulatio est, quae tantum scelus potest tegere pulcherrima specie osculorum, amplexus et desiderii paterni. Ideo enim eas osculari et amplecti libuit, ut vinculis perpetuae servitutis complecteretur et concluderet. Hae igitur sunt virtutes ornatissimi et sanctissimi Laban, ac e contra crimina et scelera Jacob, quae ei exprobrat. Sic enim solet fieri in mundo. Homines justi habentur pro peccatoribus, et e contra. Nemo est peccator in toto mun-

do, nisi qui habet verbum, et credit in Christum. Qui autem persequuntur et oderunt verbum, illi sunt justi. Et, ut Christus ait (Ioh. 16, 2.): „Arbitrantur, se obsequium praestare Deo." Saepe autem fit, ut ignorantes verbum oderint et persequantur sanctos: sed Laban non est tam bonus, ut errore peccet, sed sciens persequitur justum: sicut Cardinales, Episcopi et alii, qui scienter contra pios insaniunt, et tamen volunt haberi sancti.

Postremum et atrocissimum scelus, quod exprobrat genero, est furtum deorum. Ibi vide hyperbolicas et tragicas amplificationes. Quae recensui hactenus, inquit, gravia sunt et indigna bono viro; sed omitto et condono. Forte enim desiderio quodam patriae aut alia cupiditate victus clam te subduxisti. Sed hoc extremum omnium malorum est, quod furatus es deos meos. Quid nunc respondebis? Sit sane ita, quod levitate aut impatientia quadam, sive curiositate impulsus sis: quanquam alibi, aut in patria etiam non potuisses commodius vivere, quam apud me: sed quare rapuisti deos, hoc est, cultum divinum? Hoc enim ingens piaculum est. Non satis fuit, ut sceleratum te praeberes erga me, insuper etiam sacrilegio te et tuos polluisti.

Hic ergo alium et longe sanctiorem praetextum invenit, religionem nimirum et cultum Dei, quanquam nullum in eo studium pietatis erat, sed mera avaritia et cultu Mammonae obsessum pectus habebat. Tales sunt nostri adversarii, Eccius et Moguntinus. Illi non afficiuntur gloria Christi et veritate evangelii, sed praebendis et sacerdotiis aut aliis dignitatibus inhiant. Sic Laban de cultu nihil angitur, sed de auro et argento, unde erant conflata idola.

Tamen simulat studium pietatis et cultus divini, quasi diceret: Non curarem aurum et argentum; facile enim alias statuas reparare possem. Sed hoc est, quod doleo, quia violasti devotionem, cultus et precationes meas. Vide igitur, quantum deliqueris rapiendo Domino Deo suum cultum et religionem omniaque officia pietatis in tota familia mea. Haec sunt sacrilegia et peccata in primam tabulam. Quantum in te est, inquit, spolias me et domum meam religione, et fenestram patefacis impietati et Diabolo, qui cupit, nos esse securos et contemtores Dei et cultus divini.

Sic interpretatur sacrilegium hoc non statuarum furtum, sed violationem et eversionem cultus Dei. Nulla enim gens unquam tam stolida fuit, ut adoraret ligna, lapides, aurum, argentum, ex quibus statuae fabricatae erant; sed addiderunt primam tabulam, et finxerunt, Deum in coelo respicere ad hunc cultum, et audire invocationem factam ad hanc statuam. Sicut Hieroboam, cum erigeret duos vitulos, addebat hanc concionem: „Hi sunt dii tui, qui eduxerunt te de Aegypto" (1 Regg. 12, 28. 30.). Sciebat ipse et populus, vitulos ipsos sic formatos non esse numen illud, quod eduxerat Israëlitas ex Aegypto, sed cultum Dei ad has statuas placere et accipi credebant.

Et placebat regi, hanc imaginem effingere, propterea quod bos aut vitulus praecipua materia est sacrificiorum: non potuit aptiorem imaginem habere. Ideo non dicit, bovem illum aut vitulum esse Deum, sed cultum Dei alligat simulacris vitulorum, ad quae invocandus et colendus esset Deus, eique sacrificandum. Sumitur ergo continens pro contento per syn-

ec-

ecdochen, quod sit Deus in vitulo colendus: sicut in tabernaculo etiam ad arcam et propitiatorium promiserat Deus, se exauditurum preces invocantium.

Ita omnes gentes retinuerunt cultum Patrum, et ornarunt, vel potius depravarunt sua idolatria. Ephesi Dianae simulacrum erat, cui finxerunt adesse numen, quod audiret et reciperet preces. Sic Laban accusat Iacob, quod non aurum aut argentum furatus sit, sed spoliaverit se et ecclesiam suam universa religione divina, et quantum in ipso esset, regno coelorum. Quid enim aliud est spoliare religione et cultu divino, quam ipso Deo, ipsa vita et salute aeterna, et objicere Satanae et inferno? Hoc peccatum tam est atrox et nefarium, ut nec excusari, neque expiari unquam possit ullis verbis aut sacrificiis. Sed Laban tam tragice id amplificat non propter opinionem aut studium religionis, quasi de salute aut gratia Dei aliquid imminutum esset; sed ideo, ut oneret Iacob invidia et odio implacabili apud suos cognatos et fratres, qui fortassis hoc sciverunt, quod esset durius tractatus Iacob, et plurimum momenti ad rem familiarem augendam fuisset in tam fideli servo. Itaque ut tegeret ejus merita, suamque avaritiam et improbam cupiditatem, colligit, quicquid est virtutum in prima et secunda tabula, et iis sese ornat, ut nihil videatur sanctius secundum omnia praecepta Dei, quam sanctissimus Nabal. E contra vero vitia omnia convertit et congerit in Iacob: cum revera nihil aliud quaerat, quam aurum et argentum. Sicut hodie Papistae jactitant nomen ecclesiae, et quod velint salvam veram religionem Patrum, Christum et fidem illibatam, religionem et obedientiam erga leges, erga ecclesiam

et magistratum sinceram; et tamen nihil colunt aut curant, quam ventrem.

Insignis itaque haec est descriptio egregii hypocritae, qui se ipsum jactitat sanctum sanctorum, et obruit optimum et sanctissimum virum Iacob omni genere contumeliarum, flagitiorum, scelerum, fallaciarum, objiciendum non humanis suppliciis, sed cruciatibus infernalibus. Vocat eum furem, latronem, plagiarium, spoliatorem domus, infidum, ingratum, sacrilegum et eversorem religionis. Non potuisset atrocius traduci et proscindi. Atque inde satis apparet, quo loco fuerit Iacob apud Laban, quam serviliter et contumeliose eum tractaverit, atque adeo tanquam mancipio, aut potius asino et jumento vilissimo abusus sit in quaestum et incrementum rei familiaris suae. Neque tamen quicquam praemii persolvit, praeter aquam aut panem, et nunc pro summa diligentia et laboribus et summis ementitis conviciis eum proscindit. Num hoc est obedire Deo prohibenti, ne quid diceret asperius adversus Iacob? Imo hoc est acerbissimum, reum agere omnium criminum et scelerum, quae possunt excogitari aut dici.

Sed haec scribuntur nobis in doctrinam et exemplum. Perpetuus enim hic canon impiorum est, quod obediunt Deo in speciem, et verbis eum confitentur; factis autem negant, et contemnunt mandata ejus. Laban ab aperta vi abstinet, nec infert ei violentas manus. Sed si licuisset, non pepercisset ei, quia ardet totus cupiditate nocendi. Verum impii humiliantur et coërcentur metu poenarum. Ideo in speciem poenitent, sed ficta et fallaci humilitate: sicut Laban omnia simulanter egit, et tacitus

fremuit, quod non auderet explere cupiditatem vindictae.

Alter canon impiorum hic est. Omnia flagitia, quae ipsi animo versant, et cupiunt perpetrare, ea imputant sanctis. E contra omnia, quae faciunt sancti, et virtutes eorum proprias, sibi arrogant. Hic est universalis canon omnium hypocritarum et impiorum. Ipse Laban est idolatra, fur, latro, plagiarius, avarus, monstrum et portentum illius saeculi: et tamen videtur sibi honestissimus et optimus, et accusat Iacob, qui est innocentissimus, simplicissimus, plenus pulcherrimis virtutibus et fructibus ingentibus, quos profert ad utilitatem ecclesiae, reipublicae et oeconomiae. Sed nemo peccat, nisi Iacob, et nemo est sanctus, nisi Nabal.

Haec valde odiosa sunt et indigna, sed ideo scripta, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Nemo peccat in hoc mundo, nisi unigenitus Filius Dei. E contra nemo justus est, nisi Diabolus. Quicquid is dicit aut facit, rectum est et justum. Ideo Haeretici et Papistae semper sibi arrogant justitiam, sanctitatem, sapientiam, qui soli tueantur et defendant catholicam fidem. Vera autem ecclesia sustinet summam hanc ignominiam, quod sit haeretica, erronea, scandalosa, seditiosa, et, ut Paulus ait, 1 Cor. 4. (v. 13.): „κάθαρμα καὶ περίψημα. Cum autem sic visum sit Deo, et non aliter possit fieri, quin sit aliquis coetus propter Deum κάθαρμα ac opprobrium hominum et abjectio plebis, non sane pigeat nos tales haberi in mundo. Habemus enim uberrimam consolationem ejus, qui dixit: „Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et probris

affecerint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die et exsultate. Ecce enim merces vestra multa est in coelo" (Matth. 5, 11. 12.). Es ist umb ein kurze Zeit zu thun. Vita brevis est et misera; sed gaudium et gloria, quam exspectamus, aeterna. Quando igitur placet Deo, ut simus grex parvulus, pusillus et contemtus, feramus aequo et hilari animo aerumnas hujus vitae, sicut Iacob ferebat opprobrium, contumelias et despectionem a Labanistis superbis et hypocritis.

Aestimemur sane sacrilegi et turbatores religionis aut rerumpublicarum, imo omnium, qui vivunt, maximi peccatores. Sed non gravatim haec probra sustinebimus, et superabimus propter ducem et Dominum nostrum, Filium Dei, qui eadem et tulit ipse, et vicit in omnibus sanctis. Simus modo de numero Iacobitarum, non Labanitarum, nec moveamur, quod Diabolus cum impiis hypocritis habetur et colitur pro Deo, totius mundi judicio sanctus et justus.

Porro restat quaestio de vocabulo אֵל, ubi dicit Laban: Esset facultas sive virtus in manu mea, ut facerem vobis malum. Nihil certi autem possum afferre ad declarandam significationem hujus dictionis. Ideo relinquo Rabbinis et grammaticis Hebraeis: quanquam in ea opinione sum, quod non habeant perfectam cognitionem grammaticae Hebraeae, saltem in hac voce; tanta est Babylon et confusio interpretationum. Ac congerunt quidem circiter viginti dictiones, quibus hanc unam explicare student, quarum nulla cum altera convenit. Non dubium autem est, multa vocabula, cum floreret adhuc lingua Hebraea, in sermone vernaculo et quo-

tidiano longe aliter sonuisse, quam nunc, cum ex libris tantum excerpimus: sicut aliud est grammatice, aliud Latine loqui. Ideo non tam sermonis grammatici et regulati, quam phrasium habenda est ratio. Iudaeorum autem grammaticam vereor esse mutilam. Ideo Rabbini saepe hallucinantur, saltem in aliquibus dictionibus.

אֵל sonat aliquando Deus, et hoc loco est, secundum Deum manus mea. Grammatici et qui sequuntur rigorem regularum, dicunt significare secundum facultatem, quod ego facile concedo. Nam locus Michae 2. (v. 1.) congruit: „Faciunt malum, quia Deus in manibus eorum", id est, sie haben die Macht, sunt potentes. Item, Deut. 28. (v. 32.): „Non erit לְאֵל fortitudo in manu tua". Est itaque pro singulari phrasi accipiendum: sicut in Latina lingua multa vocabula usu in alienam a grammaticis regulis significationem degenerarunt, qualia sunt: amabo, obsecro, quaeso, age, apage sis, Edepol, Hercle. Ibi sane magna fuerit confusio, si secundum rigorem grammaticum haec velis interpretari. Amabo usu in interjectionem abiit.

Tales mutationes in omnibus linguis accidunt. Germani dicunt: Gelt, ich will dirs bezahlen. Geld, pecunia, usurpatur adverbialiter. Gott, du solls lassen. Gott, Deus, induit naturam interjectionis. Non igitur sumo mihi judicium in grammatica Hebraea, nisi quod video, grammaticos laborare et sudare, sed nondum elaborasse propter diversitatem phrasium, quibus solebant uti Hebraei in quotidiano usu linguae, et grammaticorum explicationem. Imperti linguae concerpunt significationes vocabulorum, et faciunt aequivocationes et confusiones: sicut in dic-

tione שֵׁבֶט, gen. 49. (v. 10.), infinitum mare opinionum exstitit. Alii enim virgam, alii sceptrum, alii aliter exponunt. Ergo lingua Hebraea ex magna parte intercidit, necdum restituta est in integrum. Et si absque novo testamento esset, nostri Rabbini nusquam certas sententias ex veteri possent elicere. Novum testamentum plurimum contulit ad instaurandam et illustrandam linguam Hebraeam et vetus testamentum.

Caeterum non pugnabo, si quis אֵל pro facultate aut Deo acceperit. Hoc certum est, quod אֵל deducitur ab אֱיָל per syncopen, quod sonat fortitudinem. Et ab hoc abstracto deducunt denominativum sive adjectivum אֵל, fortis. Sicut nos Isaiae 9. (v. 6.), interpretati sumus: Deus fortis, Kraft. Absolute sine ל vel articulo praepositivo significat Kraft, fortitudo, vel Deus, ita ut Deus quasi denominative appelletur אֵל a fortitudine. De eo non est dubium, quin recte hoc nomen tribuatur Deo; sicut ex 22. Psalmo (v. 2.) patet, אֵלִי אֵלִי etc. Deus, Deus, meus, quare me dereliquisti. Hinc אֱלֹהִים. Haec grammatici Hebraei fere de hoc loco, cujus sententiam si sunt assecuti, bene est. Sin minus, certissimum argumentum est, eos nondum ad veram et certam Hebraeae linguae cognitionem pervenisse. Ex veteri testamento non possunt confirmare hanc interpretationem; sed ex novo testamento convincitur, quod significet אֵל Deum.

Additur autem hoc loco articulus praepositivus לְאֵל, adest, vel in promtu est manus mea. Utrum igitur hic significet Deum, an fortitudinem tantum, ut sit abstractum, et degenerarit divinum nomen in

interjectionem, et significet facultatem, de eo non valde pugnabo, sed relinquo in medio. In Germanica translatione in hanc fere sententiam reddidimus: Et ego auxiliante Deo tantum virium haberem, ut possem vobis malefacere. Atque haec de grammatica. Adest mea facultas, inquit, vel a Deo mea manus. Sed quicquid hypocrita loquitur aut sentit de nomine Dei, totum est simulatum et fallax, quia hypocritae non habent Deum. Possem ulcisci hanc injuriam, quod rapuisti filias et deos: sed interminatus est Deus patris tui, ne tibi vim facerem.

At quam injuriam? Quod non voluisti in aeternum esse mancipium et asinus, noluisti tolerare servitutem, ut sudares dies et noctes, ut curreres, laborares, ferres contumelias filiorum meorum et meas. Hoc est maximum peccatum. Non debuisti me spoliare hoc servitio, in quo cupiebam te et filias detinere. Atrox sane hoc scelus est, non velle sese dedere in abjectissimam servitutem crudelissimi tyranni. Sed hoc est hypocritarum proprium, accusare alios eo, quod obsistant cupiditatibus eorum. Hactenus vero descriptio Nabal, quae est perfecta idea Papae et hypocritae. Ein rechter Papst und falscher hypocrita. Nun wöllen wir ein frommen Mann auch hören.

Respondit Iacob, et dixit ad Laban: Eo, quod timui, cogitavique, te vi rapturum esse filias tuas mihi. Caeterum is, apud quem deos tuos inveneris, necetur coram fratribus nostris. Scrutare, quicquid tuorum apud me est, et aufer. Nesciebat autem Iacob, quod Rahel eos esset furata.

Ingressus ergo est Laban tabernaculum Iacob et Leae et duarum ancillarum, et non invenit.

Brevis excusatio est ad congeriem illam, imo plaustra contumeliarum et probrorum, quae in sanctissimum virum conjecit. Quid facerem? inquit, timui. Confitetur humiliter, et non purgat se accuratius de spolio, sed mussitat omnes contumelias et injurias, ac tantum dicit, se timuisse. Si fuisset vehementior, quales multi sunt injuriarum impatientissimi, vicissim in eum invehi, et maledicta omnia regerere potuisset. Omitte maledicere homini de te optime merito, dixisset. Nam et divino et omnium hominum judicio tu es sacrilegus, latro, tyrannus et monstrum avaritiae, qui vendidisti filias tuas, et habuisti eas pro abjectissimis mancipiis et jumentis, quin etiam pro laboribus durissimis et sudoribus earum non praemia debita, sed carcerem perpetuum reponere cogitasti. Haec fuisset infinita materia jurgiorum et rixarum. Monemur igitur, et nobis aequo animo ferendas esse contumelias, item despectionem et superbiam adversariorum. Sed tamen veritas non est tacenda. Nec abibit impune libido maledicendi in adversariis, tametsi nos nihil maledictorum regeramus. Est enim, qui inquiret et judicabit ea.

Ait ergo Iacob: Ego quicquid horum feci, timore et trepidatione quadam feci. Ita non accusat Laban, et significat tamen, ipsum maxime culpandum et accusandum esse, quia timendum sibi fuerit, ne socer raperet filias, quas dederat ei conjuges. Id profecto est atrocissimum. Occulte igitur et pulcherrima figura summorum criminum ipsum reum

agit, ita ut multo vehementius accuset excusando se et purgando, quam ulla invectiva facere potuisset. Sic enim piorum excusationes solent esse impiorum gravissimae accusationes. Sicut nunc Papa et complices ejus nos accusant haeresis, blasphemiae, contumaciae, seditionis. Sed si respondero: Non sum Haereticus, non sum seditiosus, sicut Christus Iudaeis clare et diserte respondet (Ioh. 8, 49.): „Non habeo Daemonium“: quod certe oportet fieri (non enim debemus adsentiri aut tacere ad convicia doctrinae et veritatis divinae), ibi brevi refutatione arguo ipsum Pontificem omnium scelerum et probrorum, quorum nos insimulavit.

Insignis igitur haec purgatio est. Nam tacite conscientiam hypocritae appellat, et ex omnibus factis ejus arguit eum crudelitatis et tyrannidis. Tua, inquit, conscientia nobis testis est, quod nos tractasti inclementius, adeo ut justam causam habuerim meditandi fugam. Sic enim in animum inducebam meum: Si resciverit Laban, me fugere, eripiet uxores et omnia, et conjiciet me in vincula. An id decet virum bonum, ita tractare hominem fidelem, sanctum, sedulum et vigilantem in procuranda re familiari, ut cogatur metuere vim et injuriam soceri, ne is oblitus conjunctionis arctissimae, meritorum et στοργῆς erga generum aut filias, abstrahat uxores a marito? An id laudandum aut excusandum est? Imo turpissimum est, et pugnat cum omni ratione et honestate. Filia enim tradita marito non amplius est in potestate patris: pater non habet jus repetendi aut rapiendi filiam. Ideo horribilis crudelitas fuit, quod in hoc periculo optimus vir versa-

tus est, ne amitteret rursus carissimas conjuges aut liberos.

Ac videtur tyrannus aliquoties hoc ei minatus esse: Si scirem, dixit, te fugam meditari, aut parum fideliter mea negotia administrare, mox avellerem a te meas filias. Moses quidem hoc non expressit, sed valde consentaneum est: et Spiritus sanctus videtur significare, Iacob non frustra ad excusandam fugam adduxisse hoc, quod timuerit. Eia igitur sanctissime Laban, quibus laudibus te extollemus? Scilicet sic decet affectum esse patrem aut socerum erga generum et filias, obsequentes marito, et pro mancipiis habitas in familia patris, quarum opera res familiaris pulcherrime accrevit, ut eas cogites avellere a marito. Profecto monstrum est hypocrita iste omnium monstrorum horribilissimum, superans crudelitate omnes bestias et tyrannos, quin ipsa crudelitate crudelior.

Quodsi ulla vel exigua scintilla humanitatis aut clementiae in eo fuisset, debuisset flecti et emolliri tanta bonitate, obsequentia, fidelitate et patientia optimi et fidelissimi Iacob; sed nihil motus est his omnibus. Ideo enim insequitur generum, ut reducat in carcerem servitutis, aut filias eripiat. Hoc igitur timuit Iacob, atque hoc vult dicere: Tu ipse es in causa, oppressisti nos tam serviliter, et minatus es, te rapturum mihi omnia, si abirem; ideo timui.

Secundo, quod accusas me sacrilegii, sic faciam, inquit: Cum quocunque inveneris deos tuos, non vivat ille etc. Ibi Spiritus sanctus describit humanam conditionem in sanctis. Quantumvis enim sublimes sunt in fide et spiritu, tamen non solum

errant et ignorant multa, sed etiam labuntur secundum carnem. Iacob cogitat, se extra omnem culpam, suspicionem et periculum esse, et hac parte jam satisfactum Laban. Ideo offert eum necandum, cum quo invenerit idola. Verum hac ratione traditur carissima conjunx a marito in mortem. Nisi enim intercessisset et prohibuisset Deus, Iacob imprudens objecisset mactationi suavissimam Rahelem suam, das ist zu weit gangen, nimio plus concedit Iacob; sed per ignorantiam. Talia sunt peccata fidelium, quibus accidunt interdum lapsus secundum carnem ignorantiae vel erroris. Sicut Rahel etiam strenue postea mentietur ad redimendam vitam.

Caeterum hoc responso merito acquiescere debuisset sanctissimus ille Laban, et dicere: Quid inquiram, aut explorem? Audio et accipio testificationem innocentiae vestrae. Filiae meae sunt et nepotes, in quos antea fui durior et asperior: non ero vobis amplius molestus, nec vos furti insimulabo. Hoc decuisset socerum et virum bonum; sed non potest acquiescere, quia est plenus Diabolorum. Cuivis alii satisfecisset haec excusatio, si audivisset dicentem: Nihil mihi est rei cum tuis idolis. At vero Iacob addit amplius, ne sit aliqua suspicio doli: Permitto, inquit, ut scruteris et evolvas omnia. Hanc potestatem nemo alius facile ei fecisset: ego sane dixissem: Non habeo idola tua; nec permisissem, ut omnia mea exploraret, aut saltem ipse inquisivissem solus. Indignissimum ergo fuit, tantam licentiam huic monstro concedi. An non enim satis erat audire, quod non haberet idola, et quod offerret eum ad necem, qui surripuisset?

Sed vide, ut nihil pudeat; pergit enim et ex-

plorat singula tabernacula. Non possum igitur non vehementer commoveri, et doleo, me non posse verbis haec consequi, et satis aptis coloribus illustrare. Ego nihil amplius concessissem, si non fuisset contentus mea confessione tam aperta et firma. Plus omnino cedit Iacob, quam debebat.

Primum igitur ipsius Iacob tabernaculum ingreditur. At satis fuisset, si ibi nihil invenisset; sed pergit in tabernaculum Leae, ac insuper in tabernaculum utriusque famulae. Postremo restabat adhuc unum, Rahelis, das mufs er auch beschnattern. Atque ibi salus et vita Rahelis gravissime periclitabatur: ideo adest Spiritus sanctus, et invenit remedium contra permissionem Iacob, qui dixerat: „Apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur". Es war zu viel gegeben. Sed sequetur correctio. Deus enim et Angeli vigilant, ubi dormitat Iacob.

Et hoc est opus et artificium Dei, ut corrigat et emendet, quod errore Iacob perditum erat. Er kann böse Sachen gut machen, wenn wirs verderbt und verwahrloset haben. Sicut in tanta infirmitate rerum humanarum non possunt etiam sancti esse sine multis et magnis lapsibus. Ego sane saepe multa imprudenter et stulte egi, de quibus postea vehementer conturbatus sum: nec poteram videre, quomodo eluctarer aut extricarer rebus impeditis mea stultitia; sed Dominus invenit modum et viam, ut corrigeretur erratum. Ita Raheli ex inconsiderata permissione mariti fuit ingens et certum periculum creatum. Quae enim erat immanitas nequissimi hypocritae, aut saeviisset in filiam, aut generum pro salute et vita ejus dedi sibi voluisset in servitutem. Sed Deus sic gubernat sanctos suos, ut errent et hallucinentur quidem, sed exitus tamen

sint salutares, aut sine magno detrimento. Omnia enim cooperantur electis et his, qui credunt, in bonum, etiam errores et peccata, hoc est certissimum. Quia Deus solet ex nihilo facere omnia, ideo ex malo potest elicere et producere bonum. Sicut Augustinus inprimis hac cogitatione delectatur: Tanta, inquit, Dei bonitas est, ut nullum malum permitteret fieri, nisi illud verteret in bonum. Erraverat Iacob valde imprudenter, ac conjecerat, quantum in ipso erat, dilectissimam uxorem in periculum mortis, vel saltem ignominiae: sed ostenditur ei consilium divinitus adeo astutum, ut et Laban, et Diabolus ipse fallantur.

Egressusque tabernaculum Leae venit in tabernaculum Rahelis. Porro Rahel simulacra illa acceperat, et posuerat ea subter stramenta cameli, et sedit super ea. Laban autem contrectabat totum tabernaculum, et nihil invenit. Et dixit Rahel ad patrem suum: Ne irascatur dominus meus, quod non possum tibi assurgere, quia juxta consuetudînem feminarum nunc mihi accidit. Perscrutans itaque non invenit simulacra.

Hic petit Satan jugulum Rahelis. Ingreditur enim Laban tabernaculum ejus, et singula scrutatur diligentissime. Neque vero vestibus, aut manicis, aut stramine abscondere poterat: nihil aliud erat reliquum praeter corpus proprium, quo tegebat idola. Abdit igitur תְּרָפִים in stramentis camelorum, non quod ibi satis tuto laterent; facile enim stratum poterat excutere Laban; sed insuper foedissima parte *corporis tegit*; sedet enim super stramina. Quan-

quam ne id quidem periculo caret, quia potuisset suspicari, sicut solet avaritia et hypocrisis esse suspicax, subesse dolum. Non temere est, quod non invenio te sedentem loco consueto. Quid si hic latent תְּרָפִים? Quodsi jussisset eam surgere, ut excutere et evolvere stramenta posset, fuisset proditum et deprehensum furtum.

Sed pulcherrimum mendacium comminiscitur; fingit, se pati menstrua juxta consuetudinem sexus. Decorum autem est, et requirit ratio valetudinis, ne mulier tali tempore humi desideat, sed in lecto potius, aut stramento, si desit lectus. Ita in extrema necessitate et periculo subito invenit remedium et consilium: sicut experientia testatur, mulieres subitis consiliis excogitandis valere plurimum. Adjuvatur igitur Rahel natura, sive ingenio et industria muliebri, qua hic sexus praeditus est: quanquam non est destinatus a Deo ad gubernationem politicam aut ecclesiasticam, ubi requiritur maxima vis ingenii et consiliorum, tamen ad curam domesticam ordinatae sunt. Quo diutius enim deliberant de rebus magnis et arduis, hoc magis involvunt et impediunt negotia. Sed primus impetus naturae in periculis subitis solet esse optimus et felicissimus.

Sic igitur fallitur pater commento muliebri, ac honestissima ratione et specie deluditur. Non enim audet scrutari ea, quae natura ipsa occultavit, neque habet, quod opponat amplius, sed deterretur pudore naturali. Deus autem cooperatus est: avertit enim sensum ejus percussitque eum caecitate, ut non exploraret diligentius. Credit esse verum, quod dicit filia, se propter morbum seorsim voluisse sedere. Deinde non erat verisimile, quod sederet su-

per idola; non enim putavit, id fieri posse per valetudinem. Nihil minus vero credidit, quam quod filia, domi suae educata, surriperet deos et cultum divinum patris, et tam contumeliose tractaret, ut sub stramenta camelorum collocaret, et super ea sederet. Non sic vilipenderet meam religionem filia, cogitavit, in qua fuit educata a teneris annis. Sic se ipsum pulcherrime ludit, filia mendacium addidit, non jocosum, nec perniciosum, sed valde officiosum et necessarium, ut praeberet occasionem patri se ipsum fallendi.

Hoc est igitur opus et gubernatio Dei in periculosis casibus et factis sanctorum. Nisi enim ipse percuteret adversarios avaritia ac caecitate, et luderet sensus eorum, ut non cogitarent ea, quae maxime cogitanda erant, saepe etiam astutissime cogitata nihil proficerent. Mira autem res est, Rahelem ita fuisse confirmatam, ut idola, quae antea habuerat sacratissima, potuerit contemnere, nulla ratione habita periculi, quod imminebat ab irato patre. Nam nos quidem majore reverentia tractamus templa, imagines, aras nostras, quam Rahel idola patris sui, quae abdit stramentis, et subjicit corpori suo. Et est mirabilis oratio, qua excusat se patri, quod non assurgat ei. Alloquitur patrem, et tamen non patrem, sed dominum nominat: „Ne irascatur dominus meus" etc. Hoc sane grave peccatum est, quod non reveretur et honorat patrem pro eo ac debebat juxta quartum praeceptum. Neque adeo infirmae sunt mulieres, quando patiuntur menstrua, quin possint surgere aut ingredi.

Moses non frustra hoc commemorat. Ac videtur propemodum sic sonare, quod irriserit patrem

tanquam idolatram, qui tam sollicite et furenter inquirat statuas; sed nihil affirmo. Potuit etiam ob hunc causam facere, ut esset major simulatio et species, quasi non solum paratissima esset ad assurgendum patri tanquam filia obedientissima, sed etiam ut ancilla erga dominum se gerat timore et sollicitudine servili, eo quod impediatur adversa valetudine, quominus debitam reverentiam patri exhibere possit. Mulieres enim in sacris literis solent maritos suos vocare dominos, liberi non item. Pater mi, inquit Elisaeus ad Eliam. Sed quaecunque tandem causa hujus appellationis fuit, ad fucandum et ornandum mendacium accommodata fuit. Laban autem frustra et minitando, et scrutando tabernacula singula insaniit. Opponet igitur Iacob aliam refutationem conviciorum ejus acrem et prolixam; vicissim enim faciet congeriem suorum meritorum et ingratitudinis Laban.

Et iratus est Iacob, rixatusque est cum Laban, et ait: Quae iniquitas, aut quod peccatum meum, ob quod sic exarsisti post me. Contrectasti omnia vasa mea, quid invenisti ex omnibus vasis domus tuae? Pone hic coram fratribus meis, et fratribus tuis, et judicent inter me et te.

Tandem excandescit Iacob, fretus admonitione et increpatione divina ad Laban facta. Movetur enim indignitate rei; et tamen magis confidit judicio divino, quam sua innocentia, ex illo sumit animum et consolationem. Et hoc vult dicere: Deus vidit humilitatem et afflictionem meam, et increpavit te ob tyrannidem, quam adversus me exercuisti. Si enim

fuissem

fuissem ego reus alicujus sceleris coram Deo, ego reprehensionem illam tulissem, non tu. Iam vero certus sum de mea innocentia, ac scio, Deo probatos fuisse labores servitutis meae, tuam vero ingratitudinem et omnes actiones ei displicuisse. Haec est fiducia et gloria Iacob, quod habet pro se judicium Dei, justificantis ipsum et condemnantis adversarium. Accedit autem experientiae et conscientiae Laban testimonium firmissimum; totius enim vitae curriculum, et suae et soceri, describit, et probat, eo quoque convinci Laban injustitiae et crudelitatis.

Respondet igitur „stulto secundum stultitiam suam", sed ita, ut servet illud, quod addit Salomon (Prov. 26, 4. 5.), „ne similis ei fiat, sed ne stultus videatur sibi sapere". Iubet enim Salomon, ut erudiamus, arguamus, increpemus opportune, importune peccatores et stultos, ne videantur sibi sapientes, hoc est, ne maneant in ea opinione, quasi recte fecerint peccando. Sed proponendae sunt increpationes divinae, ac vita et malefacta ipsorum aperienda, ut sentiant, se deliquisse, et agant poenitentiam. Qui vero sic increpat stultum, ut fiat ei similis, ut si velim certare mendaciis, calumniis cum eo, tum fierem ei similis: sed sic objurgandus est, ut confundatur in sua stultitia. Et hoc est judicium divinum: tua conscientia et tota vita ante acta te redarguit, vide, ut agnoscas culpam etc. Ejusmodi reprehensione utitur Iacob adversus Laban. Quid feci, inquit, quae mea transgressio, quod peccatum meum? Congessisti in me maxima plaustra conviciorum et criminum, clamasti, me furem, abigeum, sacrilegum, religionis tuae eversorem esse.

Horum unum tantum ostende et proba, et luam ego dignas poenas. Quodsi non potes, jam tuam levitatem et mentiendi libidinem prodis; nam silentio tuo fateris, mentitum te esse, quin et divino et proprio testimonio conscientiae tuae convinceris. Nihil potes afferre, in quo peccaverim, aut quicquam eorum, quae facere debebam, omiserim. Tota increpatio tua calumniosa, ementita et furiosa fuit; tuo enim ipsius judicio confunderis et condemnaris. Ego vero testem habeo innocentiae meae Deum, et tuam ipsius conscientiam, also soll man den Narren mit Kolben lausen.

Ubi nunc fuci illi verborum et confictorum criminum: Furatus es cor meum, fugisti, qualia supra magno stomacho jactavit? Evanuerunt sicut fumus. Atqui stolidus Laban hoc noluit intelligere, cum moneret eum Dominus in somnis, ne quid durius adversus Iacob loqueretur. Ideo Iacob hic glossam addit, et explicat sermonem Domini: Tu injuste et stulte me reum egisti tantorum scelerum. Et ea omnia, de quibus me accusas, rectius in te competunt. Hoc enim dixit Deus, et tua conscientia testatur.

Ita depexum dari oportuit stolidum Nabal, ut videret, se errasse, idque est respondere stulto de stultitia ejus, ne sibi videatur sapere. Non enim dissimulanda sunt convicia Satanica adversus pietatem et Deum ipsum conficta, sed sunt traducenda et refutanda. Ac talis refutatio non est peccatum, non est ira injusta aut reprehendenda, sed sancta et justa, et zelus pius, qui irascitur impietati et peccato. Prosunt autem tales objurgationes, ne perseverent homines in erratis aut delictis, et maneant

mancipia Satanae, qui eos impulit et obsedit; sed arguenda sunt, ut convertantur, et liberentur a tyrannide Satanae. Sicut nos insectamur Papam tanquam Antichristum et seductorem orbis terrarum, traducimus et damnamus impietatem et idolomaniam omnis generis. Non privata cupiditate incitati ei irascimur, sed zelo justo et fervore conscientiae ad vindicandam et tuendam gloriam Dei.

Urget autem Iacob socerum, et obturat ei os interrogando: Quid peccavi? Quid commerui? Quae mea iniquitas? Hic commendo Hebraeae linguae peritis, ut differentiam duarum dictionum inquirant: פֶּשַׁע et חַטָּא. Colligunt enim Rabbini tredecim vocabula, quae omnia significant impietatem ac transgressionem, quae non sunt hujus loci. Haec duo autem, quibus Moses utitur, sic distingui solent: פֶּשַׁע significat culpam omissionis, חַטָּא peccatum commissionis, et complectuntur originale peccatum. פֶּשַׁע significat omittere facienda, חַטָּא facere omittenda.

Sic 4 Regum 1. (2 Regg. 3, 5.) dicitur: „Praevaricatus est Moab in Israël“. Erant enim Moabitae tributarii populi Israël; sed praevaricatus est, hoc est, desiit obedire et solvere tributum. Item, Isaiae 1. (v. 4.): „Praevaricati sunt in me“, hoc est, debebant revereri me, et mihi obedire tanquam parenti; sed negligunt obedientiam mihi debitam. Adoptavi eos in filios, ut servirent mihi, sed deficiunt a me, et eligunt Deos alienos. Hoc, quod minime debebant facere, faciunt, et quod debebant pro officio facere, omittunt. Item, Ier. 2. (v. 13.): „Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt, fontem aquae vitae, et foderunt sibi cisternas“. Me

debebant colere tanquam fontem vivum, sed omittunt, lassen mich fahren. Deinde alios fontes quaerunt. Hoc non debebant facere.

Sic Iacob hic inquit: Duo sunt, propter quae potuisses me reprehendere. Si quid commiserim, quod non decuit me facere, aut omiserim, quod mei fuisset officii. Alterutrum horum ostende. Dicis, me abjecisse obedientiam, furatum idola, rapuisse filias, quae sunt manifesta mendacia: et tu ipse dictis et factis cogeris meam innocentiam comprobare. Accedit huc testimonium divinum et tua conscientia. Quin tu ipse utriusque peccati reus es; peccasti enim omittendo, quae ad honorem et remunerationem mei et filiarum pertinebant, non dotem, non portionem ullam haereditatis dedisti: deinde commisisti peccatum insequendo et machinando nobis malum. Haec sunt gravissima scelera, quae profecto agnoscere te et veniam eorum petere decet.

Ita gloria Laban in summam ignominiam versa est. Ac jam per species flagitia ejus enumerat. Exarsisti adversus me, inquit: non simpliciter me insecutus aut persecutus es, sed inflammatus et furens prae iracundia. Id enim significat alias דָּלַק, sicut Psalm. 7. (v. 14.): „Sagittas suas ardentes effecit, ignitas": er will Feur schieſsen, ein Stadt anzünden. Ita non solum extensive, vel dilatando culpam ejus auget, sed etiam intensive: Persecutus es me, inquit, cum turba cognatorum et amicorum ardens et furens, libenter gladios et tela ignita in me torsisses, in modum obsessi a Daemone.

Satis acerbe eum objurgat, quasi diceret: Cum in me neque omissionis, neque commissionis peccatum inveneris, certe non debuisti tam furiose et ar-

denter me persequi, sed recordari nostrae conjunctionis, quod ego tibi sim gener, filiae tuae sint meae uxores. Sed nulla ratione habita pietatis tam rabiose insanivisti adversus nos, ut oblitus fueris, te esse parentem filiarum. Ego vero si non gener essem, tamen sum consobrinus; es enim mihi avunculus, non tantum socer. Non potuisset igitur arctius vinculum necessitudinis inter nos intercedere, nisi ex te natus essem. Et si mortuus fuisset Iacob, Laban fuisset pater legalis: ita consanguinitate pariter et affinitate juncti sumus. Sed contra omnia officia pietatis non solum nullo munere nos ornas, sed insuper spoliare iis, quae divinitus concessa sunt, studes.

Ideo recte dicit: Non humano more irasceris aut saevis, sed plane Diabolica et infernali furia percitus es, steckts voll höllisch Feurs, et ardes contra innocentes et conjunctissimos. Mihi si probus et honestus gener contigisset, et filius degeneraret, transferrem sane a degenere filio in generum omnem substantiam meam. Sed Laban invertit et pervertit omnium officiorum et totius naturae ordinem. Expilat honestissimas filias et optimum virum, generum suum. Hoc primum fuit.

Addit autem Iacob et exaggerat amplius: Contrectasti omnia vasa, id est, omnes res meas. Neque id sapientem aut liberali ingenio praeditum decet, praesertim in rebus filii aut filiae. Turpe enim est singula perlustrare, attrectare et examinare paene ad vivam cutem, ac si essent inimicissimi. Imo adversus hostem nemo sic se recte gesserit. Verum age, quid profecisti? inquit, aut quid invenisti exploratione tam diligenti, nisi quod ostendisti, te sine causa insanire? Ac si meo judicio parum mo-

veris, nec potes statuere, tunc an ego insaniam, age ad arbitros res deferatur, dijudicent inter nos fratres nostri, beut ihme Recht an. Sed convictus et confusus Laban suo ipsius judicio ne mutire quidem audet.

Sic nimirum debent tractari impii et hypocritae. Iustus autem alsolvitur, et impius traditur pro eo. Nam quod aliis machinabatur malum, in caput ipsius redundavit. Sicut dicitur, Psalm. 7. (v. 17.): „Convertetur dolor in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet".

Sed quaestio est de fratribus, quid velit Iacob, cum inquit: „Pone hic coram fratribus meis et tuis"? Unde habet Iacob fratres in hac peregrinatione, si quidem solus servivit viginti annis? Et infra fratribus dixit: „Colligite lapides". Mea haec sententia est (quando enim non habemus manifestum textum, divinandum nobis est, et qualescunque cogitationes aut sententiae eruendae sunt): Mesopotamia tota videtur fuisse pascua, et homines fuerunt dediti, sicut etiamnum, pascuis pecudum. Ergo per omnes villas et oppida fuerunt pastores. Et verisimile est, Iacob habuisse in sua familia multos cognatos ex domo Laban, qui ipsi servierunt, perinde ut socero. Ac fuerunt distributa ministeria, pars Iacob serviit, pars Laban. Qui autem profecti sunt cum Iacob, fuerunt haud dubie boni et pii, sicut supra in familia Abrahae dictum est de Hagar et servo Abrahae, qui adjunxerunt se ei propter religionis puritatem.

Intelligit igitur fratres, qui fuerunt ex cognatione Nahor et Thare. Illi redierunt cum Iacob in patriam: et habuit eorum opera opus in pascendis gre-

gibus. Duae enim uxores fuerunt occupatae in fovendis et curandis liberis, quorum aetas adhuc erat tenera et infirma. Solus vero non potuit pascere tam amplum gregem: opus fuit famulis et famulabus: eos appellat hoc loco fratres, Age ergo, inquit, deligamus utrinque aliquot ex cognatis nostris et consanguineis, quorum arbitrio componatur haec lis. Est aequissima conditio: atque ita confutatur Laban auctoritate divina, propria conscientia, vita ante acta et testimonio publico omnium hominum, et quidem fratrum, adeo ut convictus et confusus nihil inveniat prorsus, quod respondeat.

En viginti istis annis fui tecum, oves tuae et caprae non fuerunt steriles, arietes gregis tui non comedi, a feris laceratum tibi non attuli; ego peccati illius reus eram. E manu mea requirebas, si quid vel interdiu, vel noctu furto surreptum fuerat. Interdiu consumsit me aestus, noctu vero gelu, fugitque somnus ab oculis meis. Sic viginti annis in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis, et immutasti mercedem meam jam decies.

Iacob non solum objurgat socerum, sed exprobrat etiam, et exaggerat per omnes circumstantias horribilem ejus ingratitudinem et servitutem crudelissimam. Commemorat enim et amplificat sua merita et beneficia, ut augescat improbitas et ingratitudo Laban. Proponit autem Moses exemplum et ideam perfectissimam servi optimi et fidelissimi, cujusmodi non extat alibi in ullis historiis. Hodie

autem quam tristes et nimis usitatae querelae sunt omnium patrumfamilias de perfidia et improbitate servorum?

Tanta diligentia, inquit, servivi tibi, ut oves et caprae tuae nunquam fuerint steriles. An vero possunt hoc praestare pastores, ut pecus non fiat sterile? Est omnino multum situm in fide et diligentia opilionis. Nostrorum enim opilionum nequitia nota est, qui possunt efficere sive malis artibus, sive negligentia, ut oves patrumfamilias moriantur, sterilescant, marcescant: et e contra, quas ipsi habent proprias, multum lactis, caseorum, lanae praebeant, fetus multos edant. Ideo plurimum momenti est in virtute et fide pastoris, ne admissuram et curam pecudum negligant, qua adhibita naturaliter fit, ut oves fetificent.

Tuae igitur oves, inquit Iacob, fuerunt fecundae; hoc mea fide et diligentia effectum est, ut esset fetificatio gregum copiosa. Viginti annis nunquam fuerunt steriles. Nam in illis regionibus, sicut in quibusdam partibus Italiae, oves bis solent parere: ad eam rem magna cura opus est, ne admissura pecudum negligatur. Est igitur exemplum fidelis servi prorsus incomparabile. Quomodo vero non locupletaretur Laban etiam stertens et otiosus, cum nihil aliud ageret servus fidelissimus, quam ut augeret commoda domini sui?

Secundo: „Arietes gregis tui non comedi". Id enim licitum est pastoribus, ut pecudem aliquam mactent interdum, aut saltem lacte aut caseis vescantur, et pellibus aut lana vestiant et tegantur. Sed Iacob noluit his frui, sed potius cum suo dispendio in commodum domini cedere omnia voluit. Itaque

non frustra Rahel supra dixit, patrem comedisse aut insumsisse pretium suum.

Tertio: „A bestiis laceratum non attuli tibi“. Non licuit id facere, quanquam optimo jure non debuisset in rationes referre ea, quae a lupis aut aliis bestiis lacerata fuerant. Nec potui ego tam diligenter servare gregem, ne interdum lupus unam aut alteram pecudem raperet: ideo ego jacturam illam non debebam praestare: sed quia objiciebas, mea incuria id factum, qui passus essem, lupum grassari in ovilia, ideo cogebar ego fatisfacere. Ita Laban nihil damni fecit, neque admissura neglecta, neque esu carnium, neque laceratione bestiarum: ego peccabam, inquit, id est, eram reus, ich mufsts gethan haben, ego cogebar satisfacere et rependere, quicquid perierat. Haec profecto fuit durissima servitus et tyrannis, etiam hoc solvere, quod summa custodia et diligentia non potest servari. Tamen intra parietes saepe non potest caveri, ne vel canis rapiat, aut voret, aut aliud damnum det. Mirum autem est, unde habuerit Iacob hoc, ut rependeret et restitueret, quod de numero perierat? Non possumus id ex historia colligere; divinare autem licet. Aut enim Isaac pater misit ei pecuniam, aut solvit Laban pretium aliquod exiguum, quod quidem in hos usus paene totum insumsit, ne quid caperet detrimenti avarus dominus.

Quarto: „Furtum meum de die, furtum meum de nocte“. Sic enim est in Hebraeo, quamvis Rabbini dicant, י hoc loco esse otiosam literam. Sed ego Rabbinis non adsentior in omnibus. Et est sensus: Quicquid homines furabantur interdiu et noctu, id mea culpa et incuria ablatum judicabatur. Cogebar

sancire et implere numerum, sive a bestiis, sive furto ablatum esset. Tibi nihil decedebat, ne pugillus quidem lanae: mihi omnia praestanda erant, quicquid detrimenti accidebat. Ita prorsus aliena cura, labore, sudore, imo injuria et jactura fidelissimi pastoris locupletatus est Laban. Maledicta autem est substantia, quae sudore alieno et cum tyrannide aliorum paratur. Egregie igitur rhetoricatur Iacob, et praedicat ei legem, ut perducat eum ad agnitionem sui peccati. Sed hypocrita solus justus est, nec videtur sibi ulla ratione delinquere posse. Ideo impossibile est, tales ad agnitionem peccati et veram poenitentiam perducere.

Quinto: „Interdiu consumsit me aestus, noctu vero gelu" etc. Id quatuordecim primis annis fuit tolerabilius aliquanto, quam posterioribus sex, cum sibi etiam et uxoribus et liberis suis serviret ad suas res augendas, et ad prospiciendum domui suae. Fuit igitur admodum grave, simul aestum et frigus et insomnium ferre: opus enim habent corpora quiete et somno, ne nimia defatigatione exhauriantur. Sed cur tantum passus est? Quia fures et lupi non curant aestum aut frigus, nec tempus nocturnum vel diurnum. Ideo cogebar ego excubare ad gregem noctes atque dies, non audebam excusare aestum, non frigus nimium, ich mufst fort. Et haec omnia cedebant in tuum commodum ac lucrum, me duriter laborante et sudante, ut stertente te greges tui accrescerent.

Hujus vero tam admirabilis fidei par exemplum ubi hodie invenias? Nam et nobiles, et rustici, qui rei pecuariae student, queruntur omnes de perfidia opilionum, atque ita ajunt, dominorum pecudes sca-

bie, sterilitate et aliis malis laedi, a bestiis item lacerari; opilionum oves non item, propterea quod illarum minor cura est, et ex dominorum incommodis sua comparant et sarciunt commoda. Ac vulgo recitant sive fabulam, sive historiam: opilionem quendam a nobili raptum esse ad supplicium propter scelera et furta. Cum autem jam agendus esset in crucem, interrogatum a nobili, an sciret alium opilionem probum et fidelem, quem praeficeret rei pecuariae, negasse, se quenquam scire, et esse omnes ejusdem farinae, imo alios aliquanto nequiores. Hoc responso motum ferunt nobilem, ut incolumitate concessa retineret opilionem, cum meliorem alium neminem invenire posset.

Nostrorum igitur temporum et servorum mores egregie illustrant virtutes et fidelitatem hujus pastoris Iacob. Est enim prorsus singulare exemplum, et apparet, quantae sint hodie difficultates in oeconomia in tanta perfidia hominum. Ferenda vero haec sunt et mussitanda incommoda, donec evocet nos Deus ex hac vita in meliorem, et de sceleribus improborum poenas exigat. Talem enim fidem praestare, quam Iacob domino iniquo fideli *) praestitit, nemo potest, nisi qui in Deum credit, et totus ex fide verbi pendet.

Amplius addit Iacob: „Postquam servivi tibi quatuordecim annis, et insuper sex pro ovibus, quae mihi cederent loco mercedis, eo sexennio decies mutasti mercedem meam“. Non fuit contentus, quod quatuordecim annis ejus opera et fide locupletatus esset; insuper etiam mercede debita voluit spoliare. Auget igitur Iacob, quantum potest, objurgationem, ut excitet eum ad agnitionem suae iniquitatis; sed

*) *lege: fideliter.*

habet cor adamante et incude durius. Atque inde apparet, quanta patientia, quanta fides fuerit Patriarcharum. Sunt et martyres plurima et atrocissima perpessi, sed nulla est comparatio ad durissimos labores et pericula Patriarcharum. Ingens enim patientia est, sustinere viginti annis tantam tyrannidem. Quomodo autem facta sit haec mutatio mercedis, supra dictum est.

Nisi Deus patris mei, Deus Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, nunc quoque vacuum me dimisisses. Sed afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et redarguit heri.

Deus vidit afflictionem meam, et redarguit. Absolute enim in Hebraeo ponitur, sine accusativo, Gott hats gesehen und darumb gescholten. Tam crudelis enim fuit Laban, ut non solum vacuum et nudum dimisisset, sed etiam in servitutem retraxisset, nisi divina intercessisset comminatio, sicut antea dictum est. Caeterum insignis hic locus est, cujus similem nondum habuimus, propter appellationem hanc: Timor Isaac. פָּחַד Hebraeis est timere, pavere. Psalm. 14. (v. 5.): „Illic trepidaverunt timore" etc. Hypocritae metuunt, ubi non est metuendum, sive, ut alibi dicitur (Prov. 28, 1.): „Impius fugit nemine persequente". Sic vulgo exponitur: sed de cultu intelligendum est. Quid igitur vult Spiritus sanctus, quod appellat timorem Isaac?

Non dubium est, quin significet Deum, quia addit: „Deus patris mei, Deus Abraham et timor Isaac". Conjungitur timor cum Deo; necesse est igitur idem valere, quod Deus. Ideo timor simplici-

ter hic significat Deum: sin aliud quiddam significaret, quam Deus, non conjunxisset Iacob cum Deo. Non enim transferendus est honos sive cultus Dei alio. Infinitae autem quaestiones et explicationes sunt, quare vocet timorem et reverentiam Isaac, et cur non Abrahae etiam, sed soli Isaac hoc nomen tribuat. Ego vero sequar simplicem et communem sententiam, quod sic appellarit propter insignem et singularem cultum patris sui Isaac, qui singulari pietate timuerit et coluerit Deum. Haec communis sententia est, et mihi bene placet.

Praeterea autem observandae sunt dictiones hae, quas Moses cum peculiari emphasi posuit, ut saepe alias monui. Sicut Genesis 2. (v. 21.) dicit: „Tulit costam, et aedificavit ex ea mulierem". Ibi potuisset alio, et, ut videtur, aptiore verbo uti, sed voluit hoc tanquam pleniore vocabulo significare, quod mulier sit aedificium divinum, non tantum propter mysterium ecclesiae, sed etiam sensu oeconomico, quia tota scriptura utitur hac phrasi de mulieribus, ut Exodi 1. (v. 21.) de obstetricum benedictione et remuneratione dicitur, „Deum aedificasse domos earum". Et Rahel supra dixit (30, 3.): „Ingredere ad ancillam, si forte aedificer ex ea", hoc est, acquiram prolem et posteros domus aut familiae. Nam ad hoc praecipue condita est mulier, ut in ipsa aedificetur domus, ut nascantur liberi et posteritas.

Item hoc loco dicit Iacob, redargutum Laban; id etiam significanter dictum est, sicut paulo ante Rahel de spolio divino. Diabolus enim cum malis Angelis et hominibus improbis intentus est ad omne bonum opus impediendum aut evertendum; si quid igitur fit boni, id arguendo, disceptando, conten-

dendo, rapiendo ex faucibus Diaboli et malorum hominum solet fieri. Hae et similes locutiones, quae tam signate, et, ut sic dicam, vigilanter ponuntur, diligenter notandae sunt in scriptura. Hoc loco ergo judico literalem sententiam esse verissimam, quod Deus vocetur timor Isaac propter excellentem ejus cultum. Alii sic interpretantur, quod timuerit Isaac, cum esset immolandus. Sed est alienus sensus et impius, quia Isaac non timuit, nec formidavit, sed sponte obediit patri et Deo. Non enim est terror tribuendus sanctis, sed obedientia spontanea et fortitudo. Timor enim significat peccatum regnans, quod non fuit in Isaac, sed fuit spiritus obediens. Et quanquam reluctata est caro, tamen vicit et dominatus est spiritus, qui subjecit sibi carnem.

Sed praeter hanc sententiam existimo etiam significari Christum; patres enim habuerunt hanc benedictionem distinctam a benedictione corporali: „In Isaac vocabitur tibi semen", inquit Paulus (Rom. 9, 7.), qui etiam urget emphaticum vocabulum; Ismaëlis enim benedictio erat corporalis in duodecim principibus, sed in Isaac vocabitur tibi semen, quod non est nisi Christus ipse, is est verum semen: quia patres ultra benedictionem corporalem, quam habuerunt Ismaël et Esau, principaliter in spiritualem, quae est Christus ipse, respexerunt. Intelligo ergo hic Trinitatem, et alibi etiam, ubicunque ex locis veteris testamenti mysterium id possum eruere. Ita hic timor significat Filium Dei incarnatum, quem spectarunt in promissionibus, et docuerunt Patriarchae et Prophetae. Sicut initio promissus est, Gen. 3. (v. 15.): „Semen mulieris conteret caput serpentis". Item (ib. 12, 3.): „In semine tuo bene-

dicentur omnes gentes". Hunc timuerunt et coluerunt Patres tanquam gemmam et nucleum corporalium promissionum; quae erant instar testae aut siliquae, datae ad confirmandam fidem de alenda posteritate propter Christum.

Significat ergo Spiritus sanctus, quod magno desiderio exspectaverit et coluerit Isaac illud semen. Et Iacob gloriatur hic in Christo futuro, quem coluerit pater. Meminerimus quoque diligenter, loca illa insignia referenda esse ad Christum, cujusmodi supra aliquot in promissionibus habuimus, et infra 49. (v. 10.) dicetur de Schilo venturo, qui est filius uteri, filius matricis. Nec sequamur Rabbinorum interpretationes, qui horribiliter obscurant Christum; nam patres hanc gemmam inclusam corporalibus benedictionibus diligenter observarunt et coluerunt; alioqui non dixisset hic Iacob: „Timor Isaac"; is enim est Filius Dei, Christus Iesus, incarnatus in secunda persona. Nec ideo sic dicit, quod sit alius Deus, quam Deus Abrahae, sed ad significandum mysterium Trinitatis.

Ad hunc modum mirabiliter dulcescunt haec emphatica vocabula, quae spargit Moses tanquam gemmas hinc inde in suis scriptis, modo ad Christum referantur. Nam aliae explicationes frigidae sunt et putidae, qualis illa est de immolatione Isaac.

Atque haec etiam verissima et pulcherrima ornamenta sunt harum historiarum, quibus describit Spiritus sanctus tam vilia et nihili opera sanctorum Patriarcharum, ut hypocritis et Papistis prorsus videantur abjecta et profana; sed complectuntur summam sapientiam et fidem. Ideo quicquid faciunt sancti quantumvis exiguum et sordidum, magnum est

et gloriosum, quia omnia faciunt in fide et verbo, hoc est, in innocentia et sanctitate. Ita enim inquit Christus (Luc. 8, 50.): „Crede, et salvus eris“, eris mundus et sanctus, et quae feceris, omnia erunt munda, sancta et utilia, sicut in ove nihil est inutile. Nam et fimus et ossa suum usum habent, non tantum lac aut lana. Sic murmurationes in sanctis sunt fimus ille; non obsunt autem sanctis, sed omnia cooperantur eis in bonum, quia vivunt, agunt et patiuntur in fide verbi. „Sermo tuus, inquit Christus (Ioh. 17, 17.), veritas est“. Qui apprehendit ergo et credit verbo, est verax, sanctus et justus. E contra vero omnes adversarii verbi, quamlibet in speciem sancti, sunt reprobi et condemnati.

Haec diligenter notanda sunt in consolationem et doctrinam nostram et ecclesiae, ut sciamus, vitam nostram Deo gratam et acceptam esse etiam in servilibus officiis. Id enim ignorat ratio et mundus, qui fertur in mirabiles visiones, illuminationes, speculationes, ad opera horrida et monstrosa, jejunia, vigilias etc. Hinc Monachi et philosophi apud ethnicos exstitere, qui hisce monstris praeeminere aliis voluerunt, et vulgi oculos in se convertere. Verum sapientia mundi est stultitia coram Deo.

Iacob igitur sine ulla specie operum vivit in conjugio, in servitute, et apparet esse coram Deo abjectus, sicut in mundo est miserrimus. Mundus enim non cernit, quid sit fides, et quid valeat; adeo arcana et ignota res est rationi, juxta sententiam Christi (Ioh. 14, 15.): „Mundus non potest accipere Spiritum sanctum“, nec videt, nec audit, nec ullo sensu percipit. Nos autem id agamus, ut doceantur et exsuscitentur pii ad fidem in verbum, ut

tu-

inveniantur in studio et exercitio verbi. Tum enim omnia opera, politica et oeconomica, quibus occupantur, sunt optima, sive ambules, sive dormias, seu vigiles, omnia Deo placent, quia verbum, fides et spiritus, qui in te habitat, sunt bona.

Postremo hoc etiam ad consolationem nostram pertinet, quod dicit Iacob, affuisse sibi Deum patris sui etc. et respexisse afflictionem suam et laborem manuum suarum. Quid enim aliud est labor manuum ipsius, quam exsilia, infirma, sordida officia, quae in eo hactenus tanquam opilione quodam descripta sunt? Ea voluit proponi Spiritus sanctus ecclesiis et fidelibus pro exemplo et confirmatione, ut certo scirent, Deum ad omnia sanctorum et piorum opera respicere, quin capillos singulos in numerato habere, ut supra aliquoties dictum est. Tanta est sollicitudo et cura erga eos, qui audiunt verbum eique credunt.

Necessaria autem inprimis haec consolatio est ecclesiae, quia Diabolus cum toto mundo et carne nostra affligit et exagitat eos miserabiliter, qui habent verbum. Ideo non est exspectanda consolatio aut defensio a mundo et principibus mundi, nec a nobis ipsis petenda carnalia consilia, quia sunt inania. Qui vero quaerunt aut exspectant ejusmodi auxilia, experiuntur hoc, quod in Psalm. (116, 11.) dicitur: „Omnis homo mendax“. Item (ib. 146, 3.): „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus“. Sed totus mundus caeco impetu fertur, et perit in vanis consiliis et conatibus suis, quia non vult pati persecutionem Diaboli, impiorum et carnis. Ideo oportet Deum respicere et curare suos, qui omni ope consilioque destituti

oculos in verbum ejus defixos habent; illi enim ferunt crucem et aerumnas, sicut Iacob non solum excruciatur a Diabolo, sed ab ipso socero et consanguineo. Discamus igitur haec et observemus, quod numeret Deus omnes nostras actiones et cogitationes, quantumcunque exiles et abjectas, modo in eum credamus. Si enim curamus ejus verbum, ipse vicissim nos curat in omnibus adversitatibus, quae a mundo et Satana objiciuntur.

Respondit Laban, et dixit ad Iacob: Filiae istae filiae meae, et filii isti filii mei: sed et greges isti greges mei, et quicquid tu vides, meum est. Filiabus istis meis quid faciam hodie, aut filiis eorum, quos genuerunt?

Hactenus Moses exemplum et imaginem viri sancti, et optimi ac fidelissimi servi Iacob proposuit: qualia is fecerit, et quanta passus sit, quomodo conatus sit secundum caritatem adversarium suum lucrifacere et ad agnitionem peccatorum, sive poenitentiam perducere, atque ita sancti et justi viri functus sit officio. Sed quid profecerit, porro audiemus.

Describit enim Moses contrarium exemplum hypocritae pessimi: quanquam supra satis graphice eum pinxit, qualis fuerit erga generum, filias et nepotes suos, tamen nunc post admonitionem atque increpationem Dei et Iacob videamus, quantum emendaverit in moribus et vita sua. Primum dicit: „Filiae istae filiae meae, et filii isti filii mei: quid illis faciam"? Ei du heiliger Mann, S. Laban. At ibi verbum nullum poenitentiae aut confessionis. Non dicit: Mi Iacob, agnosco et fateor peccatum; cra-

delius enim et minus paterne te tractavi, nec, ut decuit, me erga te et filias gessi. Hoc verbum haud unquam hypocritae extorseris, nisi valde raro, quia hypocrita est tale monstrum, quod est simpliciter impeccabile, ut sic dicam, et inconvertibile. Hypocrita non videtur sibi peccare aut hallucinari posse, etiamsi ita admoneatur de delicto et errato, ut manibus id palpare queat.

Hanc enim ideam propositam habemus in aliis etiam, in Pharaone, in Saule. Aut si quando verbis peccatum fatentur, tamen raro aut certe hypocritice et simulanter id faciunt: solus sanctus, solus justus est peccator. Quin etiam civiliter injusti non peccant, praesertim si auctoritate aut tyrannide sunt circumdati. Heinz Mordbrenner, B. von M., Doctor Jeckel und Grickel thut nicht unrecht, inter homines justi sunt et sancti. Magna vero haec tentatio et indignitas est, quae carnem vehementer offendit et cruciat; sed ista exempla nobis scribuntur in consolationem et confirmationem, ut sciamus, non aliter posse fieri, quin cum talibus hypocritis vivamus, eoque majore animo perversitatem istam judiciorum carnalium perferamus: solus Iacob est peccator, Laban autem est justus. Sic nos Witebergenses soli sumus peccatores, quanquam reddimus rationem doctrinae nostrae omnibus poscentibus, probamus, defendimus, revellimus et convincimus adversarios suo ipsorum judicio et conscientia: tamen nihil proficimus. Ipsi sunt justi, nos sumus impii. Qui haec non potest ferre et perpeti, non potest esse Christianus. Sie müssen Recht haben, Christus und Christen haben Unrecht.

Iam vero verba Laban videamus, quae non calumniose, sed candide interpretabimur, non secun-

dum animi ejus sententiam, qua superbe et ignominiose omnia dicta videntur. Nam quod dicit, filiae istae filiae meae, verum quidem est, sed illae jam datae erant Iacob in uxores. Pecudes item erant merces ejus magno sudore parta. Mentitur igitur, et sic rectius possem interpretari: sed non sequar duriorem sententiam: tanquam paterno animo prolata verba accipiamus: A me habes omnia, mi fili, ego sum pater, cur nocerem meis? Dedi tibi filias, oves et boves, omnia meo beneficio adeptus es, benedicat tibi Dominus, ut crescas et fruaris tuis pie et feliciter, sis beatus. Sic enim sincerus et bonus parens solet loqui ad filias, ad generum, ad nepotes. Iisdem verbis utitur hypocrita; sed sunt ficta et simulata omnia, quod duobus argumentis demonstrabimus.

Primum non agnoscit culpam et rapinas, quas objecit ei Iacob. Accusavit eum furti et aliorum gravissimorum scelerum et immanitatis erga se et filias; sed nihil horum agnoscit aut fatetur, sed est justus. Proinde etsi utuntur tales hypocritae verbis candidorum hominum, sicut Laban pulchre imitatur verba boni et fidelis patris, tamen non loquuntur ex animo. Ipsi non sunt candidi. Deinde decebat patrem, ut aliquod munusculum offerret filiabus et nepotibus. Mea Rahel, en habes pro veste aureos decem etc. Tu Ruben in memoriam avi tui a me hoc accipe etc. Sed nec peccatum confitetur, neque quicquam muneris largitur in testimonium paterni amoris et benevolentiae. Sunt comparata omnia ad decipiendum et fallendum optimum virum, ut uxores et fratres suum judicium de Iacob mutent, omnium injuriarum obliviscantur et praedicent

humanitatem soceri. Sed fructus monstrant arborem. Deus enim ante omnia requirit confessionem et restitutionem ablati: deinde ut aliquod specimen benevolentiae et caritatis non fictae praebeat. Sed nihil horum fit, perseverat justus hypocrita in sua justitia, et tamen nullum signum justitiae edit, neque affirmative, neque negative: ita objurgatio Iacob est inanis et irrita. Hoc primum est, quod candide, sicut diximus, interpretamur, omissa acerbiore et odiosa sententia. Pergit vero, et jam etiam religiosus fit et sanctus. Non eo contentus est, quod justitiam suam adversus Iacob injustum defendit, quasi nihil in eum peccaverit. Iam igitur in coelum ad choros Angelorum evehendus erit.

Nunc igitur veni, et percutiamus foedus, ego et tu, quod sit in testimonium inter me et te.

Repetit hypocrita et inculcat saepissime hanc particulam: „Sit in testimonium inter me et te“: sicut ostendet tota narratio. Sic enim solent hypocritae, cum nihil habeant fructuum, abundant tamen foliis, sicut maledicta ficus. Magno taedio subinde hoc iterat: Testis inter me et te sit Deus, mons, tumulus, statua etc.; sed nihil rei nec veri subest. Ad haec artificia hypocritarum adsuescendum est iis, qui volunt vivere in mundo.

Iamque incipit sanctissimum virum onerare invidia et suspicione; fingit enim, se timere Deum, et se etiam Iacob tanquam parum religiosum suis monitis velle ad timorem Dei excitare. Vult inire foedus coram Deo, erigere statuam, et valde anxie cum eo transigit de limitibus, ne eos transiliat Iacob, et

sibi damnum aliquod det. Sed quorsum ista sollicitudo attinet apud eum, cujus fidem et diligentiam viginti annis probe cognitam et perspectissimam habebat? Quid opus est fidelissimum generum obligare juramento, et tam religiosa pompa foederis? Antea filias dederat uxores, et fidem ei habuerat in re familiari procuranda. Cur metuit nunc in terra aliena agentem?

Nihil aliud est, quam fucus et pompa inanis, qua conatur sanctissimum virum deformare et suspectum reddere, quasi ab eo periculum sibi immineat; arrogat sibi innocentiam et justitiam, et simulat magnum metum a pessimo Iacob, quasi cogitet ipsi inferre injuriam. Si fuisset bonus et candidus, sic potius dixisset: Vade, mi Iacob, Dominus tibi benedicat cum tuis; si potero rebus tuis commodare, faciam id summa voluntate. Ac si quid periculorum aut difficultatis objicietur, significa, et senties, te paterne a me diligi et amari: nunquam deero tibi et suavissimis filiabus et nepotibus meis. Sed nihil promittit, imo insuper onerat Iacob invidia, dum fingit, se ab eo metuere: quia id agit, ut sit speciosus in sanctitate et religione, Iacob autem suspectus omnibus reddatur de studio nocendi. Ita cum nequeat eum convincere et redarguere ob aliquod delictum, cavillando tamen notam aliquam ei inurrere conatur, ut abeat cum suspicione injuriae et impietatis.

Sed et hoc mihi in mentem venit, fuisse Laban aliquo modo consternatum more impiorum, qui sibi male conscii sunt, et ad strepitum folii solent expavescere et trepidare, sicut Salomon inquit (Prov. 28, 1.): „Fugit impius nemine persequente", et

poëtae de Oreste, furiis agitato, commemorant, estque insignis descriptio apud Iuvenalem eorum, qui laborant carnificina illa conscientiae: Cur tamen hos tu evasisse putes, quos diri conscia facti mens habet attonitos? (Sat. 13, 192.) etc. Hi sunt, qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent. Haec enim est poena conjuncta peccato.

Potuit igitur hoc etiam accidere, ut, tametsi sciret Laban, sibi nihil periculi esse a genero, quem fidum et bonum fuerat expertus, tamen ab aliis metueret, a parentibus aut a cognatis et amicis Iacob. Sed principale illud fuit, quod hac specie et hypocrisi se ornare, et illum praegravare studuit. Cum talibus igitur res est piis in mundo, qui fallunt corporaliter et spiritualiter, et quidem sub specie sanctitatis, justitiae, pietatis, religionis, ac triumphant tum, quando possunt nos obruere opinione religionis ab ipsis cultae et a nobis violatae. Solus igitur Laban justus est et sanctus in prima et secunda tabula. Haec est pictura et imago mundi.

Tulit itaque Iacob lapidem, et erexit illum in statuam.

Iacob promtus est ad feriendum foedus, tantum eam ob causam, ut commode et cito avelli ab hypocrita nequissimo queat. Nam omnibus piis consuetudo cum hypocritis solet esse molestissima. Ac cuilibet etiam tolerabilius est cum aperto hoste agere, quam cum hypocrita simulante amicitiam et benevolentiam, atque intus alente odium et malevolentiam. Nihil est gravius et molestius, quam cum eo conversari, cohabitare, una cibum capere, qui simul intentus est in omnes occasiones cavillandi et

nocendi, nec tamen convinci potest de vi aut fraude. Sed ferenda est ejus hypocrisis et offensiones clandestinae: quin etiam per omnia sacra jurat, se esse amicissimum, et verae peccatis *) studiosissimum. Aut si mendacii arguas, et exprobres animum tectum et vafrum, dissimulando tamen et pernegando maneat invictus. Iacob igitur simpliciter accipit conditionem, et festinat ad ineundum foedus, erigit sua manu lapidem in statuam et monumentum foederis, sic cogitans: Utinam possem avelli ab hoc nebulone. Imo hortatur fratres, ut cogerent lapides. Idem nos faciamus oportet: fugiamus hypocritarum consuetudinem, quacunque ratione id fiat.

Et dixit Iacob ad fratres suos: Legite lapides. Qui afferentes lapides tumulum excitarunt, et comederunt ibi super tumulum illum. Vocavitque eum Laban Iegar Sahadutha; Iacob vero vocavit Gilead.

Iacob fratres appellat pastores et cognatos suos, qui descenderunt ex Nahor, more scripturae. Ac potuisset quidem uterque acquiescere inito foedere, sed sanctissimus Laban magis confirmari vult. Non satis est erexisse lapidem in monumentum foederis, sed prior etiam nomen indit statuae Syriaca vel Chaldaica lingua, tantum ut perstringat conscientiam generi. Hoc enim vult dicere: En foedus percussimus, lapides congessimus, tumulum fecimus tumuloque nomen imposuimus: tuum erit meminisse hujus foederis. Vide mirificam religionem in servan-

*) leg. pietatis.

do foedere isto, cum supra pactam mercedem decies mutarit. Imo nisi redargutus esset divinitus, non foedus fecisset ullum, sed in pristinam captivitatem Iacob retraxisset. גל tumulum significat, עד testem. Respicit Iacob ad octavum praeceptum de non dicendo falso testimonio. Idem vero sonat Syriaca vox, quod Hebraea, cumulum congestum ex lapidibus, ein Huglichen von Steinen oder Erden.

Non frustra appellat tumulum testimonii; vult enim dicere: Memor esto tumuli excitati. Ille sit tibi perpetuum monumentum in auribus et corde tuo, ne obliviscaris pacificationis hujus. Eam enim si violaveris, stabit contra te in testimonium celeberrimum in coelo et in terra. Mea causa non opus fuisset hunc cumulum lapidum congeri, ego sum justus: sed a te nobis periculum est. Ita prae se fert meram religionem et justitiam, et tacite illi inurit suspicionem et notam perfidiae. Non possunt haec sine magna et justa indignatione legi; tamen non satis est nomen semel imposuisse, quin idem saepius repetat.

Dixitque Laban: Acervus iste testis est inter me et inter te hodie: ideoque vocatum est nomen ejus Gilead.

Pergit inculcare de monumento, ac diligenter omnia curat: non locum tantum, sed et tempus designat, postea etiam personas notabit. Er ist ein sehr guter Notarius, er kann das Instrument wohl verwahren. Moses autem addidit hanc particulam: „Ideo vocatum est nomen ejus Gilead“. Est enim celeberrimum nomen in scriptura sancta, in Ieremia et alibi, et transfertur etiam ad Ierusalem per

metaphoram, quae propterea tumulus testimonii dicitur, quia est civitas sancta et civitas Dei, in qua cultus et verbum et oracula Dei sonuerunt. Est collis elevatus et tumulus divinus, in quo habitaverunt multi testes Dei, qui audiverunt Deum loquentem, et de eo testati sunt confessione, praedicatione, gratiarum actione. Ad hunc modum Prophetae transtulerunt tanquam appellativum nomen ad Ierosolymam et universam ecclesiam, ubi fuerunt conventus, et sonuerunt testimonia Dei.

Sed hac repetitione nondum est contentus Laban, non satis potest munire foedus initum: sicut solent hypocritae et Haeretici. Tantum enim inanis verbositas est. Ut in Sacramentariis apparet, qui abundant copia verborum, et non possunt satis sua magnificare et ornare, nostra autem elevant et exasperant. Addit igitur:

Et Mizpah: quoniam dixit: Speculetur Dominus inter me et inter te, quando absconditi fuerimus unus ab altero.

Est etiam locus celebris in sacris literis. Postea enim nomen proprium factum est civitati non procul a Gilead, sicut patet ex Iosua. Appellative autem significat speculam, ein Wart, unde speculamur adventantes hostes, incendia aut alia etc. Non sufficit igitur tumulus testimonii; sed quia semel ausus est a me discedere, cogitavit, et abducere filias, forsan etiam aliquanto post rediret, et mihi vitam eriperet: opus erit igitur specula. Quin etiam Dei nomen et praesentiam allegat. „Speculetur, inquit, Dominus inter me et te". Non solum accipio in testimonium tumulum in terra et inter homines, sed

provoco etiam ad conspectum Dei omnipotentis, qui sit testis et inspector. Hui, quanta religio, sanctitas, constantia et veritas in cultu et invocatione Dei?

Sic nimirum audent gloriari de Deo et pietate, qui non poenitent, sed in peccatis sunt pertinacissimi et obstinatissimi. Est enim impoenitens et securissimus hypocrita iste contra sanctissimum et optimum virum Iacob, et obruit eum testimoniis coelestibus et terrestribus, quibus vult onerare conscientiam ejus. Quid igitur dicat aut faciat Iacob? Laban nimis sanctus est, et audet Deum invocare testem et speculatorem. Quando, inquit, fuerimus absconditi, hoc est, quando tu in patriam tuam reversus fueris, et ego domum rediero, et tu aliquid molitus fueris me inscio, cum non potero praevidere tuas insidias, ideo loco tutelae et munitionis relinquo cumulum istum inter me et te, deinde et speculam inter nos et Deum. Ita et Deum et homines contestatur.

Profecto satis firma haec monumenta sunt foederis. Quis negat jam, Laban esse sanctum, cum tanta fiducia invocet et nitatur auxilio ac protectione Dei? Sed tantum ad terrendum et praegravandum Iacob hoc facit, eum adjurat per omnia sacra, quem antea senserat optimum et fidelissimum. Sed sic se ornat hypocrisis, et omnes alios prae se contemnit et deformat. Deinde omnes hypocritae sunt mendaces; ideo nondum desinit, sed addit aliam obtestationem.

Si afflixeris filias meas, et si acceperis uxores super filias meas, non est quis-

quam nobiscum. En Deus sit testis inter me et inter te.

Vide poëtam ingeniosissimum in fingendis causis. Ne affligas, inquit, filias meas. Hoc praetexit tantum, et est figmentum vanissimum. Verior enim causa est, quam supra allegavit, ne aut ipse Iacob, aut cognati ejus sibi nocerent. Rursum vero praegravat virum optimum, et tecte insimulat adulterii, quasi suspectum antea habuerit de adulterio, et nunc metuere cogatur desertionem aut discessionem a filiabus.

Ah, quid faceret sanctissimus vir, tam amans uxorum et liberorum, ut propter utranque quatuordecim annis servierit, tam diu gravissimam servitutem tolerarit, alteram etiam, quam non amabat, nec sibi expetebat conjugem, duxerit, et multa praeter usitata officia generi et servi praestiterit socero suo. Hunccine quis accuset aut suspectum habeat de conjugibus inclementius tractandis?

At vero paternum affectum et στοργὴν prae se fert Laban. Ah, quid fiet de filiabus meis, cum tam procul e conspectu meo fuerint abductae? Tu vide, ut memineris hujus foederis, neque eas dictis aut factis offendas. Sic onerat Iacob virulentis calumniis, et tamen omnia simulat et mentitur. Neque vero verbum ullum audis, quo testetur, se agnoscere peccatum, aut genero et nepotibus pro injuriis illatis satisfacere velle. Fingit, se paterna cura et sollicitudine affici de filiabus. Sed nihilo mitiorem aut liberaliorem, quam antea, se praebet.

Addit et hoc: „Non est vir nobiscum“: nos duo soli juxta tumulum stamus. De eo quaeri po-

test, an fuerint soli collocuti remotis arbitris, an vero in conspectu omnium, qui affuerunt cognatorum, exclusis peregrinis. Utrunque potest intelligi, quanquam mihi magis probatur hic sensus, quod peregrinos aut alienos excludat. Quanquam igitur soli sumus, inquit, neque homines, quos formides, adsunt, tamen Deus adest inspector, qui videt, et est testis inter me et te. Omnia pertinent ad praegravandum innocentissimum hominem, si non infamia, et manifestae turpitudinis nota, saltem suspicione et invidia. Talia sunt ingenia hypocritarum: Crimine ab uno disce omnes, ut est apud poëtam (Virg. Aen. 2, 60.).

Rursumque dixit Laban ad Iacob: Ecce iste est tumulus, et ecce haec statua, quam statui inter me et inter te. Testis est acervus ille, et testis quoque est statua illa, si aut ego transiero acervum illum ad te, aut tu transibis tumulum istum et statuam istam ad me in malum.

Repetit eadem et amplificat rhetorice: sed tandem veram causam tam anxiae pacificationis prodit, postquam tot tonitrua verborum adversus Iacob effudit. Non facit mentionem filiarum, sed ostendit, se metuere, ne quid mali machinetur adversum se Iacob aut cognati ejus, qui olim velint ulcisci has injurias. Si aut non transiero, est Hebraismus: si pro ut. Ego non transibo ad te, etiamsi in extrema necessitate potus aquae frigidae tibi opus fuerit, non adero tibi, ut eum praebeam. Sin tu transieris mihi in malum, iste tumulus et statua haec te puniet: male enim sibi conscius omnia tuta timet, ne-

mini confidit, et tamen ornat se nomine et titulo religionis ac foederis.

Sed re vera trepidatio illa et pavor maxima poena est hypocritarum et impiorum. Mala enim conscientia non potest acquiescere aut tacere, est una canicula, quae Germanice dicitur Reuel; haec si in vita quiescit, tamen in morte adest et latrat. Iacob igitur suae conscientiae habuit optimum et certissimum testimonium, etiam ipsius Laban judicio tacito: sed Laban sibi conseius est injuriarum et perfidiae, qua usus est erga generum pro summis ejus beneficiis, quibus auxit rem suam familiarem. Fuit enim contentus mercede exigua, passus est, se ablegari vacuum. Cogitat igitur: Quid si memor hujus injuriae mihi cum suis amicis negotium aliquando facesset, et repetet ea, quae ipsi apud me de haereditate aut mercede debita restant. Ideo vult se praemunire, ne transeat, et turbam aut damnum aliquod det: si rediret ad pristinam servitutem et miseriam, facilius ferret. Ego vero non transibo ad te, inquit, non veniam ad te locupletandum aut benefaciendum tibi: sicut tu ad me venisti.

Deus Abraham et Deus Nahor, Deus quoque patris illorum judicent inter nos.

Wie kann der Tropf das Ding so heiſs machen. Hisce veluti tonitruis conatur sanctum virum perterrefacere, et tanquam injustum et impium nebulonem traducere, suam vero sanctitatem prorsus Angelicam ostentare; sed adsumit nomen Domini in vanum. Et garrulitas ista prodit animum hypocriticum, et jejunam malevolentiam, juxta illud, Proverb. 14. (v. 23.): „Ubi verba sunt plurima, ibi fre-

quenter egestas". Intelligit autem Laban Deum patris, quem coluit Thare et Abraham, cum esset adhuc idolatra in Ur Chaldaeorum. Eam idolatriam patrum suorum allegat, cujus fit mentio, Iosuae 24. (v. 2.): „Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare, pater Abraham, et Nahor: servieruntque diis alienis".

Hactenus ergo idea et imago hypocritae et idolatrae, qui omnia simulat, et usurpat nomen Dei in vanum. Sicut autem in hypocrita tantum inanem sonum verborum audivimus, ita e contra Iacob brevitati studet, estque plenus pietatis et optimorum fructuum: ideo paucissimis expedit omnia. Antea enim satis graviter eum objurgavit; sed quia perseverat in securitate, superbia et impietate, missum eum facit. Nihil enim aliud crepat hypocrita, quam blasphemias in Deum, et convicia adversus justum et sanctum Iacob.

Et juravit Iacob per timorem patris sui Isaac. Obtulit autem Iacob sacrificium in monte, invitavitque fratres suos, ut manducarent panem. Et comederunt panem, pernoctaruntque in monte illo. Consurgensque Laban diluculo osculatus est filios suos et filias suas, benedixitque eis, et abiens reversus est in locum suum.

Iacob non jurat in Deo Nahor aut Thare, sed jurat per propinquius numen, hoc est, per Deum, quem timet et colit pater, per Christum, juxta mandata et promissiones Dei. Nam hypocritae etiam colunt Deum, sed mandatis hominum et traditionibus. Si-

cut Isaias (29, 13.) et Christus (Matth. 15, 8.) dicunt: „Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me". Nemo labiis magis appropinquat ad Deum, nemo magis et frequentius usurpat nomen Dei, quam hypocritae. Sed Deus pronuntiat, esse eorum cultum idolatricum. Audio quidem nomen meum, nominor ab eis creator coeli et terrae: sed contra secundum praeceptum. Non enim ex corde me sic appellant, imo depravant cultum mandatis hominum. Rogant me judicia justitiae, Isaiae 58. (v. 2.) et appropinquare Deo volunt. Non volo coli humanis cultibus et doctrinis, sed in timore mei, hoc est, ut verbum meum amplectaris fide. Sicut dicitur, Isaiae ultimo (v. 2.): „Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos", ab illis volo coli. Item, Isaiae 8. (v. 13.): „Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem".

Si igitur Christus debet esse timor noster, hoc est, quando debet a nobis coli, tum necesse est, ut habeamus verbum et promissionem Dei. Talis timor aut pavor est verus cultus, qui efficit in nobis, ut contemnamus alios pavores et terrores omnes, sicut inquit Isaias (8, 12. 13.): „Timorem eorum ne timeatis, neque paveatis, sed Dominum sanctificate"; is praeclare vos tuebitur, eum cogitate esse metuendum, reverendum, colendum, qui loquitur vobiscum. Hoc si facitis, tunc ego Dominus sum timor vester. Habetis enim verbum certum et firmum, quod cum retinueritis, non errabitis in cultu divino.

Ad hunc modum intellexit Isaias hunc locum, cum vocat Deum pavorem sive timorem nostrum,

propter

propter cultum, qui exhibetur Deo secundum praecepta et promissiones ejus, non tantum labiis, ut hypocritae timent et colunt, sine verbo, in mandatis hominum. Hac igitur fide et confessione sacrificat Iacob, quod non facit hypocrita. Videtur enim sibi melior et sanctior, quam ut opus habeat sacrificio aut invocatione Dei; justificat enim iniquitates suas. Iacob autem agit gratias Deo, sacrificat et apparat convivium, quod requirebatur ad sacrificium, convocat amicos, et ibi habuit concionem haud dubie. Laban nihil curavit sacrificium, quanquam fortassis una convivatus est. Iacob vero laudat Deum et timorem patris sui, hoc est, Christum, quod ab isto nebulone liberatus est. Finito convivio discedit Laban: nun sein wir des losen Tropfen auch los.

Priusquam vero discedat, osculatur hypocrita filios et filias, non affectu et animo paterno, sed simulatione quadam humanitatis et comitatis, quam omnium gentium moribus et consuetudine servari decet. Dimittit enim eos sine ulla remuneratione. Verbis valedicit, sed alit intus in corde invidiam et odium acerbissimum, quo ne haec quidem eis favere potest, quae divina benedictione absque ipsius munere acquisiverant. Hae igitur sunt duae imagines contrariae hypocritae crudelissimi, qui sine fine peccat, et est exemplum omnium scelerum, idolatriae, hypocrisis, avaritiae et impoenitentiae finalis, deinde optimi ac sanctissimi viri, cui fuit conflictandum cum ejusmodi portento tam longo tempore.

TRIGESIMUM SECUNDUM CAPUT GENESIS.

Iacob vero profectus est itinere suo. Et facti sunt ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidisset Iacob, dixit: Castra sunt haec Dei. Et vocavit nomen loci illius Mahanaim.

Postquam abiit Laban, sanctissimus Patriarcha Iacob liberatus gravi et diuturna molestia et servitute soceri, gaudet, sibi tandem post finitam tribulationem rursus pacem et consolationem esse redditam. Ac pergit in itinere instituto, ut revertatur ad dulcissimum parentem Isaac, jam diu senio confectum.

Ait autem Moses, inter eundum obviam ei factos Angelos, quibus conspectis magno gaudio agnoverit castra et exercitum Dei esse, nomenque loci illius appellarit מַחֲנַיִם, quia dixerat: Iste exercitus est exercitus Dei: quanquam Latine Hebraeam vocem per numerum singularem reddere non possumus. Est enim nomen plurale, vel potius duale, qui numerus et Graecis usitatus est: מַחֲנַיִם duo castra. Et sunt verba laetantis et triumphantis Patriarchae summa fiducia et securitate propter pacem divinitus sibi donatam, quasi diceret: Iam Angeli apparent, coelum ridet, imber et hiems transiit, jam affulget clarissima et serenissima lux.

Ad hanc ergo tacitam laetitiam, quia defunctus est jam omnibus molestiis et difficultatibus, insuper etiam hoc accedit, quod habet obvios Angelos et castra Dei. Antea vero etiam testatus est Moses, Patriarchas frequenter admodum habuisse Angelorum

apparitiones, ut supra de Abraham, de Hagar, de scala Iacob et Angelis adscendentibus et descendentibus commemoravit. Item quando per Angelum admonitus est Iacob, ut rediret in patriam. Saepe igitur Angelos conspexerunt, et eorum quidem conspectu optimis et sanctissimis patribus inprimis opus fuit: verum hic non unum Angelum, sed exercitum Angelorum videt. Sicut loquitur Lucas (2, 13.): „Facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus".

Appellantur ergo Angeli exercitus, milites, στρατιῶται, vigiles, rectores, gubernatores in creatura Dei. Id enim est eorum officium inferius. Superius est canere: Gloria in excelsis Deo. Inferius erga nos et creaturas est vigilare, gubernare, militare, non tantum pro piis, sed etiam pro impiis, sicut ex Daniele (10, 13.) patet, ubi dicit Angelus, se reverti, ut proelietur adversum principem Persarum. Angelus autem bonus non resistit bono Angelo; ideo princeps Persarum fuit malus Angelus, et de numero illorum, de quibus inquit Christus (Ioh. 12, 31.): „Princeps hujus mundi ejicietur foras". Satanas, Deus hujus seculi, habet maximos exercitus Diabolorum, et est etiam inter malos Angelos quaedam monarchia.

Res enim loquitur ipsa, et scriptura non obscure ostendit, si quidem videmus, mundum horribiliter misceri, turbari, confundi, collidi horribilibus flagitiis; hoc inde fit, quia ubique regnant mali Angeli in aulis Papae, Caesaris, regum, principum, quin etiam in aedibus privatis. Haec sunt et dicuntur opera Diaboli, quae videmus et experimur, sed mundus non videt, auctore et impulsore Diabolo fieri caedes et alia infinita scelera. Effectum vi-

dent omnes, causam vero non vident. Certum igitur est, principes bonos inter Angelos militare adversus duces malorum Angelorum; id enim testatur experientia. Sicut etiam gentes aliquam umbram hujus cognitionis retinuerunt, quando finxerunt lares, aut genios bonos et malos. Deus est creator et gubernator omnium, qui etiam impiorum, ut Babyloniorum, Assyriorum, Persarum imperia administrat per Angelos, sicut testatur Daniel; et in nostris aulis ac regiminibus idem apparet. Unde fit, ut saepe etiam optimae causae in aulis varie impediantur, turbentur et protrahantur, et tandem tamen felices exitus sortiantur ductu et consiliis bonorum Angelorum. Atque haec sunt mirabilia consilia Dei, de quibus non est disputandum, cur hac aut alia ratione gubernet mundum.

Magna vero et mirabilis sapientia est, quod Iacob Angelos occurrentes potest agnoscere et appellare exercitus Dei, unsere Herrn Gottes Kriegsvolk. Num igitur habet Deus castra et exercitus in terris? Sane sic vocat Iacob omnes Angelos. Et hanc cognitionem non habuit a socero Laban, qui erat impius idolatra, non erat doctor tam sublimium et coelestium rerum. Sed, ut supra dictum est, tales sententiae sunt traditae per manus a Patribus. Abraham enim vidit Noah annis amplius quinquaginta: Sem vero etiam ultra aetatem Abrahae vixit, et hunc quidem Isaac et Iacob viderunt et audiverunt. Ille fuit summus doctor, fuit Propheta et sacerdos altissimi, qui sumsit hanc doctrinam ab Enos, nepote Adae. Hi fuerunt praeceptores et auditores, qui conservarunt doctrinam hanc, et ad posteros propagarunt. Accessit autem simul experientia et tribula-

tio. Qui vero ejusmodi duces et magistros habet, facile multum proficiet. Et Iacob non solum ex Patribus didicit, sed etiam experientiam magistram habuit; vidit Angelos adscendentes et descendentes, item in Mesopotamia apud socerum vidit et audivit Angelum in somnis: et hoc loco videt exercitum et castra Angelorum. Itaque conjunguntur res ipsa et verba, sive scientia et factum et experientia. Alioqui doctrina et sapientia haec sublimior est, quam ut humana ratione comprehendi possit. Ea enim ignorat, Angelos curam agere imperiorum, regnorum, oeconomiae, hominum et jumentorum, denique omnium creaturarum.

Sic enim definit eos epistola ad Hebraeos (1, 14.); „Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis"? Non sunt dii aut deae, sed sunt ministri administrantes orbem terrarum, idque propter eos, qui aeternam salutem haereditabunt. Quicquid enim rerum in hac vita geritur, hoc omne propter homines pios et eos, qui salvandi sunt, geritur. Propter eos lucet sol, conservantur et stabiliuntur regna, fecundatur terra, conjugia contrahuntur. Breviter: omnia, quae sunt in coelo et in terra, ad hunc finem ordinata sunt, ut colligantur justi, et numerus salvandorum impleatur. Haec itaque vere coelestis doctrina est, non rationis et sapientiae humanae, quod in hac vita ministerio sanctorum Angelorum et imperia, et politiae, et oeconomiae, denique quae habet hic mundus, omnia gubernentur.

Iam vero oritur quaestio: Si haec sunt vera et certa, ut sunt profecto, sequitur, Erasmi et omnium Epicureorum sententiam esse falsissimam. Illi

enim moti infinita rerum inaequalitate et confusione in hac vita, qua vident improbos feliciores esse bonis et piis, eo delabuntur, ut negent hanc custodiam et ministerium Angelorum, quin ipsam Dei providentiam. Sed et communis experientia testatur, et etiam sanctorum querelae, quod, quanto quis est sceleratior tanto est fortunatior. Sic Cicero ait: Optime cogitata pessime cadunt. Sic Iulii Caesaris, Demosthenis et aliorum, qui fuerunt sapientia, doctrina, virtute, ingenio praestantissimi, querelae exstant de successu et exitu consiliorum infelici, quin ipsorum quoque exitus pro summis erga rempublicam meritis fuerunt tristissimi. Si pii opprimuntur, ecclesia affligitur et duriter exercetur. Impii emergunt, florent et abundant opibus et potentia. Quae igitur haec est Angelorum administratio? Quis non videat, fortuito et temere omnia ferri et misceri, quin potius Satanae hanc gubernationem esse? sicut Christus eum principem mundi appellat, et Paulus Deum hujus saeculi. Quomodo ergo stat Angelorum administratio? Respondeo: Haec est, ut antea dixi, admiranda et incomprehensibilis sapientia Dei, quam non assequitur ratio humana. Quanquam si velimus aperire oculos, hoc perspicere et judicare possemus, Diabolum esse vinctum, et captivum teneri tanquam injectis compedibus et manicis, ita ut ne capillum quidem capitis nostri possit attingere, nisi volente et permittente Deo. Si quid autem adversi accidit, nequaquam id negligentiae Angelorum in ministerio eorum tribuendum, sed potius ad tentationem referendum erat, quibus solent in hac vita pii singuli et tota ecclesia exerceri. Neque enim tanta potentia est Diaboli, quanta in speciem apparet; nam si

esset ei plena potestas pro libitu saeviendi, non viveres unam horam, non unam pecudem, non segetem in campo, non frumentum in horreo, nihil denique eorum, quae ad hanc vitam pertinent, salvum aut integrum retineres.

Iam vero universum ordinem naturae et totius hujus vitae animo perpende, ac perlustra omne genus hominum, pecudum, volucrum, piscium, et invenies, plura esse bona, quam mala, videbis, etiam minimam partem subjectam esse potentiae Diaboli. Cogitur enim pisces in fluminibus, volucres in aëre, homines et jumenta in pagis et civitatibus relinquere, quod non faceret, si absque praesidio Angelorum esset. Atqui interdum magnas turbas dat, committit inter se regna et monarchas, provincias, civitates, familias conturbat? Turbat sane; tamen hoc, quod maxime cupit, non potest efficere, ut evertat omnia, et coelum terrae misceat; tam firma sunt valla, munitiones et saepes Angelorum in circuitu nostro et omnium rerum.

Si igitur conferantur mala cum bonis, quae accidunt in has vita, longe major numerus et copia bonorum erit, quam malorum, praeter ea, quae ad tentationem aut poenas et castigationem peccatorum pertinent, si quando peccata praevalent, et traduntur regna, civitates ac principes in poenam et vastitatem: sicut Sodoma et vicinas civitates Deus perdidit. Ibi tum cessant valla et castra Angelorum. Caeterum in republica et omnibus ordinibus vitae excitat varios tumultus, impellit homines ad adulteria, furta, caedes, perjuria. Sed tamen non omnes seducit aut subvertit, quia est redactus in ordinem, ut non possit etiam ex malis, quos vult, occidere.

Si enim in manu ejus essent omnia, etiam impios, licet jam ante suis vinculis irretitos, perderet. Tolerat igitur Deus etiam improbos et peccatores ad declarandam immensam suam bonitatem et tolerantiam, sed usque ad illud tempus, quod est destinatum poenae, quando jam impletae sunt iniquitates eorum, da zeugt er die Hand ab.

Ad hunc modum responderi potest ad quaestionem illam. Si sunt Angeli castra Dei et spiritus administratorii, quare tam multa mala eveniunt, quae displicent Deo? Impiis bene est, donantur vita, honoribus, dignitatibus, abundant opibus. Ista profecto omnia dantur per bonos Angelos hominibus pessimis. Sed respondeo, non esse disputandum de divinis consiliis, cur malis etiam largiatur bona, et dispergat sua dona pariter in bonos et malos, in gratos et ingratos: sicut ait Christus, Matth. 5. (v. 45.). Ideo enim hoc fit, ut ostendat, se non habere humanam tantum, et suis limitibus circumscriptam bonitatem, sed potius immensam, infinitam et incomprehensibilem.

Relinquamus igitur ipsi suam administrationem, et praedicemus maximam misericordiam, si quidem palam est, plus boni evenire, quam mali, etiam in malis et blasphemis, qui et ipsi sua bona corporalia habent. Si enim vel uno die non gubernaret Deus orbem terrarum per Angelos, subito universum genus humanum occidione occideret, raperet, ageret, perderet fame, peste, bellis, incendiis. Et haec ferenda essent non malis tantum, sed et bonis. Quod vero ab his tantis periculis securi et tuti esse possumus praesidio castrorum et exercituum coelestium, id fieri certo statuamus. Permittunt quidem

interdum Angeli, ut aliqua mala accidant; sed ideo, ut tentemur, ut fides nostra probetur et exerceatur, atque adeo ut discamus Deum agnoscere in mirabilibus consiliis et operibus suis, eique pro miranda gubernatione gratias agamus: quemadmodum docet nos hoc exemplum Patriarchae Iacob. Is enim pergit laetus et confidens, propterea quod illuxit ei sol, et oblati sunt coelestes exercitus; sed aliquanto post rursus sol occidet. Iam regnat et triumphat plenus fide et gaudio spiritus, sed mox in summam miseriam et perturbationem conjicietur.

Eodem modo ducit et gubernat et pios et impios. Quando jamjam videntur ruitura omnia, non tamen abjicienda est prorsus omnis spes et fiducia. Sed exspecta, perfer et perdura. Deus adhuc vivit, Angeli regunt et defendunt. Et quanquam videntur obliti muneris et custodiae demandatae, tamen revera non cessant. Sed est tentatio et probatio, qua Deus non solum pios, sed etiam impios exercet, quanquam impii quidem non intelligunt, perinde ut in tempestatibus subitis ventorum et imbrium, ac fulminum impetus minantur coelo et terrae conflagrationem aut ruinam totius orbis terrarum. Verum sedata tempestate germinat terra, et ostendit, plurimum ad fecunditatem profuisse tempestatem quantumvis horridam.

Haec igitur est doctrina, quae hoc loco traditur, quod sint spiritus administratorii et ministri creaturae, qui proeliantur pro incolumitate et salute mundi et piorum: idque inferius eorum officium est. Superius autem est canere: Gloria in excelsis Deo, et: Te Deum laudamus etc. Item in coelis vident faciem patris. Idque faciunt cum gloria Dei et gau-

dio, et suo et omnium credentium. Illam vero admirandam gubernationem hujus vitae ipsi praeclare intelligunt, quam conveniat felicitas impiorum cum adversa fortuna piorum, quod nos non possumus perspicere in hac carne. Sed in fine mundi et post hanc vitam videbimus pulcherrimam illam harmoniam et concentum hujus administrationis.

Perinde ut homo agrestis mirabilem symphoniam tot vocum in organis aut cithara non intelligit, propterea quod totius harmoniae rationem ignorat, sic nos arbitramur, temere omnia ferri, existimamus, Deum dormire, et Diabolum vigilare et regnare. Et accedit simul judicium rationis, quod statuit, nec Deum, nec hominem esse hujus mundi rectorem, sed agi mortalia casu. Haec est carnis sapientia, non coelestis illa et inaestimabilis cognitio gubernationis Dei, quae monstrat, majorem esse numerum eorum, quae conservantur, quam quae pereunt in mundo, esse item majorem Dei bonitatem, quam malitiam Diaboli. Sed ratio et caro etiam in sanctis haesitat et labascit, cum videt tantas confusiones et dissimilitudinem fortunae. Hoc inde fit, quia nondum sumus in illa luce, qua Angeli fruuntur, et perspiciunt, quomodo peccatum et justitia, mors et vita, tenebrae et lux conveniant.

Discamus igitur, gubernationem Angelorum esse certam, et superari malitiam Diaboli immensa Dei misericordia, conservantis hanc rerum naturam mirabiliter adversus omnem furorem et impetum Diaboli. Sic enim in omnibus partibus hujus vitae videmus. Paterfamilias interdum jacturam facit pecudis, gallinae, pecuniae; retinet tamen domum et agros et potissimam partem rei familiaris.

Sic hujus oppidi ingens ornamentum est Academia, et coetus hominum doctissimorum, qui versantur in studiis doctrinae coelestis et bonarum artium. Sed his admixti sunt nebulones aliqui, qui non agnoscunt, se in hoc coetu tanquam musarum adytis, imo Dei et Angelorum sacrario versari sobrie et modeste debere: sed tanquam inter Cyclopes aut Centauros tumultuantur, et pulcherrimum coetum pravitate morum et scandalis deformant. Qua ratione autem haec dissimilitudo conveniat, Deus videt et Angeli. Forsitan si nondum adest tempus poenae et dissipationis scholae, tentatio quaedam est, quae propediem cessabit, et dabit Dominus alios fructus et benedictionem ex iis, qui pie et modeste vivunt, et monitis praeceptorum obtemperant.

Hactenus de custodia Angelorum, cujus cognitio et fiducia piis inprimis utilis et necessaria est, sicut Iacob magno gaudio hosce coelestes exercitus conspexit, et jam laetatur et triumphat de superatis omnibus molestiis et Diabolis sub iniquo socero Laban. Laetus et securus est in Domino, et habet socios hujus gaudii et testes Angelos.

Sed observandae sunt diligenter vicissitudines et alterationes in vita sanctorum usitatae. Alias enim laeta et jucunda, alias tristia et molesta objiciuntur. Cujusmodi etiam vices in tota rerum natura sunt, ut diei et noctis, lucis et tenebrarum, montium et vallium, ut est in Psalmo (104, 8.): „Adscendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis". Interdum audimus ea, quae exhilarant nos, si non in mundo, tamen in coelo per verbum Dei. Interdum redit tentatio et afflictio spiritus. Ad haece

vices adsuescendum est piis; statim enim mirabilis mutatio sequetur.

Porro appellationem מַחֲנָיִם ego non pro appellativo, sed proprio nomine loci in sacris literis accipio. Ac propterea notanda est, quia hinc mutuatus est David sententiam Psalmi 34. (v. 8.): „Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum", hoc est, castra metatur et circumvallat Angelus pios, quae est una ex praecipuis et maxime memorabilibus consolationibus in Psalmis, transferenda ad nostrum usum. Atqui non video, inquies, me esse circumdatum ministerio Angelorum: imo contrarium sentio, et videor mihi traditus in potestatem Satanae et ad infernum deductus. Nequaquam sic statuas. Si enim esses traditus Satanae, ne horam quidem sineret, te esse superstitem, sed praecipitem ageret in omnia flagitia, quin etiam tantum spatii non concederet, ut sceleribus et peccatis te involveret, sed confestim necaret. Quod vero vivis, Angelorum tutelae et custodiae debes. Aut si ex hac vita emigrandum est, et succumbendum furori Satanico, Deo ita permittente, ingens tamen beneficium est, quod habes Deum confortantem et consolantem per verbum.

Ista igitur traditio in manus Satanae, quae oculis et animo tuo objicitur, est tentatio ad horam et momentum temporis, non in perditionem, sed in probationem, in salutem et fructum immensum. Sicut inquit Christus, Ioan. 12. (v. 24.): „Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert". Sic enim Christus traditus est in manus latronum, sed ad horam tantum, et in sa-

lutem. Itaque si sentis, te vexari et tentari a Diabolo, ora, et gratias age, quod non es consumtus, sed tantum tentatus et probatus, juxta illud Thren. 3. (v. 22.): „Misericordiae Domini, quia non sumus consumti, quia non defecerunt miserationes ejus". Item, 2 Cor. 4. (v. 9.): „Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus" etc.

Idem docet exemplum Hiob, cui rapit primum Diabolus omnia bona cum liberis, et relinquit uxorem morosam, molestam et maledicam: affligit et valetudinem ulcere pessimo. Tamen inquit Diabolus ad Deum (Hiob 1, 10.): „Nonne tu circumvallasti eum"? Ibi queritur, pios, imo etiam impios circumvallari. Ac minitatur cum indignatione tacita excidium corpori et bonis, quasi diceret: Si in mea manu esset Hiob, ostenderem, quid valerem, et quomodo ille laudes tuas sonare deberet; efficerem, ut in faciem tuam malediceret. Permittit autem Dominus, ut corpus excruciet, et facultates rapiat, sed vitam non eripiat.

Ejusmodi igitur exempla docent, omnem malitiam et vexationem Diaboli esse tantum eruditionem et castigationem, qua excitemur, ne stertamus et torpescamus, atque ita inter oscitantes opprimamur. Confirmatur autem simul et manet salva ac certa doctrina haec, quod Angeli sint castra Dei, non obstante eo, quod nulla mala accidunt in hac vita propter malos Angelos.

Iacob autem misit nuntios ante se ad Esau, fratrem suum, in terram Seir, in regionem Edom. Mandavitque eis dicens: Sic dicetis domino meo Esau: Sic dicit servus

tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, illicque moram traxi hactenus. Et sunt mihi boves, asini et oves, servi et ancillae, misique, ut nuntiarem haec domino meo, ut invenirem gratiam in oculis tuis.

מַלְאָךְ idem vocabulum est, quo supra Angelos nominavit. Est enim nomen officii, non naturae. Secundum officium enim sunt nuntii, sunt milites in statione et excubiis pro toto orbe terrarum: secundum naturam autem sunt spiritus.

Adhuc vero exsultat, et pergit cum gaudio Iacob: non pavet, nec trepidat, quia redit ex Mesopotamia jussu Dei, qui eum per Angelum confirmavit in somnis, qui Laban corripuit et compescuit. Et vidit hic exercitus Dei. Itaque benigne et humaniter cum fratre Esau agendum statuit: et consentaneum est, serio et ex animo eum desiderio fratris videndi affectum fuisse. Cogitat enim, eum jam hisce viginti annis sibi placatum esse; ideo mittit nuntios ad salutandum eum, ut intelligat, se tanquam fratrem coli et amari. Sed postea mittet munera, cum audiet, venire ipsum obviam cum quadringentis armatis. Illud erit durius et praeter exspectationem Iacob.

Iudaeorum nugae, quas Lyra hoc loco videtur secutus, inanes sunt et frivolae. Dicunt enim, Iacob trepidasse, propterea quod diutius cum idolatra Laban moratus esset, et aliquam labem ab eo contraxisset. Item quod cogitarit Iacob, promissiones esse conditionales, quae requirant debitum erga Deum officium. Sed neutiquam sic sentiendum est de Patribus: quanquam vera est distinctio, duplices

esse promissiones, conditionales et simplices sine conditione: ut legis promissio est conditionalis, gratiae promissio est simplex. Quando merces promittitur laboranti, conditio est, quae requirit operam et officium pactum; quod si non sequitur, merces non solvitur.

Sed tales promissiones missas faciamus, quando est cum Deo agendum in conscientia. Mox enim confundemur, si quidem ne uno quidem momento in officio sumus. Ideo falsa et pessima glossa est Lyrae, quam sumsit a Iudaeis, qui nugantur, Iacob non potuisse statuere, promissionem gratiae esse simplicem et absque conditione, et fuisse conscientiam ejus pavidam, propterea quod idolatria soceri se contaminasset. Sed haec non recte dicuntur de sancto Patriarcha Iacob; haud dubie enim fugit et detestatus est idolatriam, quantum potuit fieri.

Et sancti quidem non sunt sine carne, sed reprimunt carnales motus, ne erumpant in opus, juxta illud (Gal. 5, 24.): „Qui Christi sunt, vitia et desideria carnis crucifixerunt". Mortificantur enim per dominantem super ipsos spiritum: sunt ibi concupiscentiae carnis, quae non cessat murmurare; sed in effectum et opus non producuntur. Sancti non militant secundum carnem.

Promissio autem gratiae haec est, quando dicit Deus: Tu nihil fecisti, nihil es meritus. Sed hoc tibi faciam, et donabo ex sola misericordia. Tales promissiones sunt gratuitae, et his similes fuerunt Patriarcharum Abrahae, Isaac, Iacob promissiones. Sicut supra recitatae sunt: „Adorabunt te filii matris tuae"; item: „Vino et oleo stabiliri te". Ibi nulla conditio accedit: Si feceris hoc, eris bene-

dictus; sed habes hanc promissionem et benedictionem gratuito. Moses quidem plenus est promissionum legalium, sed Patriarchae simplices et gratuitas habent. Ideo Iacob secundum illas est confidens et hilaris, gratulatur sibi de uberrima consolatione et firmissima custodia Angelorum. Sicut similis affectus in Davide exprimitur, Psalm. 30. (v. 7.): „Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum". Deus ridet, Angeli saltant gratulando, exsultando, spiritus in Domino laetatur; igitur non timet Iacob. Sed habet persuasum, iram fratris tam longo tempore deferbuisse, praesertim cum interea nihil decesserit de ejus potentia et opibus, ac manserit domi in patria, ipse vero extorris et exsul miseram servitutem sustinuerit, et adhuc vagetur sine certa sede. Universam enim substantiam et ditionem patris tenebat Esau. Securus igitur est Iacob et certus, fratrem esse placatum. Atque ideo amanter eum et benigne salutat per nuntios, nec trepidans, neque quicquam mali suspicans.

Forma salutationis est secundum Hebraeam phrasim et consuetudinem, qua quis se servum alterius superioris appellat, ad declarandam suam observantiam, cujusmodi etiam salutationes Italorum sunt admodum civiles. Non autem verba sunt timentis in salutatione Iacob, sed reverentiae et comitatis.

Et quanquam Esau recordatus est praereptae benedictionis, tamen simul in mentem venit: Quid est, quod intercepit? Ego omnium rerum in domo patria potior, ipse peregrinus est et exsul. Serviit pro duabus uxoribus homini impio et idolatrae: ego dominor in hac terra habeo vicinos, propinquos et necessarios praepotentes, Iacob est miserrimus.

mus. Habeat sane benedictionem illam, si quidem nihil aliud praestat, quam miseriam et servitutem abjectissimam in exsilio. Ego abundo opibus et potentia, nihil mihi deest.

Sic laetatur caro in damnis et miseriis proximi. Age, quid eripuit mihi frater? Profecto Deus egregie retribuit, si quid abstulit. Imo videtur inversus ordo, ita ut frater negligatur, et exciderit gratia divina, me vero curet, et augeat dignitatem et opes meas Deus. Atque idem etiam Iacob in mentem venire potuit, quippe qui arrogantiam et securitatem fratris probe habuit perspectam. Ideoque reverenter et humiliter eum salutat.

Reversi sunt nuntii ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau, fratrem tuum, et tibi etiam obviam venit cum quadringentis viris. Timuit vero Iacob vehementer, anxiusque fuit, et divisit populum, qui secum erat, oves quoque et boves et camelos in duas turmas, dicens: Si Esau venerit ad unam turmam, et percusserit eam, altera turma, quae reliqua est, evadet.

Hactenus recitavit Moses, quomodo Patriarcha Iacob in reditu ex Mesopotamia ingenti laetitia et gaudio perfusus quasi triumpharit, quod liberatus esset tentatione gravissima apud Laban, oblatis simul castris Dei ad augendam laetitiam et securitatem, et ad defensionis certam fiduciam excitandam. Rursus vero solem illum clarissimum nubila et tempestates occupant, et Iacob de coelo ad infernum usque relabitur.

Moses autem admodum prolixus est et copiosus

in descriptione hujus tentationis. Est enim memorabile exemplum, cujusmodi multa in scriptura sancta proponuntur, quomodo exerceat Deus sanctos et fidem eorum variis tentationibus et consolationibus. Sicut testatur Psalm. 94. (v. 19.): „Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo“ etc. Talis est vita haec, plena doloribus et aerumnis. Et ideo futura vita promissa est, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Interea miscentur haec duo, patientia aut consolatio, et tribulatio. Praesente enim consolatione omnia sunt prospera et laeta; rursum ingruentibus tenebris et tribulatione regnat Diabolus, et crucifigitur Christus.

Erudimur igitur his exemplis, ne desperemus, sed praesumamus optima, et speremus certam et copiosam redemtionem et finem malorum, quamvis in ipsis malis non finis ullus, nec praesentia Dei conspicitur, sed abscondita est sensui carnis. Ideo discendum et exercendum est verbum, et sciendum, quod soleant hae perpetuae vices esse in vita sanctorum et omnium credentium, qui cupiunt Deo placere. Sicut inquit Paulus (2 Tim. 3, 12.): „Omnes, qui pie volunt vivere, persecutionem patientur“. Et in Actis (14, 22.): „Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Sed fidelis Deus, qui non patitur, nos tentari supra vires“: quantumvis rationi diversum apparet, et videtur omnis tentatio immodica et intolerabilis. Sicut de se inquit Paulus, 2 Cor. 1. (v. 8. 9.): „Quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere“; sed non est, quod verearis, te immodice oneratum iri a Deo, quia manet firma sententia: „Fidelis Deus“ etc.

Haec saepe in hisce historiis recurrunt. Ideo
ıepe repetenda sunt, et est res seria et ardua; non
ıania tantum verba sunt, sed agitur de morte aut
e vita aeterna. Neque quisquam est, qui perfecte
anc sapientiam ita exhauserit, ut nullo amplius exer-
itio aut doctrina opus habeat. Semper enim dis-
endum et crescendum est, et revera discenda ex ver-
o haec sapientia est, non oculis, aut sensu carnis
ercipienda.

Postquam igitur vidimus triumphos et gloriam
ıcob cum castris et exercitibus coelestibus, jam etiam
l inferos cum eo descendamus, et videamus ejus
istitiam et pavorem. Redeunt nuntii et renuntiant
ıcob, quae viderint. Nos afferimus triste nuntium,
ıquiunt, frater tuus occurrit tibi cum quadringen-
s armatis. Ibi vehementer terretur Iacob, quan-
uam nihil est periculi, sicut audiemus postea, quo-
ıodo evadat ex his angustiis. Fuisset quidem peri-
ılum ingens, si permittente Deo licuisset istis ar-
ıatis grassari in greges et comitatum Iacob, idque
ılum hoc momento oculis et animo Iacob obversa-
ır, quod viri armati possint nocere, et veniant ad
trucidandum cum uxoribus et liberis. Sed Deus
ınge aliud cogitat, et erit alius finis, quem Iacob
on praevidet.

Caro non potest non trepidare, quia erat sibi
ınscius Iacob offensae inter ipsum et fratrem. Ideo
ihil dubitabat, sibi certum exitium impendere: quid
ıim sibi vult stipatus tot armatis, cogitavit, cur non
no verbo salutat, aut reditum gratulatur per nuntios?
ic interpretatur in pessimam partem, perinde ut caro
ılet, quae statim omnem spem abjicit et trepidat;
ıon potest aliter affect esse; nam Paulus de se di-

cit, (Rom. 7, 23.): „Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae". Lex mentis dicit: Spera, confide, ne dubites, noli timere. Deus vivit, regnat, Angeli excubant. Sed audio aliam legem in membris meis, quae dicit: Actum est, deplorata res est, periisti. Haec est lex membrorum: caro est incredula et desperabunda, nec potest sibi polliceri et credere liberationem. Idem ergo Patriarchae Iacob accidit, contremiscit et terretur, postquam audit, adventare fratrem cum tanta multitudine, pugnaturum adversus ipsum et miseram et inermem turbam uxorum, pastorum, parvulorum, nec pugnam tantum, sed et caedem spirare. Sicut infra dicit: „Ne forte veniat, et percutiat me et matrem cum filiis".

Sed quomodo convenit trepidatio haec Patriarchae tam sancto, ut de tanto triumpho et laetitia, qua exsultavit, in tam profundam desperationem dejiciatur? Siccine decet vacillare et dubitare? Ia, wären wir da gewest, wir hättens wohl ärger gemacht. Ista sunt exempla, quae nos erudiunt: sicut Petrus jussus in mari ambulare statim approperat ad Christum, et triumphat magna audacia, tanquam dominus maris, fluctuum, Diabolorum et totius mundi; sed mox vento validiore adspirante incipit dubitare. Ideo Christus eum objurgat, dicens (Matth. 14, 31.): „Ah, modicae fidei, cur dubitasti"? Iussi te venire, et venis. Sed quia sentis ventum contrarium verbo et experientiae, labascit fides tua, et tu mergeris.

Ad eundem modum homo extra tentationem constitutus videtur sibi pulchre valere, et satis firmus esse: audet Diabolum contemnere, et pedibus conculcare, et alios etiam corroborare. Sicut dicitur,

Psalmo 30. (v. 7.): „Dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum“. Ich geb umb alle Teufel, und umb den Tod nicht ein Klipplein; sed oborta tempestate et vento validiore, aut objecto spectro insolito, clamamus: Au weh, es ist alles aus, der Tod will mich fressen; „Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus“ (ib. v. 8.).

Idem Mosi accidit ad mare rubrum. Egressi erant filii Israëlitici magno gaudio: Aegyptus enim erat humiliata et punita, spolia ipsi abstulerant, clamabant omnes: Dominus Deus nobiscum etc. Da ists eitel köstlich Ding: sed cum vident Pharaonem insequentem cum exercitu, et se utrinque clausos esse montibus: Nonne erant, inquiunt, sepulchra in Aegypto? etc. Tantum triumphum sequitur pavor mortis et inferni. Quin ipsum Mosen vide, ad quem dicit Deus: Quid clamas ad me? Es wollt ihm das Herz auch entfallen, und in tausend Stück zerspringen, quia eduxerat populum Israëliticum ex Aegypto, et vixdum egressos videt objici crudelissimae lanienae. Tantae cladis, cogitavit, et tot caedium ego auctor ero. Quid feci? Irritavi regem Aegyptium. Ideo clamat, et cor ejus pavet et trepidat. Sed respondet Deus: Quid clamas? Ego istum tyrannum reprimam. Atqui mare in conspectu est: ab utroquo latere claudimur montibus, quomodo evademus? Accipe, inquit, baculum, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum. Ia, das kann unser Herrgott.

Et haec debent erudire et confirmare ecclesiam in omnibus adversitatibus. Ideo enim proponuntur, ut credat et confidat tum, quando videntur omnia

esse impossibilia et deplorata, nihil loci consilio auxilioque relictum amplius. Sicut dicitur in Psalmo 107. (v. 27.): „Omnis sapientia eorum devorata est". Ibi discat sic statuere: Quanquam omnia magna imbecillitate geruntur, et jam videntur desperata, tamen Deo nihil esse impossibile. Ita enim Angelus ad Mariam inquit (Luc. 1, 37.): „Non est impossibile apud Deum omne verbum". Semel enim ex nihilo condidit omnia: eam facultatem adhuc retinet, et eodem modo adhuc sustentat et gubernat omnia. Quod enim nobis nihilum est, hoc Deo est omnia; quod nobis est impossibile, hoc ipsi est facillimum. Eadem potentia in extremo die excitabit mortuos, qui a condito orbe jacuerunt in pulvere terrae. Haec de trepidatione Patriarchae Iacob in gravissimo periculo, quae argumento est, carnem etiam in sanctis vigere et vivere. Ob hanc enim causam sanctissimus vir post tantas promissiones et consolationes propemodum in desperationem prolabitur.

Iam et conditionem totius familiae et ecclesiae hujus domesticae Iacob adspice. Postquam enim vident, ipsum caput et patremfamilias labascere et trepidare, quid ipsi non facerent? Episcopus, doctor, consolator ecclesiae vacillat et timet: quid sperent hi, qui ab isto doctore et duce suo pendent? Fuit igitur miserabilis luctus inter conjuges ipsius Iacob, et pastorum sive cognatorum. Habuit enim magnam turbam adjunctam in hac peregrinatione propter gregem numerosum, ad quem agendum circiter centum aut ducentorum pastorum opera opus fuit. Hi quoque formidine et impatientia perculsi dixerunt forsan: Quid est, quod eduxit nos e Mesopotamia? Utinam essemus adhuc apud Laban. Il-

lic tuti et securi degeremus, nihil esset periculi ab armatis. Tales querelae magis solent affligere et excruciare animum perturbatum, quam ipsum periculum. Etsi igitur sua causa nihil metuisset Iacob, tamen ejusmodi clamoribus, ejulatu et lacrymis muliercularum fractus est animus ejus, et sucta trepidatio carnis, sicut infra patebit.

Atque hoc illud est, quod inquit Moses: Non solum timuit, sed et anxius factus est. Describit enim admodum infirmam fidem. צר est angustia, ist ihm bang gewest. Cor fuit destitutum consilio, nec ulla ratio evasionis aut salutis apparuit, quod, scriptura alibi latitudinem solet dicere, sicut 18 Psalmo: „In tribulatione dilatasti mihi“, id est, in angustia fecisti mihi latitudinem. Opponit enim scriptura latitudini angustiam, hoc est, turbationem illam mentis consolationi. Sicut Iacob in summis angustiis constitutus trepidabat, propterea quod, secundum Psalmum, devorata erat sapientia ejus. Miserabilis ergo haec descriptio est, qua victor et triumphator ille sic pingitur, ut quasi ad inferos delapsus prorsus obliviscatur tot magnificarum promissionum et consolationum, quae praecesserant.

Sed ideo haec proponuntur, „ne simus confidentes in nobis ipsis“, secundum illud, 2 Cor. 1. (v. 9.). Nam et Paulus varia pericula et liberationes varias expertus erat. Interdum vero tantam animi magnitudinem et securitatem prae se fert, ut omnia pericula et angustias facile sine ullo pavore contemnere videatur. Sicut ait, 2 Cor. 6. (v. 11. 12.): „Os nostrum apertum est ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris“ etc. Ibi

gestit animus ejus laetitia, et vult, omnes secum dilatari et gaudere: omnia ei arrident, quae in coelo et in terra sunt. Rursus vero ait (2 Cor. 1, 8. 9.): „Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere.“. Item: „Responsum mortis in nobis ipsis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos“. Quid illud est? Cur non laetaris, Paule? Cur non alios exhilaras? Siccine Paulum, tantum Apostolum, humiliari, ut mori potius, quam vivere eligat? Qui modo plenus erat Spiritu sancto, jam vacuus spiritu videtur.

At ejusdem luctae primam et potissimam imaginem in Christo sudante sanguinem in horto propositam habemus. Ac talis sane est omnium sanctorum vita, cujus exempla nobis ideo proponuntur, ut erudiamur et discamus non in nobis, sed in Deo confidere. Haec enim est scientia piorum, sibi ipsi diffidere, et Deo confidere, et tali Deo, qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, ut sint. Haec enim sunt opera Dei. Si vis igitur esse pius, et Deum, patrem tuum, agnoscere et colere, memineris, tibi decertandum esse cum Diabolis, cum mundo, carne, peccato et lege. Ac mundus quidem inter haec est levissimus hostis: quanquam ad tribulationes mundi semper accedunt furores Diaboli, qui adjuvat mundum et terret pios. Nam ne minimas quidem tribulationes patimur, quin adsit Satan.

Itaque meminerimus, id unice nobis agendum et discendum esse, ut in omnibus tentationibus confidamus Deo, cujus proprium opus est vivificare mortuos, ex perturbatissimis reddere pacatos et tranquillos, ex miserrimis facere beatissimos, ex despe-

rabundis laetissimos. Moses igitur non frustra tam copiosus et accuratus est in hac tentatione describenda; vult enim, nos exemplum hoc diligenter animis nostris infigere.

Quid vero facit Iacob, dum fides ejus ita laborat et obruitur, dum caro praedominatur in sua lege dubitante, desperante, blasphemante? Primum facit, quod in se est: sicut usitate Papistae loquuntur, sed alio sensu. Non enim recte intelligunt, nec recte accommodant hanc phrasin. Supra enim diximus, quanquam habemus promissiones et praecepta, tamen non esse tentandum Deum, hoc est, non negligenda esse media, sed utendum iis, quibus possumus uti, si quidem non dedit Deus rationem et rationis consilia et auxilia, ut ea contemnas, quod faciunt aut hi, qui praesumunt, aut qui desperant, quando dicunt: Quicquid egero, non potero impedire ea, quae necessario et fato quodam evenire debent; haec desperantium vox est. Praesumtuosi autem haec jactare solent: Etiamsi non comedero, tamen, si vivere debeo, vivam. Deus promisit vitam; igitur nihil refert, sive comedam, sive non. Sed diligenter cavendum est, quando habemus promissiones divinas, ne tentemus Deum praesumtione, neque desperando peccemus. Cum habeas scalam, non est, quod per fenestram te praecipites, neque per Albim medium incedas, cum habeas pontem. Sed quilibet hoc faciat, quod ratio monstrat, et reliqua commendet Deo, is dabit convenientes exitus.

Hujus rei pulcherrimum hoc exemplum est. Iacob enim nihil eorum omittit, quae potest facere. Dividit populum, qui cum ipso erat, mittit munera, praecurrit ipse, et omnia peragit, quae sunt in po-

inhibuerunt saevitiam militum post victoriam. Hannibal post Cannensem pugnam, cum videret caesos Romanos, jubet milites a caede cessare. Haec sunt humana, quae colligit animo suo, quod hostis quantumvis saevus strage dimidiae partis satiari possit. Ita cavet tentationem Dei, et objicit tamen dimidiam partem cladi et rapinae, alteram sperat servatum iri.

Quod vero tam atrocia de furore fratris sibi imaginatur, id a carne et Diabolo oritur. Deus sinit, Iacob ita suspicari de Esau: ipse vero interea longe aliud cogitat. Hoc itaque primum et pulchrum consilium est quoad humanam sapientiam et judicium rationis, quo conatur mitigare iram et indignationem fratris.

Alterum est, quod convertitur ad orationem. Et eo quoque cavet, ne tentet Deum. Ibi enim fides etsi infirma tamen emicat, paene oppressa angustiis et terroribus, dum metuit, se cum toto comitatu et gregibus trucidatum iri. Et hoc verum opus est, necessarium inprimis in tribulatione. Non praesumit, miraculosum aliquid et supra vires gerendum esse suo gladio, nec tentat Deum desperando et abjiciendo omnia consilia rationis; sed incipit fide se erigere ad invocationem. Et tamen adhuc luctatur.

Saepe autem diximus, fidem, cum est infirmissima, esse fortissimam. Adeo mirabilia sunt Dei opera. Isaias (60, 22.) inquit: „Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam". Item Paulus, 2 Cor. 12. (v. 9. 10.): „Libenter gloriabor in infirmitatibus meis: cum enim infirmor, tunc potens sum". Ita Iacob hic est infirmissimus in terroribus et angustiis, supra modum consternatus et

dejectus. Et tamen fides ejus nunquam fuit fortior, quia fides, quae luctatur contra incredulitatem, quasi extrema et ima suspiria ducit.

Id vero suspirium nemo intelligit, nec Iacob, nec ullus alius. Et is est gemitus inenarrabilis, de quo, Rom. 8. (v. 26.): „Spiritus pro nobis interpellat gemitu inenarrabili". Non est vox triumphantis, sed revera gemitus est, quo animus afflictus hiscere tantum, et aegre suspiria trahere videtur. Isaias linum fumigans appellat, et arundinem non integram, sed contritam, quassatam. Hoc vero gemitu cum nihil sit infirmius et impotentius (est enim quasi extremum suspirium) tamen est inenarrabilis.

Haec sunt contraria sive opposita in adjecto, et tamen vera, neque quisquam est, qui verbis consequi aut exprimere potest, quantum valeat hic gemitus. Quia virtus mea, inquit vox divina, in infirmitate tua perficitur. Caro quidem reclamat, se hoc non intelligere, imo contrarium sentire et experiri. Tamen certum hoc est: virtus infirma est perfecta, et e contra perfectio est infirmitas. Quis unquam sic est locutus? Ia, hüt dich für: kann nicht; wenn dich der Teufel dahin bringt, dafs du nicht kannst, so hat er *) schon verlorn; tu tantum non addas consensum desperationis, quia est inenarrabilis gemitus. Sic loquitur scriptura. Quando non accedit desperatio, sed est suspirium, tunc est perfectissima virtus in infirmissima infirmitate.

Sic ad Mosen inquit Dominus, Exod. 14. (v. 15.):

---

*) Versio Germanica: so hast du schon verlorn: nescio an recte.

testate sua. Alius desperans dixisset: Nihil agas; si est praefinitum, ut trucideris, non poteris cavere; perinde ut alii ex praedestinatione argumentantur: Si sum praedestinatus, non potero perire, quicquid egero. Hae Satanicae voces sunt, quae sunt fugiendae. Verum quidem est, eventurum, quicquid est praefinitum; sed illud addendum est, tibi id esse ignotum; sicut nescis, utrum cras moriaris, an vivas; et Deus hoc voluit te nescire. Stultum est igitur, te id scrutari, quod Deus singulari consilio te celavit. Quia vero ignoras, quam diu futurus sis superstes, ideo debes uti necessariis ad vitam. Si est praefinitum, ut post mensem moriaris, tamen non tentandus est Deus, si quidem de eo incertus es: sed utaris necessariis ad hanc vitam sustentandam.

Reprehendenda igitur est sultitia, sive impietas potius eorum, qui omnia referunt ad praedestinationem, quae complectitur arcana Dei consilia et gubernationem nobis ignotam. Si Deus esses, tum liceret secundum eam procedere. Sed quia vult Deus, te eam ignorare, ideo mane in functione tua et intra limites verbi, et utere mediis et consiliis, quae Deus ordinavit. Ego non possum praevidere fructum doctrinae meae, qui sint convertendi, qui non. Si jam velim dicere: Qui convertendi sunt, hi convertentur absque mea opera; si non sunt convertendi aliqui, quid attinet me frustra laborare? Hoc et absurdum et impium esset. Tu enim quis es, qui haec quaeris? Fac tuum officium, et eventum Deo permitte. Non est tuum, dicere: Si fieri haec debent, fient. Deus in verbo suo mandavit per Paulum: Vade, et fac tuum officium, praedica verbum, insta, opportune, importune, argue, obsecra, incre-

pa in omni patientia et doctrina. Huic mandato necessario est parendum posthabita curiositate inani.

Haec diligenter tradenda sunt ad impiam illam et Turcicam sapientiam, qua hodie multi delectantur, refutandam. Turci enim eo animo ineunt proelia: Si debeo mori, moriar; sin minus, nullum telum mihi nocebit. Ideo tam furenter irruunt in hostem, magno discrimine, etiam cum declinare periculum possent. Sed vult Deus, nos uti occasionibus et rationibus monstratis ad evitanda pericula. Sicut Iacob summo studio, quicquid potest invenire consilii, exsequitur. Quanquam his, quae excogitat et parat, non juvatur, nec liberatur. Nisi enim Deus mutasset cor Esau, nihil profecisset: tamen in tanta angustia omnia, quae potest, tentat; non abjicit curam et studium tuendae familiae, non remittit manus et pedes, sed hoc, quod est prae manibus, facit, ne tentet Deum. Dividit populum in duas turmas, similiter et jumenta. מַחֲנוֹת hoc loco genere feminino significat turmam.

Sed quale hoc consilium est? Si venerit Esau ad turmam unam, et percusserit eam, ut residua evadat. Hoc est consilium simpliciter humanum, et inventum rationis, non Spiritus sancti, qui aliud tum egit, videlicet ut mitigaretur cor Esau: tamen id etiam Spiritus sanctus gubernavit, ita ut non tentaret Iacob Deum. Cogitavit enim: Si venerit frater ad greges, omnes cum pastoribus et tota familia primo impetu et furore occidet. Dividam igitur in duas turmas, ut, si unam percusserit, satiatus illa vindicta alteri parcat, et desinat saevire. Fieri enim potest, ut animus humanus tot caedibus ab una parte factis satietur. Sicut saepe crudelissimi victores

Ait autem: Tu dixisti ad me: Revertere in terram tuam. Tu perduxisti me in hanc tribulationem, tentationem et periculum vitae. Haec vero ingens consolatio est, quando quis potest dicere: Domine Deus, non mea temeritate incidi in hanc calamitatem, nec ullius vel sapientis, vel stulti consilio. Sed tu dixisti, tu jussisti. Recte igitur feci deserendo Laban, et jam tua res agitur, tua promissio et veritas laborat, tua fides liberanda est, non mea.

Haec est illa infima fides et singultus ille, de quo dictum est. Hic irritat coelum et terram, et est gratissima oratio. Tu dixisti. Ego sum in tua obedientia: redeundum est in patriam meam auctoritate et jussu tuo, o Domine. Sed vide, quantum impedimentorum objiciatur. Redactus sum in has angustias et difficultates, unde meis viribus et consiliis non possum eluctari. Ergo opus est mihi tuo auxilio. Alii fortassis non oraverunt, sed illud objecerunt: Si mansissemus apud Laban, potuissemus in tuto esse; sed Iacob non curat ista. Est valde fortis oratio. Sed quid dixit amplius? „Et benefaciam tibi", das ist ja dein Wort. Hoc est verbum tuum, quod non velis perdere, nocere, sed benefacere in mea patria, in quam jussisti me redire. Atque inde apparet, eum non a Diabolo tantum tentatum et vexatum fuisse propter nuntium de fratre adventante, sed etiam ab uxoribus, filiis et tota familia, ach, lieber Vater, wo nu hinaus? Mi pater, mi marite, mi domine, clamarunt, quid fecisti, cur in tantum discrimen nos adduxisti? Illae querelae expresserunt ei tam violenta verba: Domine Deus, audi, quaeso, quomodo trepidant hi, et meum quo-

que animum excruciant: quanquam scio, te promisisse mihi auxilium et salutem.

Ita emicat et emittit vocem fides, licet sit infirma. Sic enim haud dubie eos compellavit: Quid trepidatis adeo? num desperabitis? Profecto non abjicienda est spes liberationis. Ego non despondebo animum, etiamsi vos desperaveritis. Ad hunc modum et se ipsum erexit, et lacrymas ac fremitus suorum repressit. Non jussit me Deus reverti, ut noceret, es mufs noch gut werden. Deus aderit nobis, tantum utamur remediis, quae adsunt, et clamemus.

Ejusmodi vero preces Deo sunt gratissimae, quae funduntur in extrema desperatione et maximis periculis. Isti sunt gemitus inenarrabiles et violentissimi, quibus exsuscitant se pii contra desperationem. Nun mufs es dennoch nicht so sein. Non tamen peribimus, non moriar, sed vivam etc. Habeo promissionem. Dominus dixit, se velle mihi benefacere, nolite lacrymari, lugere, trepidare: Deus jussit nos exire de Mesopotamia, et reverti in patriam meam.

Haec est lucta piorum, qua violenter excitant fidem, memoria ac fiducia promissionis et mandati divini. Ich mufs und soll predigen, der Teufel aber wehret, wohlan so mufs gepredigt sein, und sollt die Welt zerreissen. Hi sunt violenti illi, qui rapiunt regnum coelorum. Carnales homines talia oscitanter legunt, neque quicquam intelligunt, quia sunt rudes et imperiti talium tentationum. Nesciunt, quomodo affectus sit is, qui laborat in extrema necessitate. Da bläst der Teufel zu, es ist verlorn; Satan suggerit afflicto: Quid clamas? Actum est de

te, res deplorata est. Sed spiritus contra: Ey, es ist nit verloren, hart dagegen. Nequaquam actum est: scio, aliud Deum de me statuisse et promisisse. Illa est ingens vehementia et potentia spiritus in infirmitate. Et est Deo gratissimum sacrificium, secundum Psalm. 51. (v. 19.), quia est sacrificium mortificationis. „Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies". Ia freylich non despicies, quia est acceptissimum sacrificium in odorem suavitatis, qui replet coelum et terram. Ut in Canticis (3, 6.) dicitur. „Quae est ista, quae adscendit sicut virgula fumi". Tenuis sane virgula est, aber es reucht hinauf in Himmel, und macht unserm Herr Gott die Nasen so voll, daſs er sagt: Höre auf, ich kann nimmer hören. Est tenuis et exilis gemitus, sed et odore et clamore ad coelum in conspectum Dei pertingit, quo excitatur Deus ad ferendum auxilium.

Discamus igitur esse forti et infracto animo, quantumcunque malorum et periculorum nobis objicitur, quantumvis desperatio animis obversatur: et servemus illud, quod ab ethnico poëta dictum est: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito (Virg. Aen. 6. 95.). Nam qui non cedit, nec remittit manus, ille salvus est, et egregius sacerdos, qui praestantissimum et optimum sacrificium sacrificavit. Iacob nunquam fuit sanctior sacerdos, quam hoc loco, tametsi multis tentationibus ante mortificatus est. Ideo Moses tam copiosus et prolixus est in hac descriptione. Et postea pugnam cum Angelo commemorabit, et fient majora, quam petere aut exspectare ausus fuerat Iacob. Ad hunc modum vult Deus nos

exerceri et exsuscitari fidem nostram, ut de die in diem crescamus, et firmiores fiamus.

Hactenus igitur promissiones, quae requiruntur ad orationem, ut in novo testamento docetur, et mandatum. Neque enim ita orandum est, ut Monachi inane murmur et βαττολογίαν precum suarum sonabant, nulla ratione habita promissionum aut mandati, nec de necessitate urgente cogitantes. Illud non est orare. Sicut ante haec tempora ipse orabam, cum Monachus essem, invocabam quidem in tentatione; sed promissiones et mandatum nesciebam. Verba tantum murmurabamus. At vera oratio proficisci debet ex animo fideli, et proponente sibi et necessitatem, et mandatum Dei, quo incenditur animus ad petendum in fide: ubi singula verba ponderantur, non ut Monachi aut Nonnae solent, animo peregrinante, nec intelligente, preces suas murmurare.

Neque verborum quidem numerum aut multitudinem curat vera oratio, sed multiplicat et auget suspiria, quibus nulla verba respondent, nisi admodum exiliter, ut in hac oratione apparet. Non enim hisce tantum verbis precatus est, quae recitat Moses, sed tota nocte et tota die suspiravit. Fuit prolixa oratio quoad gemitum, tametsi verba sint paucissima. Deinde requiritur etiam ad orandum gratitudo, et memoria beneficiorum praeteritorum. Ea exempla si colligantur, mirabiliter exsuscitant fidem, et est Deo gratissimum.

Ait ergo: Minor sum omnibus miserationibus tuis et omni veritate, quam exhibuisti servo tuo, hoc est, maximam misericordiam et veritatem mihi praestitisti. Haec est gratitudo, sive sacrificium

εὐχαριστικόν, sicut prius fuit sacrificium mortificationis, quo gemitu occiditur, et desperat de viribus suis et omnium creaturarum. Inter reliqua autem beneficia numerat: Quoniam in baculo transivi Iordanem istum. Divisi totum populum in duas turmas; adeo crevi apud Laban, cum initio nihil praeter baculum habuerim, quando egrediebar de domo paterna, id est, eram solus. Habebam quidem viaticum, et pauxillum pecuniae (neque enim ita egenus erat, quin esset instructus a parentibus viatico); sed solus fui sine comite. Est phrasis Hebraea, qua utitur Moses, Exod. 21. (v. 3.): „Si cum corpore suo fuerit ingressus servus, cum corpore suo exeat", id est, solus. Significat tantum solitudinem, non inopiam pecuniae.

Agnosco igitur, inquit, non esse hoc opus meum, cum solus transierim in baculo meo Iordanem, quod tantam substantiam acquisivi, sed misericordiam et veritatem tuam. Quatuordecim annis apud Laban gratis servivi, pauper et inops, vix panem habebam, quo vescebar. Et tu Deus sex annis ita me locupletasti, ut creverim hoc brevi tempore in duas turmas. Haec est manifesta et palpabilis benedictio, o Deus. Magnum enim est, pastorem ita crescere ex lacte, lana, caseis, butyro sine avaritia. Et habebat Iacob quatuor uxores, undecim liberos, magnum numerum servorum.

Hoc ergo sacrificium gratitudinis amplificavit pulcherrimis verbis, quod alioqui paucis hic describitur, sicut superius etiam breviter absolvit: quia continuata fuit oratio dies et noctes, tantum semel recitatur hoc loco; sed Iacob non semel oravit aut meditatus est haec verba, sed sine intermissione oravit.

Caeterum phrasis haec nota est: Misericordia et veritas. Semper enim in scriptura sancta conjunguntur. Sicut Michaea 7. (v. 18.), et alibi in Psalmis. Misericordia ipsum beneficium vel beneficentiam significat, ut in Matthaeo (9, 13.) loquitur Christus ex Hosea (6. 6.): „Misericordiam volo, non sacrificium". חָסִיד significat utrunque, qui diligit proximum et benefacit ei, et cui bene fit, qui a Deo donatur multis misericordiis et beneficiis. Ita ergo dicit Iacob: Misericordiae tuae et beneficiorum tuorum erga me non est numerus. Iam vero hoc accedit, quod pauperem me sex annis locupletasti, ut creverim in duas turmas.

Veritas est promissio: sicut Rom. 15. (v. 8.) loquitur Paulus: „Dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum". Iudaeis fuit promissus Christus: ideo servata eis est veritas. Gentibus non fuit promissus, sed ex misericordia donatus. Nullus patrum nostrorum habuit promissionem. Deus quidem promisit, se velle esse Deum omnibus hominibus, quae notitia indita est animis hominum, sicut testatur Paulus, Romanorum 1. (v. 19 seqq.). Et testantur omnium gentium opera et cultus, quod Deum esse nihil aliud sit, quam benefacere hominibus. Ideo enim invocant alius Iovem, alius Martem etc. non alia opinione, nisi quod velint juvari. Ita naturaliter omnes homines intelligunt et statuunt, Deum esse numen aliquod beneficum, a quo petenda et speranda sint omnia bona; Deus est promissor et est verax, hoc est, promittit omnibus hominibus in lege naturae, quae dicit: Invoca, aut cole Deum.

Etsi igitur errant in persona Dei propter idolatriam, tamen studia ibi sunt, quae debentur vero Deo, id est, invocatio et exspectatio bonorum et auxilii. Huic autem populo sunt exhibitae promissiones de Deo, expressa est veritas et definitio sive cognitio Dei sine idolatria et errore. Id vero ingens et inaestimabile beneficium Dei est: ideo praedicat Iacob misericordiam et veritatem Dei. Tu promisisti et praestitisti etiam hanc veritatem, praesertim istis sex annis. Promisisti item, quod velis benefacere redeunti in patriam; propter has misericordias et veritates, quas exhibuisti et exhibiturus es, te rogo, ut me liberes.

Porro gratitudo illa includit tertiam virtutem orationis; quae etiam ad mortificationem pertinet, quod sine meritis suis exaudiatur. Non enim sic orandum est: Respice me, Deus, quia sum sanctus Monachus, sum virgo casta, sum Episcopus excellens. Sicut Pharisaeus in evangelio: „Iejuno bis in Sabbato, do eleemosynam". Illud monstrum procul removendum et expurgandum est ab oratione; alioqui corrumpitur oratio, et utrunque sacrificium, mortificationis et gratitudinis, foedatur isto stercore.

Nequaquam igitur sic dicendum est; sed sequamur exemplum Iacob, qui inquit: Minor sum omnibus miserationibus tuis. Non sum dignus, ne una quidem misericordia aut veritate, quam unquam praestitisti, aut etiamnum praestas et deinceps praestabis sine meo merito. Impossibile enim est, ut ego aliquid merear. Non igitur nitor mea dignitate, sed tuis promissionibus et miserationibus. Hoc est verax cor et vera oratio, quia revera hoc judicium Dei de nobis est, quod alicubi expressit Paulus

(1 Cor. 4, 7.): „Quid habes, quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris“? Ideo sic orandum est: Domine Deus, quae hactenus praestitisti, sunt tua promissio et misericordia, nihil in me est dignitatis. Sicut igitur hactenus fecisti, et mihi licet indigno dedisti omnia, sic deinceps me indignum exaudi et juva. Alioqui arguet te Deus: Quid superbis, cinis et pulvis? Terra es, et in terram reverteris. Nonne ex stercore creavi te? Quis conservavit vitam tuam? Omnia, quae habes, simpliciter mea sunt.

Hae igitur tres conditiones sunt bonae orationis, quae faciunt eam gratissimam, et odorem suavissimum coram Deo, quae non potest non exaudiri. Primum ut apprehendas promissionem. Deinde mortificeris in angustia tua. Tertio agas gratias, et agnoscas, te non esse dignum una miseratione, sed per solam misericordiam petere et sperare auxilium. Laudandae quidem sunt, et a Deo mandatae hae virtutes, castitas, sobrietas, liberalitas in juvandis pauperibus; sed non est confidendum iis. Fiducia nostra non debet niti lege et ejus operibus, quanquam debent adesse, sed misericordia et veritate Dei. Tunc oratio et gemitus est aureum sacrificium.

Iam sequitur petitio. Quid petis ergo, Iacob? Agnoscis, te indignum misericordia mea, agnoscis me promissorem, confiteris, te omnia ex mera gratia accipere. Quid igitur petis? quid deest tibi? Das Kind mufs ein Namen haben, soll mans taufen. Quasi nesciat Deus, quibus indigeamus: profecto non ignorat. Ita enim inquit Christus (Matth. 6, 8.): „Scit pater vester, quibus opus habeatis, antequam petatis“. Cur ergo vult, ut sternirem, ut clamem,

gemam, pulsem, et agnoscam me indignum ejus auxilio? Ideo hoc vult, ut tu quoque memineris, quid tibi desit. Alioqui securi stertimus, et somniamus, nos esse felicissimos, cum simus miserrimi. Id vero nescimus, neque discimus alias, nisi tempe- pore tentationis. Iacob habebat Dei beneficio vitam, habebat duas turmas. Sed hoc momento amittit utrunque, et redigitur in nihilum; id ignorabat prius, cum gloriaretur et triumpharet; nunc autem eruditur, quid et quantum valeat, ut discamus fiduciam nostram ponere non in nobis, sed in Deo, ut sic laetemur in donis, ne in iis gloriemur. Id enim perquam difficile est propter corruptionem naturae, quae est vitiata contagio peccati originis, adeo ut cum affligimur, facile in desperationem prolabamur. Si sunt prospera omnia et laeta, sumus securi et superbimus. Ideo sancti nunc dejiciuntur, nunc rursus eriguntur, ut discant servare illud, quod dici solet: Medio tutissimus ibis (Ovid. Met. 2, 137.). Id non fit nisi per tentationem. Non est igitur praesumendum de nobis, sed in sola misericordia et veritate Dei confidendum est. Illa enim sunt immota et aeterna, quae non pereunt, nec fallunt spem et fiduciam nostram.

Sed quid deest Iacob? Omnia desunt. Frater trucidabit me, uxores et turmas. Id timet. Sed ubi est promissio Dei fide apprehensa? An nescis, Deum posse mutare ejus animum? Deus promisit et exhibuit misericordiam et veritatem Iacob, tamen caro trepidat et gemit, ac fugit mortificationem. Id fit vitio originalis mali. Intuetur tantum in periculum: sunt mihi quidem duae turmae, sed video, brevi posse fieri, ut amittam omnia, et ipse etiam vix

evadam periculum mortis. Ait enim: Ne forte veniat et percutiat me, matrem cum filiis. Rursus concutitur et infirmatur fides, et tamen non desperat. Sic enim solet fieri in tentationibus: fides luctatur cum carne, et concurrunt cogitationes desperantes et sperantes. Sunt contrarii venti, fidei et diffidentiae, spei et timoris. „Matrem cum filiis." etc. Inde angustia et anxietas ejus apparet. Subito omnia amisit ad nuntium de fratre adventante. Corruunt et concidunt repente omnes res et spes; tamen manet in promissione. Tu dixisti: „Benefaciendo benefaciam tibi, et ponam" etc. Hoc opponit dubitationi et submersioni illi: „Ne forte veniat" etc. Ea enim fuerunt verba carnis militantis, et admodum infirmae fidei. Sed apprehendit verbum: Veritas tua, inquit, sustentet, erigat et consoletur me, qua promisisti, quod velis mihi benefacere, me benedicere et semen meum. Hoc non fiet, non benedices mihi et semini meo, si Esau me deleverit.

Atqui potuisset Deus etiam deleto Iacob excitare semen, et benedictionem propagare. Sicut in Isaac etiam haerebat promissio seminis et posteritatis, tamen jubebatur offerri, et retinenda erat haec fides Abrahae, quod ex cineribus etiam Isaac posset Deus producere semen, sicut supra dictum est. Illa quidem fuit gravissima tentatio. Iacob autem in hac perturbatione paene oblitus esset ejus, quod dixerat Deus, se fore in Deum, et sicut supra inchoavit orationem: „Domine, qui dixisti ad me" etc. Non solum autem sic precatus est, sed etiam conciones et exhortationes ad familiam in hanc sententiam habuit. Saepe dixit ad Rahelem: Sis bono animo, spem in

Deo et verbo ejus. Sed trucidabit nos? Non faciet; rogavi Dominum, ut protegat et liberet nos. Cogita, Deum mihi locutum esse, et promisisse auxilium. Talibus exhortationibus, concionibus et precibus se et familiam erexit.

Atque hi vere insignes loci et exempla maxime memorabilia sunt in historiis Patrum, quae docent nos, verbum Dei ante omnia apprehendendum, et firmiter retinendum esse, ne id amittamus aut abjiciamus, etiam amissis omnibus aliis rebus, wenn uns schon Esau die Schaf zu tod schlägt. Quantumvis minentur hostes atrocissima quaeque, non patiamur tamen, nobis excuti fidem promissionis, sed haereamus et vivamus in verbo, sicut sancti Patres, Abraham, Isaac, Iacob vixerunt. Etsi enim es infirmus, non tamen propterea verbum abjicito, der Sach wird wohl gerathen. Sin abjeceris verbum, aut ex oculis et animo tibi id removeri passus fueris, Diabolus triumphabit, et adiget te ad desperationem. Cum ista igitur tentatione et oratione pernoctavit Iacob in Mahanaim, quae est civitas ultra torrentem Iabok, ad quam fugit David, cum regno ejiceretur ab Absalon. Est celebris locus in sacris literis. Non longe abest a Iordane. Iabok enim fluit in Iordanem. Gilead, Mizpa, Mahanaim sunt vicinae urbes.

Pernoctavit itaque ibi nocte illa, et accepit de iis, quae sibi in manum veniebant, munus pro Esau, fratre suo. Nempe capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas et arietes viginti. Camelas lactantes cum pullis illarum triginta, vac-

cas quadraginta et tauros decem, asinas viginti, et pullos decem.

Supra dixi, et saepe dicendum est, Deum non esse tentandum, sed utendum esse consiliis, mediis et remediis et auxiliis, quae sunt ad manum, ne Turcis similes fiamus. Pessima enim tentatio est, remissis manibus et pedibus se objicere periculis, non fugere aut declinare ea, cum possis, et postea culpam rejicere in Dei voluntatem. Admonendi igitur sunt pii, eventa et futura esse incognita: solus Deus scit futura et impendentia. Cum autem ea ignoramus, faciendum tamen est, quod possumus. Atque huc pertinent sententiae, quod debeat homo facere, quod in se est, non quoad gratiam, sed in rebus externis et periculis consulendum est judicium rationis, ne tentemus Deum. Et Augustinus de hoc loco dicit: Admonendi fuimus hoc exemplo, quod, quanquam credimus in Deum, tamen faciamus ea, quae sunt facienda, ne ea praetermittentes Deum tentare videamur. Sic enim Iacob pluribus consiliis utitur. Primum cum appropinquat ad fines ditionis Esau, mittit legatos, qui animum fratris explorent, ejusque benevolentiam et reconciliationem ambiant. Sed hoc consilium fallit, quia occurrit frater cum quadringentis armatis, longe potentior et alienior, ut apparet, quam antea. Tamen recte fecit, quod misit legatos, et nisi hoc medio usus esset, peccasset.

Alterum consilium est, quod dividit populum et greges in duas turmas, quia desperat de pace et benevolentia fraterna, ut alteram tantum partem liberet. Neque hoc quidem profuit, quia Deus mitigat animum fratris. Sed non potuisset meliorem ra-

tionem invenire, aliquos ex comitatu a crudelitate fratris liberandi. Nimis enim potens erat Esau, et fuit haud dubie confoederatus cum principibus in Seir, et aliis vicinis gentibus, habuit filios, nepotes, generos: si quidem uterque eo tempore fuit centenarius, quo conveniunt, aut ad minimum XCVIII. annorum. Esau sexaginta annis habuit conjugem; tanto tempore valde multiplicata est familia, crevit opibus et potentia affinium et necessariorum. Iacob anno aetatis LXXXIV. duxit uxores duas. Ideo secum ducit parvulos duodecim aut quatuordecim annorum. Ioseph sex annos habebat. Quid misera haec turba ad tantum exercitum, aut saltem ad liberos et nepotes Esau, qui pari odio et indignatione ardebant adversus Iacob? Ideo sapienter fecit Iacob dividendo suum comitatum, quanquam et illud fefellisset, si potuisset Esau indulgere furori suo.

Ad hunc modum meminerimus nobis quoque tentanda et facienda esse in periculis, quae monstrat ratio et industria humani ingenii, tametsi interdum omnia etiam optime cogitata consilia irrita fiant: vel ob hanc causam, ne sero postea accusemus nostram negligentiam aut stoliditatem, sicut saepe tales querelae audiuntur: Si hoc vel illud tentassem prius, nunquam haec mala evenissent. Illi sero post factum consultant, atque etiam conscientiam suam gravant, quod in tempore nihil adhibuerunt remedii. Deliberandum ergo et agendum est summa cura, quicquid humanis consiliis excogitari usquam potest, ut possis animo tranquillo esse, et dicere, te praevidisse, cogitasse et fecisse, quae fuerunt possibilia omnia.

Tertium consilium est de mittendis muneribus.

Quanquam vero id quoque non satis felix est, tamen est pulcherrime cogitatum, et Moses diligenter describit singula, sicut in tota narratione solito est prolixior. Est enim vehemens et ardua tentatio, ac gravissima mortificatio. Postquam igitur duo consilia fefellerunt, nec potuit placari animus iratus Esau legatis a fratre missis, cogitat, se missurum munus, et id verbis et pompa egregie ornaturum, ut iratus Esau nonnihil ad lenitatem flectatur. Idque accurate recitatur a Mose. Non enim unius generis pecudes mittit, quod hodie solet fieri, cum donatur princeps aliquis centum bobus, aut ducentis ovibus etc. estque admodum pretiosum munus; sed ex singulis generibus deligit certum numerum, atque ita varium pecudum gregem dono mittit. Habent autem munera per se naturam placandi, teste etiam ethnico poëta (Ovid. Ars. Am. 3, 653.): Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque. Non potuit igitur melior ratio inveniri, quam munerum oblatio. Nam haec duo, dejectio sive humiliatio personalis sive deprecatio, et munera maximam vim habent ad reconciliandos animos offensos. Primum ergo capras cum hircis mittit, et sic ordine singulorum generum certum numerum. Sicut in textu enumerantur.

Moses autem dicit: „Accepit de venientibus in manum ejus“. Hieronymus vertit, separavit, et est sententia, quod non elegerit optima ex grege, sed transivit per totum gregem, in quo singulae pecudes bene pastae et saginatae erant, et ex eo segregavit, ut quaelibet erant obvia.

מִנְחָה munus significat. Supra usurpatur de duobus fratribus Habel et Cain. Est sacrificium et

donum, quod offertur: Non solum significat oblationem Deo oblatam, sed munus etiam, quod donatur hominibus. עִזִּים et פָּרִים congruunt cum Germanicis appellationibus, Geis und Farr. Nos a Judaeis sumsimus. Est igitur egregium munus, et aptissimo ordine distinctum, secundum singulas species, quae ad oeconomiam pertinent.

Traditque in manum servorum suorum quemlibet gregem seorsim, et ait ad servos: Transite ante me, et facite spatium inter gregem et gregem.

Vide, quanta diligentia disponat omnia, quo facilius animum fratris offensi deliniat, objecta plausibili specie. Exstinguit greges, et unicuique adjungit peculiarem pastorem, atque ita ordinat, ut sit spatium inter gregem et gregem, ne Esau occurrens confusum gregem adspiciat, sed primum caprae, deinde hirci, tertio oves, et sic deinceps post intervalla ei obviam veniant. רֶוַח non significat proprie spatium, sive intervallum, sicut interpretantur, sed requiem, sicut Exod. 8. (v. 15.) de secunda plaga ranarum: „Videns Pharao, quod facta esset respiratio". Existimo autem, Mosen ideo hac voce uti voluisse: quia illa pecora libenter congregantur et conglobantur, capitibus invicem conjunctis, ut vix possit esse respiratio, sicut Psalm. 49. (v. 15.) dicitur: „Sicut oves in inferno ponuntur". Vult igitur munus ornari non tantum distinctione, sed etiam parci gregibus, ne confusione illa nimis arcta laedantur aut pereant. Addit vero insuper ornamenta verborum.

Et praecepit priori dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau et interrogaverit te: Cujas es, aut quo vadis, et cujus sunt ista, quae te praecedunt? Dices: Haec sunt Iacob, servi tui, estque munus missum domino suo Esau. Ipse quoque venit post nos. Similiter dedit mandata secundo et tertio, et cunctis, qui sequebantur gregem, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum, et addetis: Quin etiam servus tuus Iacob sequitur nos. Dixit enim: Placabo faciem ejus per munus, quod me antecedit, et postea videbo eum, si forsitan suscipiat faciem meam.

Brevia verba sunt, sed admodum rhetorica. Mandat ipsis, ut munus verbis ornent, et ipsum quoque honorifice compellent. Non dicatis, inquit: Hi greges distincti in quinque ordines sunt fratris tui Iacob. Nequaquam, ne refricetur memoria benedictionis surreptae: sed servi tui, cujus tu es dominus. Magna haec modestia et dejectio est, qua sane debuisset flecti et mitigari animus offensus.

Et haec verba non uni tantum pastori mandat, sed omnibus, ut modeste et humiliter loquantur: Iacob servum, Esau vero dominum appellent. Et talis etiam erat utriusque apparatus. Esau enim veniebat cum ingenti comitatu, tanquam dominus in equis et curribus. Iacob vero pedes venit tanquam opilio, et offert munus non regium, sed pastorale. Hoc speravit se posse flectere fratrem, ut cogitaret: Quid cum illo agas, qui est inermis et miserrimus, qui ducit turbam imbellem, filiolos, conjuges, an-

cillas, famulos? His omnino est parcendum, cum sint supplices. Magna sane dejectio et humilitas tanti Patriarchae, qui ornatus est tantis promissionibus et visionibus Angelorum. Sed mortificatio eum humiliat, et simul monet, ut praesenti periculo consulat, quibus potest rationibus.

Diligenter hoc cavet, ne unico verbo magis irritetur Esau. Ideo jubet eos fugere appellationem fratris, amici aut quasvis alias, quae videntur superbiam quandam prae se ferre. Atqui Iacob nequaquam inferior erat fratre Esau, quia erat benedictus a patre. Et expresse in benedictione dicitur: Adorabunt te filii matris tuae. Hic sane diversum ab eo apparet, quod est promissum, imo adhuc magis humiliabitur. Sed antea dixi, esse hoc tempus mortificationis, et Iacob ideo se ita abjicere, ut consulat suis rebus in praesenti periculo, ne temere se praecipitasse videatur in exitium.

Addit amplius: „Ipse sequitur". Non fugit, sed sequitur et confidit tuae humanitati, et sperat, se inventurum gratiam et pacem. Haec quoque verba sunt admodum amica et blanda, quae animum quantumvis exulceratum sanare et demulcere possint. Et diligenter monet, ut secundum haec verba cum fratre loquantur! Cavete, ne dicatis, fratrem sequi, aut me locupletatum esse apud Laban, habere magnam familiam. Nolite superbire, et me invisum reddere; sed humiliate vos, et dicite: Servus tuus venit post nos.

Placabo enim, inquit, eum muneribus, et postea videbo eum: fortassis suscipiet faciem meam. Hoc est consilium Iacob: Volo eum placare muneribus. Ex istis facile colligam, an ad lenitatem sese dede-

dederit. Si primo pastori nihil responderit, tamen secundo, tertio etc. respondebit. Et post oblata munera veniam ipse, et me humiliabo. Forsan suscipiet faciem meam, id est, recipiet me in gratiam, reconciliabitur mihi. Est enim phrasis scripturae, quae significat acceptare. Facies peccatorum sumere, id est, peccata eorum collaudare, non arguere. Videmus igitur, quomodo debeat homo facere, quod est in se. Sic enim Iacob mittit munera ad fratrem, et ea artificiosissime disponit, denique verbis ornat, quantum potest. Hoc est facere, quod in se est, et non tentare Deum. Si id non fecisset, et facta esset caedes, conscientiam ejus hae cogitationes perpetuo excruciassent: Cur non humiliasti te coram fratre, et reverenter eum allocutus es? Si vidisset te supplicem, haud dubie pepercisset tibi; sed quia fuisti negligentior in inveniendis consiliis et remediis, merito ista pateris.

Praecessit itaque munus faciem ejus; ipse vero mansit nocte illa in turmis. Noctu vero consurgens tulit duas uxores suas et duas ancillas suas, atque undecim natos suos, et trajecit vadum Iaboc. Et accipiens eos transmisit eos ultra torrentem, transmisit quoque, quicquid habuit et mansit solus.

Praemissis legatis cum muneribus Iacob non e vestigio sequitur, sed commoratur illa nocte apud turmas, ut intersit spatium itineris unius diei inter Iacob et dona praecedentia, et possit ipse ex intervallo cognoscere fratris animum. Nondum vero acquiescit, sed mortificatur amplius. Nocte enim

surgit, et cum uxoribus et liberis trajicit vadum Iaboc. Et videtur textus hoc indicare, Iacob clanculum dormientibus hominibus media nocte voluisse transmittere torrentem, ac apparet, eum metuisse, se, si frater mane veniret, impediret transitum. Laboravit igitur in transvehendis uxoribus et liberis et omnibus, quae habebat, idque duarum horarum spatio vix confecit.

Notanter autem dicit Moses: Transmisit eos; et perinde sonat, ac si primum duxerit familiam ad torrentem, et solus ipse transierit, et tentaverit, qua parte facillime vadari posset, postea demum uxores et liberos trajecerit. Postquam vero trajecit, separavit se a tota familia in locum solum, et oravit magna sollicitudine, quia plenus adhuc est terroribus et infirmitate. Ideo deligit solitarium locum, propterea quod solitudo maxime opportuna est precantibus, etiam interdiu. Quando enim est seria et ardens invocatio, non libenter patimur verba illa, quae coram Deo effundimus ineptius, exaudiri.

Nocte ergo surrexit, et in transmittendis uxoribus et rebus suis fuit occupatus una aut altera hora, totidem etiam in lucta fuit. Convenit autem tempus nocturnum inprimis tentationibus. Sicut supra cap. 15. (v. 12.) dictum est: „Post occasum solis, cum factae essent tenebrae, apparuisse furnum fumantem“ etc. Tenebrae per se contristant et dejiciunt animos omnium hominum et pecudum etiam. E contra lux oriens exhilarat omnia animantia. Recte igitur Germanico proverbio dicitur: Die Nacht ist niemands Freund. Est tempus aptum tribulationibus et orationi, ad quam cogit tribulatio. Crevit ergo ardor invocandi, sed in maxima infirmitate.

Videmus autem, quanta diligentia describat Moes, imo Spiritus sanctus, etiam levissimas actiones t passiones Patriarcharum, in quibus nihil eminet peciosorum aut prodigiosorum operum, qualia Moachi et justitiarii jactitant. Sed eo maxime insignes t aureae sunt hae passiones, quia habent hanc proiissionem, quod pretiosa sit in conspectu Domini on mors tantum aut sanguis, sed etiam capilli caitis pretiosi et numerati sint. Ideo non dedignatur piritus sanctus immorari hisce oeconomicis et paoralibus operibus et passionibus; in illis enim fides gregie exercetur, et fit sacrificium Deo gratissimum.

Ideo perpetuo oculis haec exempla Patriarchaım observari debent, ut discamus, nostras quoque ctiones, quae fiunt in fide, afflictiones item, quas ıstinemus in fide, esse Deo accepta omnia, et inar jugis sacrificii. Haec ingens consolatio est creentium. Videtur vita piorum otiosa et sine aliquo uctu et dignitate esse. Verum insignis haec gloria it, quod scimus, numerari lacrymas et singulas uttas, quae cadunt ex oculis, a Deo, et esse omia scripta in oculis Dei et collecta quasi in aureo ısculo.

Non sunt autem Monastica jejunia septem dieım aut plurium, non vigiliae et caelibatus, quorum hil ex fide est. Ideoque Diabolus ea non persequir, sed fovet, ut possint esse sine periculo; Deo item vehementer displicent, quia suscipiuntur et runtur omnia contra verbum. Sed bis miseri sunt les operarii, quia irretiti Satanicis laqueis veheentius multo affliguntur, quam omnes pii. Quid im miserius est, quam obedire et subjectum esse iabolo?

Est et illud mirandum, quod Patriarcha tam obedientem familiam habuit, quae tanta patientia tot pericula sustinuit. Et praesertim nuntii illi, qui aequo animo patiuntur se objici irato fratri, potuissent redire in Mesopotamiam, et ibi in tuto esse. Sed sustinent communia pericula cum domino, qui id summo studio egit, ut retineret eos in fide et agnitione Dei, qui dederat ipse promissionem, quam una cum domino exspectaverunt. Est igitur insignis et utilissimus Pontifex Iacob, qui tot animas ex Mesopotamia liberat, et salvat sincera doctrina et cultu Dei. Ac fuerunt ipsius domestici veri martyres, conflictantes tantis difficultatibus propter dominum suum.

Paucissimos hodie invenias ex isto ordine hominum corruptissimo, qui hanc patientiam et constantiam imitentur. Sed ubi verbum docetur, ibi est fides, ubi fides est, ibi sunt tales vicini, famuli, conjuges, liberi etc. Ideo hodie etiam aliquos esse necesse est. Sicut enim pluvia non cadit propter unum culmum, sed propter multos agros, ut fecundentur, et fructum copiosum ferant: sic verbum non datur ad unum aut alterum tantum convertendum, sed propter multos omnium ordinum homines. Neque etiam me aut Pomerano sublato omnes pios et bonos rebus humanis exemtos cogitabitis, unser Herr Gott hat mehr fromme Leut. Sed tamen pii sunt miracula in mundo et dona Dei, quia maxima pars est impia.

Et luctabatur vir cum eo, usque dum adscenderet aurora.

Hic locus ab omnibus habetur inter obscurissimos totius veteris testamenti. Neque id mirum est,

quia agit de sublimi illa tentatione, qua dimicandum est Patriarchae Iacob non cum carne et sanguine, aut cum Diabolo, sed adversus Deum ipsum. Ea vero horribilis pugna est, quando Deus ipse pugnat, et adversatur hostiliter pugnando tanquam vitam erepturus. In hac lucta qui volet consistere et vincere, eum sane oportebit esse sanctum virum et vere Christianum. Itaque propter magnitudinem rei historia haec obscura est, et propter obscuritatem praeterierunt eam omnes alii interpretes. Quare nobis quoque liceret praeterire. Sed tamen dicemus, quantum possumus.

Lyra utcunque pinxit hoc certamen; sed non potuit recte illustrare omnia. Augustinus fingit allegoriam. Verum in sacris literis non sunt quaerendae nudae allegoriae. Nisi enim habeant historiam et certam rem pro fundamento, nihil aliud sunt, quam fabulae Aesopicae. Deinde etiamsi historiam habemus, tamen non est omnium, formare inde allegorias. Origenes parum felix est. Hieronymus infelicior, quia non habuerunt perfectam cognitionem historiarum, sine qua nemo feliciter allegorias tractaverit. Ideo ante omnia eruendus est historicus sensus; is docet, consolatur, confirmat. Postea allegoria ornat et illustrat tanquam testis. Historia vero est quasi auctor, sive caput et fundamentum rei.

Faciemus igitur periculum, an possimus verum sensum et doctrinam hujus loci eruere. Ac si non perfecte assecuti fuerimus, tamen non procul aberrabimus. Primum omnium autem removenda sunt variarum opinionum impedimenta. Hoseas cap. 12. (v. 4. 5.) allegat hunc locum, cum ait: „Et viribus suis praevaluit Deo, et praevaluit Angelo, eoque

potentior fuit. Flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum" etc. Inde omnes interpretes colligunt, istum virum luctantem cum Iacob fuisse Angelum; sed nos hunc canonem perpetuo observamus: Quotiescunque meminit scriptura sancta apparitionum, sicut supra Genesis 18., cum tres viri offeruntur Abrahae, et non ponitur diserte nomen Angeli, illi non pro Angelis interpretamur, quia clare dicitur: Apparuit ei Dominus, non Angelus. Postea autem cap. 19. (v. 1.), cum duo Angeli pergunt Sodomam, illos Angelos fuisse concedimus.

Sicut cap. 28. (v. 12. 13.) quando vidit Iacob Angelos adscendentes et descendentes, et innititur Dominus scalae. Ibi Dominum non pro Angelo accipimus, sicut illi, qui adscendunt et descendunt, nominatim Angeli dicuntur, sed pro Filio Dei, qui erat incarnandus, Dominus noster Iesus Christus, qui est verus Deus et verus homo. Et per communicationem idiomatum dicimus: Homo est sursum et super omnes creaturas, Deus est infimus. Quod est mysterium illud, in quod desiderant Angeli prospicere: quia propter unitatem personae vident Deum infra, hominem autem supra. Ideoque dicimus: Homo sedet ad dexteram Dei Patris. Item: Deus descendit ad inferos, adscendit ad coelos. Haec est communicatio idiomatum, de quibus supra copiosius.

Ubicunque igitur non exprimitur nomen Angeli, non intelligimus Angelos. Et hoc loco diserte dicitur: „Praevaluisti Deo": non solum certasti cum Deo, sed etiam vicisti. Item postea sequitur: „Vidi Deum facie ad faciem". Locum autem Hoseae sic interpretamur, quod verba illa sunt μιμητικά, quae recitat Propheta, non ut suam doctrinam et senten-

tiam de hoc exemplo exponat, sed ut arguat et corripiat falsos Prophetas, qui talia jactabant, ac contra Ierosolymitanum templum et divinam ordinationem cultus suam idolatriam pertinaciter defendere conabantur, praetextu et exemplo hujus Patriarchae Iacob. ' Non enim opus est, dicebant, ut offeramus Ierosolymis, sicut sacerdotes ad explendam avaritiam suam exigunt, et nostra sacrificia tanquam impia damnant, propterea quod abducimus populum ab ipsorum cultu, et multum de reditibus eis decedit. Ita traducebant veros doctores et pios sacerdotes retinentes verum cultum Dei, ac pro se rapiebant testimonium hujus historiae, si quidem Deus in isto loco Bethel vel Phanuel locutus esset cum Iacob, exhibuisset et scalam et Angelos, decertasset cum Deo, cum Angelo flevisset, et precatus esset eum. Nam hoc postremum ipsi affinxerunt.

Tales fuerunt conciones Pseudoprophetarum, in quibus refutandis Prophetae, et inprimis Hoseas valde laborarunt. Nam omnes ejus conciones pertinent ad reprehendendam idolatriam regni Israëlitici, propterea quod sibi peculiares cultus et loca peculiaria deligebant, ubi olim Deus locutus fuerat ad Patres, ubi Angeli apparuerant, aut ob alias causas loca erant insignia. Gravissime autem Deus per Mosen prohibuerat audaciam fingendi novos cultus, ut, cum dicit (Deut. 12, 4—6): „Non offeres in omni loco, sed ad locum, quem elegerit Dominus, Deus vester, de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras". Atque erat tum locus cultui destinatus templum Ierosolymitanum. Ibi erat arca foederis, et promiserat Deus, se

locuturum ex propitiatorio, ut abduceret populum a diversitate idolorum ad unitatem cultus Dei, ad quem omnes congregare volebat, si non corporibus et operibus externis, tamen corde et invocatione, si qui ab eo loco aberant longius.

Sed contra hanc sententiam pugnabant Pseudoprophetae, et dicebant: Deus est ubique; ergo in omni loco coli et adorari potest, cum in Bethel, tum in quolibet alio monte. Non igitur respiciebant ad mandatum Dei. Quando enim Deus definit certum modum, et locum certum designat cultus sui, non est dicendum: Ubicunque coluero Deum, placebit illi, si modo pie et devote id fecero, aut ubicunque locorum mihi libuerit, ibi offeram. Sicut Isaias illam insaniam graviter reprehendit: „Sub omni ligno frondoso, inquit (57, 5.), prosternebaris meretrix". Et in hunc modum hodie Turci et Iudaei loqui solent, quod extra unitatem fidei et ecclesiae Christi possint Deo servire. Mahometus affirmat, unumquemlibet in sua religione salvari, si oret, si det eleemosynas, et alia bona opera faciat: non necesse esse, ut sit Christianus, aut sit in unitate Christi et ecclesiae. Sic in Papatu omnes anguli occupati fuerunt sacellis, coenobiis, et idolomania omnis generis.

Clamat igitur Hoseas: Illud exemplum Iacob nequaquam confirmat vestram idolatriam. Est quidem luctatus cum Angelo; sed hoc vos meminisse oportebat, quod Dominus Deus exercituum eduxit Israël ex Aegypto per Prophetam. Sed ubi inveniundus est ille Deus? Ubi fecit memoriam nominis sui? Ubi est memoria haec? Ibi, ubi est arca testamenti.

Verum id quidem est, Deum non esse alligatum, neque ad Ierosolymam, neque ad alium quem-

cunque locum, et posse etiam alibi salvare. Hoc nemo negaverit. Versuchs aber, und siehe, was du kriegen wirst. Sed si tuo arbitrio finxeris cultus, non sine periculo et indignatione divina id facies. Posset Deus omnipotentia sua salvare genus humanum sine Christo, sine Baptismo, sine verbo evangelii, potuisset per Spiritum sanctum intus illuminare corda, et remittere peccata sine ministerio verbi et ministrorum. Sed non voluit. Et prohibuit Deus severissime omnes vagas devotiones et cultus.

Quando igitur dicunt hypocritae: Quicquid fit bona intentione, placere Deo, damnandae sunt devotiones illae electiciae, et monendi sunt homines, ut eo dirigant oculos, ubi se revelavit Deus. Non est dicendum: Paulus praedicavit Romae; igitur est ibi Christus. Iacob sepultus est in Compostella Hispaniae; ergo est ibi colendus Deus invocatione divi Iacobi. Nequaquam. Atqui facta sunt ibi multa miracula? Respondeo: Deus abominatur et damnat omnes vagas cogitationes extra unicam revelationem factam in verbo et sacramentis, in quam voluit nos colligere et includere. Ideo enim misit Christus discipulos suos cum hoc mandato: „Ite in universum orbem, et docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Qui crediderit et baptisatus fuerit, hic salvus erit". Vult, nos colligi in verbo et Baptismo, tanquam certo et infallibili signo, quod velit nos salvare et adjuvare, sicut in populo Israëlitico ad propitiatorium se exauditurum promittebat.

Ad hunc modum si vis absolvi a peccatis, vade ad pastorem, vel ad fratrem et proximum tuum, si

pastorem audire non licet: is habet mandatum, ut te absolvat et consoletur. Non fingas tibi peculiarem absolutionem. Si vis uti Coena Domini, accede ad coetum ecclesiae et publicam congregationem, et illic utere, nec comminiscaris peculiarem administrationem aut usum sacramentorum. Non enim vult nos Deus vagari propriis et electiciis operibus aut speculationibus; ideoque collegit et conclusit nos intra limites verbi, ne quolibet vento doctrinae agitaremur.

Id enim accidit nobis sub Papatu, cum contemsimus Baptismum, Coenam Domini, remissionem peccatorum, et peregrinati sumus interim ad S. Iacobum, Romam, Ierosolymam: quasi Deus non adesset omnibus ecclesiis et coetibus, qui habent verbum et sacramenta ejus. Denique infinita fuit varietas sectarum et ordinum, quorum quilibet peculiarem et segregatum ritum habuit a ritu et ordinatione Dei. Nec possunt illae innumerae formae fornicationum, ut loquitur scriptura sancta, prohiberi, nisi abjectis nostris operibus. Ideo vult Deus, ea omnia removeri, et proponit verbum suum, quod dicit: Hic adorabis, coles, offeres, en habes in verbo, in Coena Domini, in Baptismo remissionem peccatorum, iis acquiescendum tibi erit, si vis esse salvus.

Ad eundem modum Prophetae summo studio inculcarunt Iudaeis locum a Deo electum contra erroneos illos et vagantes motus ad diversa idola et sacrificia; sed pessime a suis auditoribus tractati, proscripti et trucidati sunt. Sicut hodie Pontifex damnat, excommunicat, occidit eos, qui vagas libidines et fornicationes idolatriarum taxant. Nihilominus autem vere pii hanc lucem verbi gratis ani-

mis amplectuntur, et conferunt se veluti pullos sub alas gallinae nostrae, Iesu Christi, Filii Dei, et sub iis inveniunt requiem et defensionem adversus omnem impetum et insidias Satanae. Haec de loco Hoseae, cujus sententia non indicative aut affirmative, sed μιμητικῶς accipienda est.

Rejicienda etiam est Iudaeorum glossa, qui fingunt, virum luctantem cum Iacob fuisse Angelum bonum, qui fuerit custos Esau, eum pro suo officio, quod ipsi debebat, opposuisse se Iacob, et cum eo pugnasse: Angelum autem victum flevisse, et rogasse, ut se dimitteret; sed plurimum absurditatis habet hoc delirium. Somniant, nescivisse Angelum, benedictionem pertinere ad Iacob. Item Deum ita roborasse Iacob, ut vinceret Angelum, et e contra Angelum debilitatum esse, ac propterea flevisse. Haec stulta et frivola imaginatio est, fingere, Angelum fuisse ignarum promissae benedictionis, aut ita malum, ut voluerit resistere ordinationi divinae. Lyra aliquando propius accedit, facit Angelum hunc virum, sed in persona Dei, et quod voluerit fugere; sed sit detentus a Iacob, usque dum benediceret.

Nostra vero sententia haec est, quod luctator sit Dominus gloriae, Deus ipse, sive Filius Dei incarnandus, qui apparuit et locutus est Patribus. Deus enim immensa bonitate familiarissime agit cum electo suo Patriarcha Iacob, eumque exercet, quasi colludens suavissime. Sed ludus hic immensus dolor et summa angustia animi est. Et revera tamen est ludus: sicut exitus ostendit, quando veniet ad Phanuel. Tunc enim erit manifestum, fuisse mera signa familiarissimi amoris. Ac propterea ludit cum eo, ut exerceat et corroboret fidem ejus, perinde ut pius

aliquis parens rapit filio pomum, quo delectabatur puer, non ut aufugiat et aversetur patrem, sed ut magis incitetur ad patrem amplectendum, obsecrandum: Mi pater, redde, quod abstulisti. Ibi delectatur pater tentatione illa, et filius, quando recipit pomum, ardentius amat, cum videt, patri voluptati esse amorem et lusum puerilem.

Hi lusus in oeconomia sunt usitatissimi, sed in rebus et certaminibus sanctorum admodum graves et difficiles. Iacob enim ignorat, quis sit iste, qui cum eo luctatur, nescit, esse Deum: quia postea interrogat, quod sit ipsi nomen. Postquam vero accipit benedictionem, inquit: „Vide Dominum facie ad faciem". Ibi nova laetitia et vita ex tristissima tentatione et ipsa morte exsistit.

Haec igitur videtur esse doctrina hujus historiae, si modo possem pro dignitate eam explicare, quod Deus cum sanctis suis ad exemplum Iacob aliquando solet colludere, quod ad ipsum attinet, lusu prorsus puerili. Nobis autem longe aliter apparet, quos ad hunc modum tentat. Sed est optimum et maxime salutare exercitium ac perfectissima eruditio, quae finem felicissimum sortitur, nempe, ut cognoscatur, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Carni non potest non videri mala, molesta, tristis; sed tum Deus ridet suavissime, cum nos ploramus, et est ei beneplacitum super timentes eum, et sperantes super misericordia ejus.

Auget autem dolorem et trepidationem carnis tentatio desperationis, quae solet concurrere, quando animus afflictus queritur se desertum et abjectum a Deo. Haec est ultima et gravissima tentatio diffidentiae et desperationis, qua solent exerceri summi ex

sanctis. Et qui ibi potest consistere et perdurare, pervenit ad perfectam cognitionem voluntatis divinae, ut possit dicere cum Iacob: „Vidi Dominum" etc. Ich meinet nicht, daſs unser Herr Gott so gut mit mir meinet, aber ehe wir dahin kommen, so wirds uns saur. Aperta igitur et clara est doctrina hujus historiae de tentationibus summorum sanctorum, qui magna dulcedine gustant, quam suavis sit Dominus. Etsi autem non omnes capiunt, nec intelligunt haec certamina, tamen non sunt propterea rejiciendi.

De apparitionibus autem in genere supra aliquoties dictum est, ac sciendum est, non esse credendum omnibus, nisi sint analogae fidei. Ego verbum Dei retinebo, et eo ero contentus. Ibi moriar, ibi vivam. Abunde satis est praesidii in promissione Dei non solum contra Diabolum, carnem et mundum, sed etiam contra illam sublimem tentationem. Si enim mitteret Deus Angelum, qui diceret: Non credas promissionibus his, rejicerem eum: Discede a me, Satana etc. Aut si Deus ipse appareret in sua majestate, et diceret: Non es dignus mea gratia, mutabo consilium et non servabo tibi promissum: ibi non esset mihi cedendum, sed adversus Deum ipsum pugnandum acerrime. Sicut inquit Hiob (13, 15.): „Etiamsi occiderit me, tamen in eo sperabo". Si abjecerit me in profundum inferni, et posuerit me in medio Diabolorum, tamen credo, me salvatum iri, quia sum baptisatus, sum absolutus, accepi pignus salutis meae, corpus et sanguinem Domini in Coena. Nihil igitur aliud videre, nec audire volo; sed vivam et moriar in hac fide, sive Deus, sive Angelus, seu Diabolus contrarium dicat.

Hanc existimo esse veram tractationem hujus lo-

ci. Sic enim in fine Iacob ipse exponet, cum dicet: Et salva facta est anima mea. Est igitur haec imago certaminum et luctarum in sanctis plenissima consolationis: sicut alibi recitatur exemplum de Mechtilde Moniali; ea vexabatur a Diabolo, quod plane nihil sciret aut sentiret de fide. Haec erat tentatio diffidentiae, qui est acerrimus dolor et cruciatus conscientiae. Consumuntur enim animi trepidatione et dubitatione, et sola experientia ostendit, qualis sit dolor; verbis declarari non potest. Tamen nondum par erat tentatio illa huic luctae Iacob. Nondum enim pugnabat adversus eam Deus, sicut hic, sed Diabolus, qui potest impellere homines ad diffidentiam, desperationem et blasphemias in Spiritum sanctum. Sicut ipse aliquos vidi, et praesertim mulierculas, quae simpliciter querebantur, se esse damnatas et abjectas, quia vexabantur a Satana spiritu blasphemiae.

Monialis ergo nihil aliud tentationis illi opponebat, quam hanc vocem: Christiana sum, hoc est, sum baptisata in sanguine Filii Dei, sum cibata corpore et sanguine Christi. Haec firmiter retineo, hac consolatione acquiesco, etiam si Deus ipse aliter dicat. Sicut Abraham jubebatur occidere filium promissionis, et tamen firmissime credebat, Deum servaturum promissa.

Haec diligenter agitanda sunt propter eos, qui aliquando futuri sunt pastores ecclesiarum. Semper enim erunt aliqui, qui patientur hasce tentationes, ut eorum voce erigi et confirmari possint in hunc modum: Confide, fili, crede, te baptisatum esse, pastum et cibatum Coena Domini, absolutum impositis manibus, non meis, sed Dei, qui dixit ad te:

Remitto tibi peccata, promitto vitam aeternam. Hoc si firma fide apprehenderint, evanescent tentationes et blasphemiae spiritus. Nam et Abraham haud dubie toto pectore trepidationem et consternationem ingentem sensit, cum esset ei mandatum, ut occideret filium. Interim tamen hanc fidem retinuit, qua firmiter statuit, tametsi redigeretur filius in cineres, fore tamen eum patrem posteritatis secundum promissionem. Wie, ist denn Gott ein Lügner worden? Quid, an mentietur Dominus? An non servabit promissa? Talia venerunt ei in mentem. Et tamen paret mandato, et cogitat: Sicut ex utero matris effeta et sterilis et lumbis meis produxit Dominus filium, sic etiam crematum et redactum in cinerem poterit resuscitare.

Ad hunc modum Abraham quoque pugnavit contra Deum, quae est una omnium gravissima et difficillima lucta. Sed testatur Deus in ea perfectissimam et optimam voluntatem suam. Licet non agnoscatur, nec possit sustineri certamen hoc, nisi a sanctis, oportet tamen hanc doctrinam et consolationem exstare ad nos confirmandos, ne absorbeamur a Diabolo. Quanquam fidelis Deus, qui non sinit nos tentari supra hoc, quod possumus. Id enim docet nos hoc exemplum Iacob, qui tanto certamini maxime impar erat, et tamen manet invictus. Ita autem se gerit Deus erga ipsum, ut non agnoscat, esse Deum luctatorem: meinet, es sey ein Englichen, putat esse Angelum; sed est Deus, qui ostendit se adversarium, quasi velit eum occidere et privare promissionibus et benedictione, eamque tradere fratri Esau; neque quisquam verbis consequi potest, quales ibi fuerint cogitationes. Sed talia haud dubie

venerunt ei in mentem: Was bin ich denn für ein armer, elender Mensch, sumne tantum creatus ad mala ferenda? Solus ego sine respiratione alio post aliud malo excipior et affligor. Nemo est omnium, qui vivunt, me calamitosior. Video, fratrem Esau regnare, triumphare, crescere et augeri magna gloria, opibus, liberis, nepotibus, reditibus. Quid si Deus mutavit sententiam, me rejecit, et fratrem recepit in gratiam?

Hae fuerunt cogitationes Iacob, sed manserunt tamen cogitationes. Nam ab his quidem natura et infirma fides non potest abstinere, sicut nec alios affectus impatientiae, irae, concupiscentiae non facile exuere potest. Sed maneant modo cogitationes, non fiant sententiae definitae et finaliter concludentes, aut confirmatae judicio et conscientia nostra. Non possum prohibere, quin mirabilibus vexationibus turbetur cor meum. Sequendum igitur est consilium Eremitae cujusdam, apud quem querebatur adolescens, sibi saepius obversari imaginationes de libidinibus et aliis peccatis. Ibi respondit senex: Tu non potes prohibere, ne volitent super caput tuum volucres. Sed volitent tantum, et non nidificent in capillis capitis, sint cogitationes, et maneant tales, sed non fiant conclusiones. Id enim est desperatorum, ut Saulis, Iudae et aliorum, qui ex cogitationibus faciunt conclusiones: Major est iniquitas mea, quam ut veniam mereri possim. Item: Tradidi sanguinem justum etc. Hi abjiciunt verbum, fidem et invocationem, hoc est, facere ex tentationes judiciales sententias. Iacob vero non abjicit fidem, quanquam gravissimam tentationem et infinitas cogi-

tatio-

tationes habuit, quas non intelligunt rudes harum rerum.

Principalis igitur sententia hujus historiae est exemplum perfectorum sanctorum et tentationum in sublimi gradu, non contra carnem, sanguinem, Diabolum, bonum Angelum, sed contra Deum apparentem in forma hostili. Quanquam enim ignorat Iacob, quis sit vir ille, tamen sentit, se derelictum a Deo, aut Deum sibi adversari et irasci. Ita retinemus sensum grammaticum sive historicum, quo posito sponte se offerunt allegoriae.

Haeremus simpliciter in verbis textus, quod fuerit forma sive species viri, non Angelus. Sicut enim Iacob recitavit, ita Moses scripsit historiam, sic nimirum: Subito aggressus est, et invasit me vir. Haec fuit species, sive apparentia. Non autem disputat, quis fuerit vir ille, quia nescit. Sed postea, cum videt posteriora, tum agnoscit, et dicit: „Vidi Dominum facie ad faciem". Ergo illa invasio non fuit alia, ac si invaderet et aggrederetur eum magnus ac robustus vir. Quis vero esset, nesciebat. Et ipse Iacob fuit etiam justo robore et viribus integris, quales solent esse in corpore sano et valido. Cum igitur absque gladio aut armis dimicaretur, fortiter reluctatus est. Et habebat adhuc qualemcunque fidem in promissionem: quanquam trepidabat, tamen cogitationes ejus non erant definitiones aut conclusiones. Impugnabatur quidem, et tentabatur fides ejus; sed definitionem tamen firmiter tuebatur: Ego habeo promissionem. Ea fretus non recusat monomachiam, und wagts; denkt, würgt er mich, so würgt er mich.

Quae autem fuerit angustia animi in ipsa lucta,

non describitur. Tentationem autem ipsam colligimus fuisse pugnam fidei contra diffidentiam. Voluit enim vir ille animam ejus percellere et expugnare sub nomine Dei, ut abjiceret omnem spem misericordiae et gratiae divinae. Sicut Satanas Christum adoritur: „Si prostratus, inquit, adoraveris me, dabo tibi ista omnia" (Matth. 4, 9.). Ibi transformat se Diabolus in figuram et majestatem Dei, et est tentatio summa, quae sentiri tantum, verbis autem enarrari non potest. Nec mirum est, quod homo in hoc paroxysmo ratione nihil potest definire aut consulere. Pugnat enim ibi spiritus ipse, et adest Spiritus sanctus, adjuvans infirmitatem, et nisi adesset, procederet tentatio contra definitionem.

Verisimile autem est, virum illum tale quiddam addidisse: Moriendum tibi est, Iacob; non enim tu is es, cui dedit, aut datam etiam promissionem velit servare Deus etc. Haec fuerunt ignita tela. Et tamen sanctissimus Patriarcha omnino is erat, ad quem pertinebat promissio et benedictio. Sed tentatur hic ad extremam scintillam, usque ad linum fumigans. Sed fumat adhuc, necdum exstinctum est, neque arundo quassata.

Haec vero sublimiora sunt in sanctis, quam ut possimus ea intelligere, quanquam legenda et audienda tamen sunt. Moses certa verba non expressit, quae commutaverint in lucta, et tamen non est consentaneum, eos prorsus tacuisse. Sed haud dubie vir ille terribili voce sonuit: Pereundum tibi erit, Iacob, du mufst herhalten. Ad haec Iacob: Nein, das wollt Gott nicht. Non peribo. Ia und nein ist da aufs allerschärfst und heftigst aufeinander gegangen. Ista ore et verbis non satis queunt exprimi,

praesertim quando Deus ipse dicit: Tu peribis; et spiritus reclamat: Non moriar, sed vivam etc. Impulsus sum, ut caderem; sed Dominus suscepit me. Impellar, invadar, evertar, tamen non moriar. Ita colluctati sunt brachiis pariter et verbis, ut solet inter duos luctatores fieri. Interea vero et fides luctata est orando et clamando clamorem illum Mose ad mare rubrum.

Hic fuit paroxysmus luctae, in qua magis laboravit fides, quam brachia, urgendo et repetendo: Non, non etc. Deus jussit, vocavit, misit me, ut redirem in terram patriam, non credam nec adsentiar tibi. Etsi Deus me occiderit, occidat sane: tamen vivam. Ad hunc modum aliis atque aliis verbis usi sunt duabus istis horis. Et fuerunt haud dubie sermones acerrimi et vehementissimi. Nescivit Iacob, quis esset, et ratio nihil poterat statuere aut consulere, quia in tali lucta sunt perturbati omnes sensus, confusa est ratio, sicut dicitur in Psalmo 107. (v. 27.): „Devorata est omnis sapientia eorum"; Iacob hat nicht gewüſst, wie ihm geschehen sey, nisi quod audit fides dici: Benedictio non ad te pertinet, sed ad Esau fratrem. Tu nihil es etc. Vivit igitur solo verbo. Et fides ejus est infirmissima pariter et fortissima. Quando enim linum fumigat, tum proximum est, ut incendatur. Et fuit ipse in maxima angustia, quia dicet postea: Salva facta est anima mea: quasi dicat: In summa angustia fuit anima mea; sed jam secuta est respiratio. Non enim tentat Deus, ut occidat, sed ut recreet, confirmet, corroboret. Haec ex textu ipso colligi possunt. Atque haec est lucta Iacob paucis descripta, quam relinquimus expertis pluribus declarandam.

Hebraeum verbum, quod septuaginta luctari reddiderunt, deducitur ab אָבָק, quod significat pulverem, et quidem excitatum, qui spargitur in aëre. Non est jacens, sed excitatus pulvis a laborantibus aut pugnantibus, ut Ies. 5. (v. 24.): „Germen eorum sicut pulvis". Significat igitur verbum ipsum pulverem excitare pugnando. Quanquam existimo, esse unum de vocabulis non satis cognitis, quia linguae Hebraea nondum perfecte est restaurata. Et Iudaei suis aequivocationibus, et interpretationibus multa depravant, praesertim vero in locis obscuris de Messia.

Et videns, quod non posset ei praevalere, tetigit volam femoris ejus, et vola femoris Iacob luxata est, dum ille luctaretur cum eo.

Iacob est robustior viro, non quod revera sit fortior Domino, sed servatur decorum personae quia Dominus non exercet majorem virtutem, quam possit aut soleat vir exercere. Vult tantum unius viri vires experiri, cum ipse Dominus vere sit fortior. Neque ego sane libenter velim luctari, ut maxime essem robustus gigas, cum viro fideli et habente promissionem; ibi enim natura laborat supra vires. Non igitur ostendit Deus suam potentiam, sed artem et ingenium, quantum convenit viro robusto. Et simul secum affert horribilem tentationem spiritus. Ea demum corroborat Iacob, ut luctetur supra vires. Nemo hominum enim, cum sanus est et compos rationis, hoc potest facere, quod facit natura laborans et oppressa, quando natura est infirmata et laborat usque ad mortem. Ibi omnes diffi-

cultates potest superare, quas alioqui non valeret sustinere. Ideo solent dicere post tales paroxysmos, cum ad sese redeunt: Ey wie matt und krafftlos bin ich. Sequitur debilitas et languor omnium virium, quia natura laboravit supra vires.

Exstat alibi sive historia, sive fabula de vestigiis quinque digitorum impressis altari saxeo a quodam, qui petiverat, sibi tam magnam hostiam in coena dari, quantam sumeret sacerdos. Et cum negatum ei esset, sive terrore, sive indignatione quadam motum dextra aram percussisse, atque inde vestigia manus saxo impressa perpetuo haesisse. Homo enim tentationibus aut terrore perculsus, facit, quod alioqui extra tentationem esset impossibile. Sic igitur vir iste, qui erat Christus, Dominus noster, luctatur cum Iacob eodem modo, quo vir cum viro congreditur. Cum autem videret Dominus, Iacob esse robustiorem, praesertim in fide, cui non libenter resistit Deus, utitur artificio singulari luctatorum, et tangit vertebram femoris Iacob.

כַּף significat volam, id est, manum recurvatam, in modum cochlearis, unde Moses vocat כַּפּוֹת cochlearia, Germanice Koten, et propter similitudinem significat vertebram, vel os concavum, quod Graeci ἰσχίον appellant, cui inseritur et in quo vertitur os superioris cruris. Sunt autem circumdati nervi, ut fiat junctura duorum ossium, ne dissideant. Et illa vertebra movetur pes. Vult igitur dicere, virum movisse loco suo os femoris Iacob, hat ihm die Hufft verrenckt, dafs ihm das Bein aus dem Glenck ist kommen. Facta autem luxatione moventur et contrahuntur etiam nervi, sciuntur ibi propri-

ter concursum multorum nervorum acerrimi dolores, et sequitur stupor membri.

Cum ergo non posset vir ille vincere Iacob, impressit manum femori, et ea impressione motum est loco suo femur et nervi, hat ihm ein harten Druck geben, und das Bein wöllen lahm machen. Haec sunt artificia luctatorum. Et simile exemplum vir quidam dignus fide mihi Isenaci recitavit, cum esset in Pathmo, se novisse robustum gigantem, hirsuto pectore, barba impexa, stiriis ex pilis pendentibus, capite perpetuo nudo, qui solitus fuerat curvare et frangere ferrum, et tales multos eo tempore in Turcia inventos esse ajebat. Fuerat autem tum in aula Friderici Imperatoris Iudaeus insignis et celebris luctator, qui omnes juvenes ex nobilitate aulica vicerat et prostraverat in lucta, eadem arte, quae in hac historia describitur, et fortassis eam hinc didicerat, ut vertebram femoris tangeret, et adversarium dolore, qui solet ibi esse acerrimus, debilitaret et vinceret. Cum igitur veniret gigas ille in aulam Caesaris, et hortarentur eum aulici, ut cum Iudaeo congrederetur, etsi aversari se id genus hominum ostenderet, tamen persuasus tandem precibus eorum in arenam cum Iudaeo descendit. Iudaeus precari veniam, si durius forsan tractaret antagonistam peregrinum et hospitem. Sed gigas contra hortatus est, ut omnes ingenii et corporis vires intenderet, neque sibi parceret: se quoque, quod posset, summum specimen roboris et agilitatis exhibiturum. Mox autem cum essent congressi, gigas prehensum Iudaeum, fractis vertebris cervicis, necavit.

Hoc exempli causa dico ad declarandam historiam hanc, ut sciamus, multa similia artificia lucta-

torum esse, ut tactum lumborum, vertebrarum et aliarum partium corporis, quibus saepe viribus inferiores praestantes robore possunt superare. Caeterum Iacob in tanta perturbatione non sentit tactum illum vertebrae, quia in homine tentato et sensus et ratio turbantur et stupent, ne animum intendere, neve audire aut videre quicquam possit. Idque inprimis accidere solet, quando accedunt impetus spirituales, quales Iacob eo tempore sensit. Ideo non desistit a lucta, etiam luxato femore.

Dixitque ad eum: Dimitte me; jam enim adscendit aurora.

Si luctator iste est Christus, quid ad eum ortus aurorae? Respondeo: Viri personam adsumsit, eandem retinet, donec se apperiat. Ideo in hac persona ipsi quoque aurora oritur, et more omnium gentium redeundum est ad usitatas operas. Iacob respondet:

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Quare non dimittes eum? tamen femur tuum laesum est, jam es claudus, quid facies? Non sentio ullam debilitatem. Quis roborat te? Fides, promissio, imo istâ infirmitas fidei. Et hoc modo vincitur Deus, quando fides non desinit, non fatigatur, nec cessat, sed instat et urget. Sicut apparet in Cananaea, cum qua luctabatur Christus, dicens: Tu es canis, non pertinet ad te panis filiorum (Matth. 15, 27.). Ibi ipsa non cedit, sed opponit, etiam catellos comedere de micis, quae cadunt de mensa Domini. Ideo vincit et audit egregium encomium: „O mulier, magna est fides tua“.

Talia exempla docent nos, quod fides non debet cedere nec cessare urgendo et instando, etiam in ipso sensu irae Dei, non solum mortis aut peccati. Et illa est virtus et robur spiritus. Quia ergo adhuc luctatur Christus cum Iacob, dissimulata sua omnipotentia, et vult, se dimitti, respondet Iacob: „Non dimittam te, nisi benedixeris mihi". Quare? Quia tu dixisti, me esse maledictum, quamobrem anima mea fuit conturbata. Revoca ergo illam sententiam, et benedic mihi, du mußt mir ein Widerspruch thun, aut non dimittam te. Superavi robur corporis, vincam etiam verba oris tui, quia vehementius laboravit anima mea, quam dixisti esse perditam et damnatam, quam corpus et brachia. Ideo non dimittam, nisi retractes judicium tuum de me, et reddas mihi testimonium, quod sim apud Deum benedictus.

Et dixit ad eum: Quod est nomen tuum? Respondit: Iacob. At ille: Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël, quoniam ut princeps conflixisti cum Deo et cum hominibus, et praevaluisti.

Quod est tibi nomen? An non es Iacob? Unde igitur tanta tibi virtus et robur tantum? Iam enim mitior nonnihil facta est tentatio, et incipit Christus larvam deponere, et loqui consolatoria et vivificantia verba. Iam aperit se sicut in evangelio erga Cananitidem. „O mulier, magna est fides tua". Acerrime oppugnabatur ejus fides, cum canem eam diceret. Sed opponit ipsa: Quia canem me dicis, da ergo micas, quae cadunt de mensa dominorum, et

quae pertinent ad canes. Fuit profecto pulcherrima et praeclara fides, et insigne exemplum, quod monstrat rationem et artificium luctandi cum Deo. Non enim ad primum ictum abjicere statim animum et omnem spem debemus, sed instandum, orandum, quaerendum, pulsandum est. Et ut maxime fugam meditetur, tamen tu ne cessa, sed sectare sedulo, perinde ut mulier Cananaea faciebat, quam non poterat latere Christus, sed intravit, inquit Marcus (7, 25.), in domum, et procidit ad pedes ejus.

Si etiam in domo se abdit in cubiculum, nec vult cuiquam patefieri aditum, ne recedas tamen, sed sequere. Si non vult audire, pulsa fores cubiculi, obstrepe. Id enim est summum sacrificium, non cessare orando et quaerendo, donec vincamus ipsum. Iamque ipse sese nobis dedidit, ut de victoria certi esse possimus, quia alligavit se promissionibus, et obstrinxit fidem suam juramento (Ioh. 16, 23.): „Amen, amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis". Item (Marc. 16, 16.): „Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit". Haec nunquam fallent, nisi tu sequi et quaerere nolueris. Ibi tua culpa stertendo et oscitando amittis certissimas promissiones et Christum ipsum, quia recusas in hanc arenam descendere, et certamen cum Deo suscipere, ubi conspicitur et viget usus harum promissionum. Sicut vir iste exercet Iacob, donec verum robur et firmitudo fidei sese exserat. Ac propterea mutat nomen ejus. Non appellaberis, inquit, ultra Iacob. Dictus es antea calcator, propter fratrem; sed nondum tibi imposuerunt verum nomen. Israël erit nomen tuum. Id enim meruit tua forti-

tudo et robur animi invictum, quo vicisti Deum et homines.

Aperit igitur se luctator ille, quando dicit, pugnasse Iacob cum Deo et hominibus, et a pugna novum nomen ei imponit. אֵל enim significat Deum. Et quaesitum est apud omnes Patres, quae esset significatio hujus vocis Israël. Hieronymus verecunde queritur, se obrui auctoritate et doctrina eloquentissimorum virorum, qui hanc vocem exponant: vir videns Deum. Sed addit tamen, se potius amplecti etymologiam Angeli aut Dei, quam aliorum etiam eloquentissimorum.

שָׂרָה significat dominari, praevalere, principem esse. Isaiae 9. (v. 6.) שַׂר שָׁלוֹם princeps pacis. Praeposita autem י, יִשְׂרָאֵל; absorbetur prius a, et fit proprium nomen, sicut in aliis etiam propter י praepositum, ut Iosaphat, Iesus, Iesaia. יִשְׂרָאֵל est pugnator, princeps, dominus, vel domina Dei. Omnes autem sudarunt in hoc vocabulo explicando, quia absurdum visum est, nos appellari dominos et victores Dei. Ac sane verum est, si secundum philosophiam judicamus. Sed in spiritu et theologia recte et pie dicitur Deus a nobis vinci.

Non tamen sic vincitur, ut nobis subjiciatur; sed judicium, sive ira et furor ejus, et quicquid nobis obstat, vincitur a nobis petendo, quaerendo, pulsando, ut fiat ex irato judice, sicut antea videbatur, pater amantissimus, et dicat: O mulier, magna est fides tua. Fides tua te salvam fecit: sicut credidisti, fiat tibi. Ey, wie thust du mir so wehe mit deinem Geschrei. Hoc est plenissimum consolatio-

nis, quod Deus ita exercet et hortatur nos, ut pugnemus, et ostendit, sibi gratissimum sacrificium esse, vinci a nobis.

Sed haec non sunt metienda rationis judicio, quae etiam conatur vincere Deum propriis viribus et operibus; sed sic vincitur, cum primum ipse sese nobis quasi dedidit et revelavit in verbo, in promissione, in Baptismo. Ibi restat, ut vincas ea, quae hunc Deum tibi volunt eripere, scilicet per veritatem promissionum et fidei. Aut si ipse simulat, se alienum esse et irasci, qui nolit audire et juvare, tum dic: Domine Deus, tu promisisti hoc in verbo tuo. Non mutabis igitur promissionem. Ego sum baptisatus, sum absolutus. Hoc modo si pertinaciter urgebis et instabis, victus dicet: Fiat tibi, sicut petivisti, quia habes promissionem et benedictionem. Ich muſs mich dir ergeben. Constans enim et pertinax quaesitor et petitor est suavissimum sacrificium.

Haec admodum erudita et jucunda sunt in theologia, dici Christianos שָׂר vel שָׂרָה Dei. שָׂרָה enim alioqui materfamilias vel domina dicitur, quae dominatur in domo. Sunt igitur credentes principes et domini Dei, quia luctantur cum Deo, et vincunt. Alteram etymologiam non moramur. Nihil enim sonat, si interpreteris: Dominus cum Deo. Sed expresse hic dicitur: Tu conflixisti, tu pugnasti cum Deo et hominibus. Non Deum tantum, sed et hominem se nuncupat luctator, quasi diceret: Me victo Deum et hominem vicisti. Utrunque conjungit. Antea unum hominem fratrem tuum supplantando superasti, unde nomen Iacob adeptus es; verum jam et Deo, et homine simul superior evasisti.

Et interrogans Iacob, dixit: Dic mihi: quo appellaris nomine. Respondit: Cur sic interrogas de nomine meo? Benedixitque ei ibidem. Et vocavit Iacob nomen loci illius Pniel, quoniam vidi, inquit, Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ortusque est ei sol, postquam transgressus est Pniël.

Latinus interpres addit particulam: Quod est mirabile: sed non est in Hebraeo; ideo a nobis omissa est. Iacob autem nondum intelligit prae stupore et consternatione, quid sibi velint verba haec. Nondum enim prorsus eluctatus est ex tentatione viri, quam sustinuit hactenus gravissimam, non alio sensu, quam quod pereundum sibi et moriendum esset. Tales enim apparitiones fiunt eo modo, quo is, qui tentatur, affectus est, vel sicut caro infirma cogitat. Nam utrunque fieri et sentire oportet, carnis mortificationem, et spiritus vivificationem. Sicut saepe in scriptura sancta dicitur: „Confitebor tibi, Domine, quoniam humiliasti me, et factus es mihi in salutem" (Ps. 118, 21.). Item: „Dominus mortificat et vivificat" (1 Sam. 2, 6.). Item: „Deducit ad inferos, et reducit". Illa sunt opera divina.

Quando igitur laborat Iacob infirmitate fidei, et non satis firmiter adhaeret promissioni, sed secundum carnem aliquantum fluctuat, et dubitat de voluntate Dei, sicut solet caro, tum apparet ei facies Dei tristissima, luctans et volens occidere. Idem accidit omnibus tentatis, quando non laetantur in bonitate Dei perspecta, sed horrent et formidant iratum Deum. Ibi omnia praesentem mortem intentare videntur, omnia sunt atra, nubila, tristia, infausta,

lugubria in coelo et in terra. Nec sol, nec luna lucet, quia animus in carne oppressus moritur, quo mortuo omnia intercidunt. Sic Iacob habens adhuc reliquam scintillam spiritus, quae vivit in eo, pugnat et certat in summa infirmitate, quae tamen est fortissima, sicut supra dictum est.

Haec sunt arcana et admirabilia, ac iis tantum cognita, qui habent promissiones, in quibus vexantur et humiliantur: et tamen in illa humiliatione evadunt victores, etiam ipsius Dei. Ego enim, inquit vir ille, sum Deus et homo, quem vicisti. Sed Iacob in lucta non intelligit, nec videt fortitudinem suam prae illa infirmitate; sed incipit quaerere: Quis es tu? Dic nomen tuum, si quidem dicis me victorem Dei et hominum. Ibi enim aperuit se luctator, quod sit Deus et homo: sed nondum intelligit Iacob, et est adhuc submersus in tenebris, sole nondum sibi exorto. Haeret adhuc in illa cogitatione, quod intentet sibi adversarius mortem. Et tamen, quia audit, se esse victorem, dicit: Libenter velim scire, qui sis, cum colluctatus sis mecum, ut vitam eriperes, et tamen jam victum te fateris.

Sed dissimulat luctator, quis sit, et relinquit eum incertum et dubium. Et sicut affectus est Iacob, ita imago istius viri repraesentatur. Iacob non intelligit; ideo non respondet vir ad quaestionem de nomine, quasi dicat: Ego dixi tibi jam ante, te esse luctatum et praevaluisse Deo et hominibus; inde debebas colligere, quis sim. Nomen non vult dicere, sed pergit eum tentare, vexare et erudire. Sed si apud se esset Iacob, et nubes non obscurarent solis lumen, facilius intelligeret, quod diceretur victor Dei et hominum. Verba quidem intelligit, sed

rem ipsam non assequitur, quia ignorat, hunc esse Dominum, gedenkt, wer bist du denn, in quo video Deum et hominem? Sed sequuntur tandem epiphania Domini, cum benedicit ei. Ibi enim deposita larva manifestat se, quod colluctator iste sit Deus et homo, qui aliquando manifestaturus se esset in carne nostra, et quem Iudaei crucifixuri essent.

Qualis autem fuerit benedictio, non descripsit Moses. Sed haud dubie illa fuit, qua benedicti sunt Patres: „In semine tuo benedicentur omnes gentes" etc. Ego is sum, o Iacob, qui tibi benedixi et benedicam. Quod igitur antea, cum adhuc v esset, non potuit videre, sed disputabat et quaerebat dubius et incertus, id ex verbo et benedictione intelligit et videt magno gaudio. Num tu is es? Cogitat: Ey du himmlischer Vater und Herr. Ego putavi, esse spectrum vel virum. Tu ergo es benedictor ille, qui me, qui patrem Isaac, qui avum Abrahamum benedixisti?

Haec est catastrophe hujus certaminis laetissim Iam enim redit Iacob ex inferis in coelum, ex morte in vitam. Ac fuit sane acerrimus et difficillim ἀγών, quem sustinuit hactenus. Ideo agit grat Deo, et confitetur suas angustias. Nec jam ampl vult, hunc locum pristinum nomen retinere; sed appellat eum Pniel, quasi diceret: Non debet voc lucta aut visio inferni, sed visio Dei. Ac propter dicit: „Vidi Dominum facie ad faciem". Iam cl video, luctatorem illum, qui me tentavit, fui Deum ipsum. Cur ita consternatus sum, cur a trepidavi? Nesciebam, hunc esse Dominum De meum.

Iamque sine ulla controversia virum hunc r

Angelum dicemus fuisse, sed Dominum nostrum, Iesum Christum, aeternum Deum et futurum hominem, a Iudaeis crucifigendum. Is fuit sanctis Patribus familiarissimus, saepe eis apparuit, saepe locutus est cum eis. Ideo tali forma se exhibuit Patribus, ut testaretur, se aliquando conversaturum nobiscum in carne et forma humana.

Haec vera explicatio est non a nobis inventa, aut ab aliis sumta; sed vir ipse sic se manifestavit ponendo Iacob nomen Israëlis, et Iacob hoc loco inquit: „Vidi Dominum facie ad faciem". Ille ipse Dominus noster, Iesus Christus, tentavit Iacob, non ut perderet, sed ut confirmaret et corroboraret, utque in hac pugna vim promissionis rectius disceret. Imo has vires et robur addidit Iacob, ut vinceret, et cum gaudio visionem Domini praedicaret.

In tribulatione et lucta ipsa non sic locutus est: sicut nec alii sub cruce tam hilares et laetos sermones haud unquam proferre solent. Tamen piis et spiritualibus eluctandum tandem est, et eo perveniendum, ut videant faciem Dei, sicut de Cananaea ante dictum est, quae viderat et audiverat Christum, et cum secessisset in domum, ut ibi lateret, sequebatur et instabat, donec expugnaret Christi animum nimis obstinatum, ut videbatur, in repellendo. Et superato tali agone possumus cum Patriarcha Iacob gratulari nobis et gloriari, quod viderimus Pniel, id est, faciem Domini. Sic enim Iacob et agonem difficillimum, quem fuerat expertus, et gaudia sua testificatur, ac vult dicere: Bone Deus, in quantis fui angustiis et difficultatibus, in quanta consternatione. Sed Deo sit gratia, ego nunc sum eluctatus et sum

salvus. Anima mea liberata et erepta est ex his angustiis; jam gratias ago Domino, Deo meo.

Et ipse claudus erat in femore suo. Ob id filii Israël non comedunt nervum in vertebra femoris usque in praesentem diem, eo quod tetigerit nervum vertebrae in femore Iacob.

Finita lucta sentit Patriarcha dolorem femoris; sed accedit etiam consolatio, sol coelestis, sive facies Dei et lumen solis, diurnum et naturale, Himmel und Erden ist ihm eitel Licht. Caeterum de nervo hoc loco dicit, cujus supra nullam mentionem fecit; tantum enim meminit vertebrae. Hic nervum addit, quia sunt circumdatae vertebrae robustissimis nervis. Germanice reddidimus: die Spannader. Iudaei illis non vescuntur, Germani autem non abhorrent, imo multi in deliciis habent.

Hebraea vox נָשֶׁה quid significet proprie, non satis scio. Proprium nomen Manasses hinc deductum est, id est, obliviscens. Etiam apud Iudaeos de significatione non constat. Quidam nervum oblivionis interpretantur, quasi dicas, oblitum sui loci propter luxationem. Sed sunt Iudaica, hoc est, inepta et putida. Iudaei enim fingunt saxosas et salebrosas etymologias. Alii nervum contractionis reddiderunt, quae est melior expositio. Solet enim contrahi et extendi, et eo modo moveri pes. Ego puto, a verbo נָשָׁה, quod levare significat, derivari, ut significet nervum elevatum supra femur: sed nihil affirmo. Hieronymus non recte vertit: Nervus emarcuit in femore, quia Moses vult dicere: Motus est loco, et solet acerrimus dolor sequi luxationem.

Id

Id vero est, quod ait Moses, nervum in femore Iacob esse tactum.

Haec est historia et simplex sententia hujus loci, quae utcunque a nobis tractata est, et aliis etiam spero satis planam fore. Iam et allegoria attingenda erat. Sed saepe dixi, allegorias esse periculosas in explicanda scriptura sancta, quia alius aliud sequitur, alii aliud fundamentum ponunt, et alias aurum, alias stipulas aedificant. Ac pulchre dixit Augustinus: Figura nihil probat. Ideo in asserendis et confirmandis dogmatibus fidei nostrae non valent allegoriae aut aliae figurae, sed probationibus et testimoniis opus est, quae ex ipsis fontibus scripturae sanctae sumuntur. Figuras enim et allegorias quilibet suo arbitrio aut interpretari, aut fingere ipse potest. Ideo nihil firmi et certi habent. Possunt tamen adhiberi tanquam lumina et ornamenta ad ornandam et illustrandam doctrinam, vel sensum literalem. Sicut Paulus, Gal. 4. (v. 22.) adducit exemplum Abrahae, Hagar et Sarae, ut ornet et illustret doctrinam de justitia fidei et de duobus testamentis. Et quando allegoria congruit cum doctrina et ejus assertione, est pulcherrimum ornamentum et quasi condimentum doctrinae.

Nos vero in exemplo illustrando, quod in hac historia nobis proponitur, diutius immorabimur, priusquam allegoriam tractemus. Primum enim praecedat oportet literalis sensus tanquam fundamentum allegoriae. Estque insigne et maxime salutare exemplum, quod singulari studio proponi ecclesiae debet. Monemur enim, ut nos in vita nostra ad eundem modum comparemus, et discamus agnoscere ecclesiam Dei in ista imagine luctae Iacob: quia Deus

abscondit ecclesiam et nostram etiam salutem sub obscuro et horribili tegumento, ad quod adsuescere nos oportet, ne desperemus, neve diffidamus, etiam in maximis periculis et adversitatibus, quae objiciuntur a Satana, mundo aut Deo ipso. Sic enim inquit Paulus, Col. 3. (v. 3.): „Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo". Haec est summa hujus exempli. Nos non vivimus in carne; aut si maxime in ea habitemus, tamen secundum eam non vivimus, nec militamus sapientiae et justitiae carnis, multo minus avaritiae, iracundiae, usuris: ista non sunt nostra arma. Sed in carne habitantes vivimus in fide Filii Dei. Nullam enim aliam vitam novi, quam quod credo in Patrem omnipotentem et Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium ejus, qui passus est pro me etc.

Sed ista non videntur. Sunt sane abscondita in Deo: ita tamen, ut Diabolus non possit auferre aut eripere hanc vitam, quantumcunque obscuratam. Non enim glorificamur, non honoramur, non laetamur in carne; sed mortificamur, morimur, patimur, confundimur, contumeliis afficimur, conspuimur, et pessimi omnium hominum aestimamur, quos, si possunt, tanquam Haereticos et sceleratos ferro et igni e medio tollunt. An non sunt haec opercula vitae gravissima? Sed sub his latet pulcherrima et pretiosissima gemma; quae dicitur: Credo in Filium Dei.

Sicut enim caput nostrum, Christus absconditus est in Deo, ita ecclesia tecta latet sub hisce operculis, et oportet eam ferre in mundo, ut dicatur seditiosa, erronea, haeretica, colluvies pessimorum hominum, qui vixerunt unquam. Haec opprobria sustinet, das sind ihre schöne Edlestein, die sie trägt

auf Erden, ihr Kleinod und gülden Ketten, hae sunt gemmae et clinodia pulcherrima et pretiosissima, quibus ornat eam Deus in hac vita. Sic enim in hoc exemplo depingitur, quomodo Deus nos privatim et universam ecclesiam tentet ad exemplum Jacob, quod cum ea luctetur et se gerat tanquam adversarium et hostem, qui deserere, abjicere, imo perdere eam velit.

Si enim diligenter consideres nostrae ecclesiae statum, videmur nihil habere praeter purum verbum et sacramenta, et habemus adversarios infinitos, principes, nobiles, cives, domesticos, discipulos, denique carnem nostram, quam circumferimus, quia haec est gloria nostra, vexari, rideri, etiam ab internis et domesticis. Illa sunt nostra opercula, propter quae judicamus, Deum nequaquam velle nos pro suis agnoscere et habere. Nihil enim minus convenit ecclesiae, quam facies ista. Ego ipse saepe cogitavi, cum viderem, tantum contemtum, fastidium, et odium verbi exsistere in hominibus post renatam lucem evangelii: Cur coepi docere? Aut cur pergo, cum homines magis magisque insaniant adversus nos, et in dies pejores fiant?

Sed ferenda ista sunt, et sic statuendum est: Deus est, qui absconditus est. Hoc est ejus proprium. Revera est absconditus, et tamen non est absconditus; caro enim obstat, quo minus eum intueri possimus. Illa murmurat, dolet, fremit, indignatur et clamitat: Ego sum miserrimus, abjectissimus, contemtissimus. Ac sane verum est, pastores ecclesiae cum piis non habent defensionem principum aut regum, nec civium etiam et rusticorum patrocinia, quae debebantur ei, imo quae jam ha-

bet, saepe eripiuntur, atque ita rapinis et injuriis omnis generis sunt obnoxii. Ideo videtur Deus nos prorsus deserere et abjicere, quia est absconditus nobis, et nos una cum ipso abscondimur. In fide autem, in verbo, in sacramentis revelatur et conspicitur.

Rationem, sapientiam, justitiam carnis et lumen hoc solis habet Deus pro loco opaco et caliginoso. Ibi vero accedit verbum tanquam flammula lucens in mediis tenebris, et spargens radiolos per doctrinam et sacramenta; eos jubet apprehendi Deus. Quod si amplectimur, tum non amplius nobis est absconditus Deus in spiritu, sed tantum in carne.

Discamus igitur nos quoque, quando mergimur in calamitates et aerumnas, et operimur tenebris, propter quas non possumus statuere, nos esse ecclesiam, aut placere Deo, ut verbum apprehendamus, und lassen sinken und fallen, was da fällt, nec moveamur aliorum ruina et defectione. Sed cogitemus, nos esse in loco caliginoso, praelucente verbi lychno. Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Illa est lux unica, quam non videt sol, non ratio humana; sed in corde lucet. Praeter hoc verbum nihil sciamus, nihil videamus. Eo enim solo lucente nihil est periculi, et veniet hora, qua emergamus, et cum gaudio dicamus: „Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea“.

Utilissimum igitur et pulcherrimum exemplum praebuit Iacob ecclesiae Dei, luctantis fidei in infirmitate, ne secundum Monachorum imaginationes cogitemus, Patres et Prophetas fuisse saxa et stipites, in quibus nihil fuerit infirmitatis. Alioqui enim nobis desperandum fuerit, quia in carne adhuc maxi-

nam infirmitatem sentimus. Caro enim murmurat, iec vult pati aut conculcari. Ideo querimur et claaamus, nos indignis modis tractari. Inspiciamus rgo sanctissimos Patriarchas, et eorum exemplo nos onsolemur, si quidem et ipsi non perpetuo firmi et ɔrtes in fide fuerunt.

Iacob uberrimis consolationibus cumulatus erat, on suis tantum, sed et parentis et avi Abrahae, et saac: tamen luctatur cum summa infirmitate. Sic ;itur cogita: Ego non solus sum, qui tentor de ira)ei, de praedestinatione, de diffidentia: Ich bins icht allein, omnes sancti, quotquot crediderunt unuam, aut credunt etiamnum in Filium Dei, experiuntur hosce agones tentationum, quibus vel ipsi, el tota ecclesia exercetur. Quid enim est totus hic oetus, qui dicitur ecclesia? Est exigua turbula hoiinum miserrimorum, abjectissimorum et desperatoım coram mundo. Quid est turba illa ad totum rbem terrarum, quid ad regnum Turcicum, Gallium, imo etiam nostros adversarios, Pontificios?

Si igitur quaeris, ubi sit ecclesia? nusquam ea pparet. At vero non ad externam formam respiiendum est, sed ad verbum, ad Baptismum, et ibi uaerenda est ecclesia, ubi sacramenta integre admiistrantur, ubi sunt auditores, doctores, confesɔres verbi. Si adhuc non apparet, memineris, boa nostra esse abscondita, nec posse in hac vita perpici magnitudinem eorum. Vir adhuc luctatur; sed ıt sine periculo, imo laetissimum exitum sortitur ertamen hoc.

Ita enim fingamus proverbium ex hac historia: Venn man denkt, unser Herr Gott hab einen verorfen, so soll mans dafür halten, unser Herr Gott

hab ihn in den Armen, und herze ihn. Qua judicamus aliquem desertum et abjectum a Deo, statuamus, eum esse in amplexu et gremio Dei. Iacob non aliud sentit, nec cogitat, quam se pe tum iri. Sed cum respicit, haeret in amplexu Dei. Da er sich umbsicht, so ist er unserm H gott in den Armen. Idem docet exemplum H humiliati et afflicti. Sic enim Deus mirificat s tum suum; quando nos putamus, actum esse de bis, tum amplectitur et exosculatur nos tanq dulcissimos suos filios. Hoc est, quod Paulus cit (2 Tim. 2, 11. 2 Cor. 12, 10.): „Cum infirm sum fortis, cum morior, vivo".

Sed nos non intelligimus, et ratio est, quia ro obstat, quae non potest pati mortificationem et impedit spiritum, ut non possit immensum amorem et studium erga nos perspicere, donec e gat ex hac lucta, et amoliatur impedimenta ca Sed eadem copiose in tota scriptura sancta tra tur. Ita enim in Apocalypsi 3. (v. 19.) dicitur: „I quos amo, arguo et castigo". Et Proverb. 3. (v. 12.): „Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim di Dominus, corripit, et quasi pater in filio com cet sibi". Hae et aliae similes sententiae admo insignes et memorabiles sunt.

Sed estne id delectari filio, flagris eum et baribus caedere? Ita sane scriptura docet, et i experientia testatur. Qui enim sunt boni et fid patres, hi severe castigant filios suos. Nolunt f ut fiant prodigi, immorigeri etc. Nec malo an id faciunt, sed eo animo, ut erudiantur et en dentur, si quid pravi inest moribus eorum, ut

dant in viros bonos. Puer autem, qui flagellatur, non intelligit patris optimam voluntatem et veram στοργήν; sed putat, patrem esse tyrannum, et abjecisse omnem curam et amorem sui. Sic bonus praeceptor odit discipuli ignaviam aut malitiam; ideo studet eum corrigere disciplina, non quod discipulum oderit, aut libidine quadam feriendi pueros teneatur, quales ego puer olim in scholis multos vidi: sed maxime diligit puerum, et hoc amore motus castigat eum.

Haec est res ipsa et experientia, quae docet, disciplina opus esse. Et eandem rationem sequitur coelestis Pater in castigandis piis. Qui ergo potest sustinere hanc disciplinam, et perseverare, is experietur tandem id, quod Hebr. 12. (v. 11.) dicitur: „Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum gratissimum exercitatis per eam reddet justitiae".

Idem in hac historia fieri videmus: ubi maledictio cessit, et tentatio praeteriit, sequitur benedictio et gaudium: „Vidi Dominum" etc. „Et salva facta est anima mea". Sic enim cogitat pius, cum evasit ex tentatione: Ah, quam habeo clementem Deum; desperabam jam, et ibam ad inferos. Nunc video, profuisse mihi hanc luctam ad vitam. Non putassem unquam, Deum mihi tam prope adesse. Dulcissimum igitur est experiri hoc modo fructum disciplinae et castigationis. Ach du himmlischer Vater, bist du mir so nahend, und ich wuſste es nit? Wie ist mir jetzund so wohl, laſs nun Esau kommen und alle Teufel, so fürcht ich mich nicht: sine modo veniat Esau, et omnes daemones cum eo, nihil prorsus metuo, quia habeo Dominum Deum. Prius

vidi posteriora ejus in imagine et persona viri, qui ... tium mihi minari videbatur, et animus meus angebatur, ne ad infernum me detruderet. Iam vero faciem vide...

Eadem enim forma externa solet apparere, qualis est imaginatio aut affectio hominis pii interne: sicut accidit discipulis ambulante Christo in mari. Trepidabant et angebantur, cum non agnoscerent Dominum, ideoque videbatur eis Christus spectrum quoddam sive Diabolus esse. Sed cum audiunt dicentem: „Ego sum", mutatur forma illa, et aperiuntur oculi, ut agnoscant Christum amoto omni metu. Id est videre Dominum facie ad faciem, nimirum reduci ex inferis, et in coelum deduci, ut sic statuat animus: Iam non habeo Deum maledicentem aut iratum, sed benedicentem et propitium. Requiritur autem usus et experientia ad hanc cognitionem Dei, quae quidem docenda est et agitanda sedulo; sed accedat oportet aliquis usus et adsuefactio in vita: alioqui non intelligitur, si quidem ea, quae nobis videntur esse signa odii divini, sunt certissima indicia summi amoris et benevolentiae.

Ego saepe vidi, optimos homines horribiliter vexari terroribus, afflictionibus, persecutionibus gravissimis, usque adeo, ut propemodum animum desponderent. Discenda vero haec sunt, ut tales consolari possimus, et ita interpretari tentationes, tanquam peculiarem rationem, qua solet Deus colluctari nobiscum in forma vastatoris, ac hortemur eos, ut firmiter retineant promissionem sive lychnum et scintillam verbi, hac spe, quod certo secutura sit liberatio. Deus enim deducit ad inferos, et reducit. Iam vides ejus posteriora, et videtur Deus te aversari; sed aliquanto post etiam anteriora et faciem ejus vi-

debis. Id nimirum est diligere eos, quos castigat. Et haec dilectio discenda est usu, nec defugienda et aversanda est castigatio. Sicut de rustico quodam narratur, qui cum ex parocho hanc consolationem audiret, afflictiones et aerumnas, quibus affligit nos Deus, esse signa amoris, respondit: Ah, quam vellim, eum alios amare, non me.

Haec stulta et impia responsio fuit. Non enim sic sentiendum nec loquendum est, non sic interpretanda et accipienda sunt divina opera in nobis; sed sciendum est, esse mortificationem maxime salutarem, qua erudimur ad vitam et salutem, non ad interitum. Sicut testatur Paulus, Rom. 12. (v. 2.): „Ut probetis" (non solum ut doceamini verbis) sed etiam experientia discatis, „quae sit voluntas Dei, bona et beneplacens, et perfecta". Haec enim est voluntas Dei, mortificatio et sanctificatio nostra. Sanctificari autem non possumus, nisi caro mortificetur et corpus peccati, quod in hac vita toto impetu fertur ad omnis generis peccata, adulteria, libidines, furta, etc. Deus igitur judicat, castigat, flagellat, donec discamus, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, perfecta, ut canamus cum Davide (Ps. 119, 71.): „Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas". Ich wollts gern überhaben sein, caro mea abhorret a tentatione, sed scio, esse hanc optimam voluntatem Dei; item: „Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me" (Ps. 118, 18.). „Impulsus eversus sum, ut caderem, sed Dominus suscepit me" (ib. v. 13.), ut anima mea videret faciem Dei, et salva fieret. „Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem" (ib. v. 21.).

Hactenus ergo exemplum sanctissimi Patriarchae, quod mirifice consolatur sanctos, qui sunt infirmi in fide. Sicut autem ipsi acceperunt consolationem, et fuit tentatio eis in salutem, ita nos quoque demus operam, ut in lucta et liberatione eis similes fiamus; tum enim discemus, quid sit illud, quod dicitur, Psalm. 34. (v. 9.): „Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo". Sic autem intelligimus et sentimus, quam suavis et dulcis sit Dominus, cum redimus ex tenebris et umbra mortis; tunc enim lux est gratissima et jucundissima. So kufst denn das Kindlein die Ruthen. O du liebe Ruthen, wie machst du so fromme Kindlein. Haec de exemplo et historia.

Allegoriis ego non admodum delector, paucis tamen attingam. Augustinus hoc fundamentum ponit suae allegoriae, quod Iacob sit corpus posteritatis suae. Et hactenus recte dicit. Oportet enim personam esse, quae est figura totius congregationis alicujus. Sed quod addit de lucta cum viro et victoria, postquam benedicitur Iacob, nimis durum et procul petitum est. Existimat enim, significari crucifixionem Christi, quod Iacob praevaluit contra Angelum sive Deum, quae fieri deberet per posteros malos. Hi praevaluerunt contra Christum, id est, crucifixerunt eum, et tamen crucifixus Christus benedixit Iacob, scilicet partem posteritatis meliorem.

Sed haec nimis dura et coacta allegoria est. Facit duplicem posteritatem, bonam et malam. Mala vicit, bona benedicta est, cum vicisset Christus mortem et victores illos malos. Hanc partem non probamus. Et videntur Patres, qui hanc secuti sunt, decepti vitiosa translatione in vocabulo latitudinis. Sic

enim reddiderunt vocem כף, quae, ut supra dictum est, cotylam vel vertebram femoris significat, et ex hac latitudine finxerunt duplicem posteritatem. Hieronymus et Origenes ejusmodi allegorias multas finxerunt, sed valde infeliciter. Itaque exacto judicio opus est in discernendis allegoriis, quae aut apud Patres exstant, aut ab aliis finguntur.

Mihi vero non inepte congruere videtur, si faciamus Iacob personam et corpus posteritatis bonae, non malae: sicut scriptura discernit. Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae; non qui filii carnis, sed filii promissionis: alioqui etiam mala posteritas accepisset benedictionem Dei. Sed verae posteritatis Israël est imago Iacob, hoc est omnium sanctorum, et nostri quoque, qui credimus in Christum. Igitur Israël est in hac tentatione cum Iacob, quando aut membra privatim singula tentantur, aut universaliter tota ecclesia. In ista lucta vincimus Deum, sicut antea dictum est, quia habemus promissionem, cui fide adhaerentes etiam in infirmitate fortiores efficimur, ita ut Patrem nostrum coelestem et Filium Dei vincamus ad exemplum Cananaeae, ad quam dicit Christus: „O mulier, magna est fides tua". Item: „Credenti omnia possibilia".

Haec utilis et bona allegoria est, erudiens et confirmans conscientias, quae ad usum transferenda et semper ob oculos habenda est, ut certo statuamus, credentem vincere Deum sua fide et oratione, quia Deus promisit, se fore defensorem, salvatorem et datorem omnium bonorum. Ideo non vult, nec potest se ipsum negare. Quodsi alia specie aut sensu alio apparet, et videtur tibi reluctari, non perturberis animo, nec cedas, sed in fide reluctaris, ut

vincas, et fias Israël. Quomodo? Non viribus aut armis carnis et naturae tuae, sed fiducia istius causae, quae tibi cum Deo intercedit, nimirum, quod promisit et juravit, se fore Deum tuum. Hac fiducia vinces, quae non a natura, sed promissione oritur. Si igitur occurrit tibi, ut luctator, et vult te perdere, aut nomen et promissionem suam tegere, esto fortis, et firmiter retine verbum, licet magnam infirmitatem sentias, et vinces. Deinde in pugna ista etiam hoc senties, quod nervus sive vertebra femoris movetur loco, et marcescit. Haec vera allegoria est, et congruit cum phrasi scripturae, quae saepe femoris appellatione complectitur posteritatem. Ideo Augustinus non male ad posteritatem accommodavit nervum femoris. Sic enim loquitur Moses, Exod. 1. (v. 5.): „Erant igitur omnes animae eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta“.

Nervus autem corruptus et stupefactus docet luctantes et credentes carnalem nativitatem prorsus nihil valere ad hanc victoriam. Femur enim, quod significat generationem carnis, turbatum est, et emarcuit. Hinc Christiani sciunt, se non fieri populum aut filios Dei nativitate aut justitia carnis, neque ex propagatione aut successione carnali, secundum sententiam hanc: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri etc. (Ioh. 1, 13.). Sunt mortificata omnia. Ideo frustra de iis gloriantur hypocritae et Iudaei, qui adhuc insaniunt in gloria carnis et justitia legis. Quia vir ille impressit manum femori Iacob, qua impressione mortificatus est nervus; sed ex Deo nascuntur filii Dei. Sic igitur discant pii et posteri Iacob non in carne gloriari, nec vitam in beneficiis

et gloria carnis, quaerere, sed in benedictione Dei; haec facit filios Dei, juxta promissionem: „In semine tuo benedicentur omnes gentes". Item, Ioann. 1. (v. 13.): „Qui ex Deo nati sunt" etc. Hoc pulchrum exemplum est quaerendarum allegoriarum; docet enim et consolatur simul.

Congruit et hoc, quod filii Israël non comedunt nervum, id est, non credunt: quia manducare alibi significat credere. „Nisi manducaveritis carnem filii hominis" etc., Ioann. 6. (v. 53.). Nos non manducamus, nec credimus nervum illum elevatum super femur, non praedicamus nervosam sapientiam, gloriam, justitiam, potentiam carnis, sed abstinemus ab omni fiducia et gloria justitiae carnalis. Hanc vero sapientiam bona posteritas Iacob sola intelligit et praestat; huic enim soli motum est femur. Omnes alii adorant et comedunt nervum femoris lentum et tenacem, quia nondum est eis mortificatus. Soli Christiani abstinent a turbato femore et nervis, quia novum testamentum sic docet: „Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt". Haec est verior et propinquior allegoria, consentiens cum doctrina evangelii, quia populus Dei luctatur cum Deo, et vincit, ac post victoriam accipit benedictionem, et reprobat justitiam et sapientiam carnis, imo crucifigit carnem cum concupiscentiis suis. Qui pius est, et habet donum fingendi allegorias, facile alias inveniet.

TRIGESIMUM TERTIUM CAPUT GENESIS.

Levans vero Iacob oculos suos vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros.

Perspicua et facilia sunt, quae hoc capite recitantur, quia sunt moralia, civilia et humana. Idcirco breviter percurremus, cum nihil obscuritatis sit, neque in verbis, nec in historia. Describit enim Moses exemplum et confirmationem fidei nostrae, quomodo Deus exaudiat gemitus luctantis et infirmae fidei. Qui gemitus sunt quidem ineffabiles, sed non sine ingenti fructu. Est igitur Iacob e numero illorum, de quibus inquit Christus (Marc. 9, 23): „Omnia sunt possibilia credenti“, quia fide erat victor Dei et hominum, adeo ut nec Deus, nec homo ipsi velint aut possint nocere. Deus benedixit ei; frater autem Esau ita mutatus est, ut non solum non velit nocere, sed etiam juvare, amare et benefacere. Ira ejus mutata est in fraternitatem suavissimam.

Haec nimirum est manus excelsi, qua prohibetur iracundus, ne faciat, quod proposuerat: quia Deus habet in manu omnium hominum corda, ne possint ultra terminum praefixum progredi. Sicut dicitur, Hiob 38. (v. 10. 11.) de terminis circumdatis mari divinitus: „Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos“. Adspicientibus mare turbatum fluctibus et procellis videtur minitari litori tanquam rupturum margines, quibus inclusum tenetur, et undiquaque exundaturum. Et tamen impetus illi aquarum et fluctuum

reprimuntur, et cohibentur suis limitibus. Sic corda hominum accensa ira fremunt horribiliter; sed Deus constituit metas furoris et irarum, quas non licet transsilire. Idem apparet in hoc exemplo Esau, et exstant alia plura passim in ethnicorum historiis, quae testantur, nunquam ultra praescriptum terminum a Deo potuisse progredi sapientiam et potentiam humanam.

Hannibal ad moenia Romana accesserat tanto terrore et trepidatione cum urbis, tum totius Italiae, ut utriusque potiundae certissima spes et facultas esset, si modo eum animum habuisset, quem antea in proeliis ostenderat. Sed regrediebatur, Deo reprimente impetus ejus. Ideo clamabant amici ejus: Vincere scis Hannibal, victoria nescis uti, Liv. 22. (c. 51.). Sed ignorabant illi, subesse occultam et divinam vim, quae ipsum cohibebat. Sic Papa progressus est usque ad suum terminum. Sic Turci non transsilient metas divinitus constitutas. Quin Diaboli furores et conatus tam diu durabunt, quam diu visum fuerit Deo expedire ad gloriam suam et nostri mortificationem ac salutem.

Ad eundem modum de rege Assyriorum loquitur Dominus, Isaiae 37. (v. 24. 25.): „Dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego adscendi in altitudinem montium Libani, et succidam excelsa cedrorum ejus“ etc. Sed respondet Dominus: „Cum fureres adversus me, superbia tua adscendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. Illi nec voluntas, nec vires deerant; sed potentia Dei obsistebat. Sic Isaiae 10. (v. 15.) dicit: „Numquid gloriabitur securis contra eum, qui

secat ea, aut exaltabitur serra contra eum, a q
agitatur"? Non est, quod efferas te immodice pr
ter successus et potentiam. Perinde enim est, a
serra aut securis glorientur, se secare aut scind
lignum. Nisi enim ego agitator essem serrae et
tor ligni, nihil unquam efficeret securis aut serr

Ita et haec victoria Iacob promissa erat a l
gratis et e mera bonitate, quod esset superaturus
trem. Non igitur vincitur Esau viribus, indust
consiliis, malis artibus aut simulatione, sed sol
nignitate Dei: quia voluntas ejus mutatur. At
haec est victoria omnium praeclarissima, quando
adducuntur homines, ut mutentur corda et volu
tes eorum. Nec fuit unquam melior victoria, qu
cum ex nolentibus et repugnantibus facti sunt
lentes. Id vero solius potentiae et majestatis d
nec opus est, mutare cor et animum iratum
offensum in placidum et benignum. Alioqui e
tam indomitum est cor humanum, ut non possit
tari ulla vi, non Diaboli, non mortis, non ullius
li quantumvis violenti potentia, nisi coacte et
lenter, quia voluntas humana est invicta et obst
ta, nec ulla sapientia aut ullis viribus flecti po
nisi vincatur bonitate.

Id vero solus Deus facere potest: sicut app
in hoc exemplo. Iacob enim merito Israël dictus
cum vicerit Deum, senseritque ridentem et lae
tem, quem antea hostem et insidiantem vitae hal
rat. Vicit et iracundiam fratris Esau et omni
qui cum eo veniebant, nulla alia re, nisi fide et
tione, qua et Deus ipse et homines vincuntur. I
illud est, quod a Salomone, Proverb. 16. (v. 7.)
citur: „Cum placuerint Domino viae hominis,

nicos quoque ejus convertet ad pacem". Atque dem nos experti sumus hactenus; multi enim Dei beneficio conversi sunt ad pacem, qui acerrime oderant et persequebantur evangelium, nulla violentia, sed suavissima et pulcherrima victoria, qua voluntas hominis sua sponte mutatur. Tanta vis est orationis. Ea vicit et Deum, et fratrem Esau, hat Himmel und Erden gewonnen. Frater Esau jam nec cogitat, nec potest eum laedere. Omnis sensus enim et voluntas ipsius mutata est, sicut audiemus.

Itaque Iacob securus et hilaris sibi de victoria gratulatur, quam habet ab ipso Deo, non ab Angelo. Sicut dixit antea: „Vidi Dominum" etc. Atque haec reconciliatio fratris utrunque testatur, visionem fuisse veram, et non inane spectrum aliquod. Deinde orationem et gemitum illum inenarrabilem plus obtinuisse, quam ausus fuerit petere aut sperare; neque enim tantum solatii vel in Deo, vel in fratre unquam sibi promisit. Tantum hoc petebat, ut frater recederet, et incolumem se cum familia dimitteret; non exspectabat illam benevolentiam in occurrendo, amplectendo, osculando, illacrymando.

Credendum igitur et sperandum est, ac perseverandum in oratione et pulsandum. Veniens veniet et non tardabit. Impossibile enim est, orationem urgentem, instantem, perseverantem non exaudiri. Nos vero quia non credimus, ideo non experimur hanc perseverantiam, neque magnitudinem bonitatis et salutis divinae sentimus. Exsuscitemus igitur animos nostros ad fidem et invocationem, ac sciamus, Deum delectari illa perseverantia, et eam praecepisse, cum ait: „Quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis" (Matth. 7, 7.). Neque unquam cumu-

latius exauditur oratio, quam in tali agone et gemitibus fidei luctantis.

Ecclesia hactenus impetravit multorum maximorum malorum mitigationem, quae impendebant a Turcis et aliis adversariis. Multo aliter ergo et locupletius exauditae sunt preces nostrae, quam nos aut precati sumus, aut intelleximus. Sicut inquit Paulus, Eph. 3. et Rom. 8. (v. 26. 27.): „Nos nescimus, quid oremus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus". Semper enim minus petimus, quam debebamus; nec speramus ea, quae Deus summa voluntate largitur. Igitur non petimus, sicut oportet, neo intelligimus, quia grandiora sunt, quam nos animo comprehendere possimus, qui parva tantum et minuta cogitamus. Magnus est et excelsus Dominus; ideo vult, magna a se peti et largiri, ut declaretur ejus omnipotentia. Hic primus locus est de victoria Iacob.

Secundo ut vitet Iacob tentationem Dei, neque immodica laetitia et victoria elatus animum fraternum vixdum placatum exulceret, non superbit, nec insultat fratri, quod insipientes solent facere. Non sic dicit: Ego habeo promissionem de victoria; nihil moror iram et minas tuas; nam hoc contemtu et fastu vulnus illud magno labore sanatum recrudruisset. Sed utitur, qua potest humanitate, ad augendam et conservandam ejus benevolentiam. Adornat aliam pompam pulcherrimam, qua ei obviam procedit cum familia. Id est facere, quod in se est, ne benedictionem Dei perdamus. Si divina benignitate abundamus consolatione et gaudio, non ferociamus aut efferamur immodice, sed utamur benedictione Dei cum

timore, cum humilitate et gratiarum actione, secundum sententiam 2 Psalm. (v. 11.): „Servite Domino in timore, etexsultate ei cum tremore", ne prolabamur in securitatem, superbiam et tentationem Dei.

Honorat igitur Iacob fratrem, et utitur mediis ad retinendam benevolentiam ejus: neque quicquam de victoria illa decedit, tametsi humilem et amicum erga fratrem se praebet. Distribuit autem familiam in ordines, cum quibus post munera praemissa ipse fratri obviam venit, idque agit omni studio, ut ornet munera ad demulcendum et mitigandum Esau, licet de victoria jam certus sit.

Et divisit filios suos ad Leam, Rahelem atque duas ancillas; et collocavit ancillas et filios illarum in primo ordine, deinde Leam et liberos ejus, Rahelem autem et Ioseph postremo. Et ipse praecedens eos adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret fratri suo.

Hic longe alio animo et ratione dividit comitatum, quam supra fecit. Tum enim incertus erat de voluntate fratris, ideo trepidus et desperabundus deliberabat, et distribuebat comitatum in duos ordines, sic cogitans: Si unam turmam occideret, altera evadet. Ipse solus in littore post principia manebat et luctabatur cum desperatione. Ibi caro erat infirma et titubans, et propter infirmitatem fidei ad desperationem propensa. Iam vero accedit ad fratrem animo securo, dividit copias domesticas non animo abjecto, sed hilari et securo: ita tamen, ne tentet Deum, aut fratrem denuo offendat, quem infirma illa et luctante fide vicerat. Est igitur divisio

tantum ad pompam et significationem benevolentiae instituta. Nec amplius post principia se continet, sed antecedit omnes, et pergit fratri obviam, quia tentatio est superata, et oritur ei sol fiduciae et gaudii. Estque pulcherrima pompa. Sequuntur enim patremfamilias dulcissimae conjuges, liberi suavissimi et ancillae, et cum in conspectum fratris perventum est, septies inclinat versus terram, donec ad eum accedat.

Vocabulum adorandi apud Hebraeos, quod admodum usitatum est in scriptura sancta, deducitur a verbo שָׁחָה, quod significat incurvare, ut Psalm. 38. (v. 7.): „Incurvatus sum vehementer, tota die contristatus ingrediebar". Ab illo gestu incurvationis nomen habet adoratio, hoc est, reverentia, quae praestatur iis, qui nobis sunt superiores, aut Deo. Et fit aut incurvatione stantis, aut poplite flexo. Hic gestus enim significatio est reverentiae et humilitatis, quae exhibetur iis, quos agnoscimus honore et reverentia dignos. Nostris moribus caput nudare solemus: quod Iudaei non faciunt, ne in templo quidem. Appellamus igitur adorationem omnem illam reverentiam externam erga superiores aut aequales, sive fiat flexo uno genu, ut apud principes, aut utroque, ut in adoratione Dei fieri solet. Ad hunc modum Iacob septies adorat fratrem, tanquam majorem natu et principem, cujus beneficium et humanitatem agnoscit, quod sibi reconciliatus est, ac vere fraternam benevolentiam prae se fert.

Iam ergo oritur quaestio: Quomodo congruant haec cum benedictione supra promissa, quod major debeat servire minori, et Iacob futurus sit dominus fratrum suorum. Hac enim dejectione videtur inversa et mutata prorsus benedictio, et hoc argumen-

tum multipliciter amplificari et confirmari potest. Nusquam enim legitur, quod Esau adoraverit Iacob, et eum agnoverit superiorem. Contrarium vero hoc loco fit a Iacob, qui incurvatur coram Esau. Praeterea longe major erat potentia Esau. Iacob ducit secum parvulos, inter quos maximus natu Ruben duodecim aut tredecim annos habet ad summum: alii minores fuerunt. Esau e contra habet nepotes, et forte etiam pronepotes, et ex iis duces et principes, quia duxit uxores quadragesimo anno aetatis suae. Ex eo tempore multos generavit liberos usque ad septuagesimum septimum annum Iacob, quo primum accepit benedictionem: imo cum adhuc esset in domo patris Iacob, antequam benedictionem praeriperet, jam numerosam sobolem habuit Esau. Igitur fuit dominus et princeps, junctus affinitate gentibus in terra Canaan, confoederatus Ismaëlitis et aliis principibus.

Tanto duci occurrit Iacob cum pueris et turba imbelli, rediens e servitute et exsilio, longe inferior Esau, qui adventat cum quadringentis armatis. Postea vero rursus exsulandum erit Iacob in Aegypto. Interim Edom multos praestantissimos duces et reges nactus est, et in dies accrevit potentia ejus. Quin in egressu ex Aegypto prohibentur filii Israëlitici attingere terram Edom, et ne passum quidem pedis de ea dicit se Dominus eis daturum. Num id est dominari Iacob? David primus domuit Edomitas; sed ante illum DCXXIV. annos fuerant liberi. Neque tamen manebant sub imperio Israëlis amplius CXX. annis. Sub Ioram enim rursus excutiunt jugum, et proprium regem constituunt, nec sunt amplius tributarii regum Israël. Apparet igitur, benedictionem irritam factam et inversam.

Quidam sic respondent: Benedictionem illam respicere in Christum, in quo finaliter impleta sit. Sed ad historiam respondendum est. Ista enim subjectio sive humiliatio Iacob, quae duravit toto tempore exsilii, est tantum tentatio, sicut supra dictum est. Perinde ut nos Christiani sumus omnium miserrimi, et omnibus subjecti. Verum non est subjectio, sed tantum lucta. Revera enim sumus et manemus domini coeli et terrae. Tentatio non est mutatio aut eversio bonorum promissorum, sicut captivitas Israël sub rege Assyriorum fuit tentatio quaedam, non autem mutatio populi. Sic in terroribus peccati et mortis non muto mortem cum vita, Christum cum Diabolo, tametsi in tentatione non aliter appareat. Sic Abraham tentatus accepto mandato de immolando filio non amittit filium. Ac tales in universum sunt omnes tentationes. Prima specie apparent admodum tristes, terribiles et diversissimae a promissionibus; sed exitus tandem congruit cum verbo Dei, quod manet firmum et immotum. Quemadmodum in tempestate subito coorta fragor tonitruum et fulminum videtur minari coelo et terrae, hominibus et jumentis ruinam et interitum. Sed adeo nihil turbat aut mutat, ut fecundet etiam et riget terram.

Quod autem ad historiam ipsam attinet, nunquam sane Israël sub imperio Edom fuit, nunquam potuit praedominari Esau populo Israëlitico: imo tempore Davidis usque ad Ioram Edom subjectus fuit regibus Israël. Mansit igitur benedictio rata et firma, ac duravit regnum in posteris Iacob usque ad Herodem et adventum veri Israëlis, Messiae, sicut prophetia, Genes. 49. (v. 10.): „Non auferetur

sceptrum a tribu Iuda, donec veniat Silo". Cujus adventus cum prae foribus esset, cessavit dominium carnale Israëlis, atque ibi Herodes occupavit regnum. Caeterum mansit benedictio integra usque ad salvatoris adventum, qui luctatus est cum Iacob. Ibi institutum est novum et melius regnum, in quo verus Israël regnat super coelum et terram, super Angelos et Daemones: si quidem omne genu flectitur in nomine Iesu coelestium, terrestrium et infernorum. Ibi vere impleta est benedictio Iacob, et tamen sub figura quoque salva mansit, ita ut Israël Edomaeis non subjiceretur unquam, licet ab iis saepe oppugnaretur et vexaretur.

Quod autem Iacob humiliat et incurvat se hoc loco coram fratre, et appellat eum dominum, non ita accipiendum est, quasi de benedictione et dignitate ejus aliquid diminutum sit, sed, ut vulgo loquuntur, sunt verba honoris, quae non obligant. Et ista sive reverentia, sive obedientia non affert secum traditionem rei et dominii: quanquam Iacob servum se, illum vero dominum dicit, tamen Esau non propterea possidet regnum, nec unquam ejus possessionem adeptus est. Procedit igitur reverentia ex humilitate quadam, ne securitate et successu efferri videretur, non ex translatione benedictionis, estque tantum honorarium munus. Deinde solet hoc in vita fieri, ut superiores non tantum aequales, sed etiam inferiores blande et honorifice compellent, et deferant eis sua studia. Sic enim caritas omni genere officii et reverentiae solet etiam inferiores juvare et provehere. Sic pastor ecclesiae cum videt aliquem tentatum et afflictum conscientiae pavoribus, qui consolationem ab eo expetit, etiam humillima et

maxime servilia officia defert afflicto, ut animum imbecillem et fractum erigat et confirmet. Verum ea ratione non tradit dominium aut gubernationem ecclesiae, sed retinet ipse functionem sibi demandatam.

Haec sunt officia pietatis et humanitatis, quibus saepe majores offensiones caveri possunt, et a Deo non prohibentur, imo mandatur, ut subjiciamus nos sive aequalibus, sive etiam inferioribus ad commodum et utilitatem proximi. Et ea humilitate nihil prorsus nobis decedit de nostra dignitate, tametsi nos ad salutem alterius, imo ad gloriam Dei accommodemus. Manet igitur Patriarchae Iacob salva et rata benedictio, et haec omnia, quibus subjici videtur fratri, non mutatio, sed tentatio dicenda sunt.

Esau vero obviam illi currens amplexatus est eum, ruitque in collum ejus, et osculatus est eum, fleveruntque.

Moses utitur plenis et significantibus verbis ad describendam reconciliationem duorum fratrum, adeo ut nemo dubitare queat, quin Esau ex animo faciat et loquatur omnia, et revera mutatus sit. Accurrit enim ad fratrem, amplectitur, ruit in collum ejus, osculatur, nec temperat sibi uterque a lacrymis prae gaudio. Solvuntur enim viscera fraterna, et exardescit pectus utriusque vera benevolentia, ut omnium offensarum et injuriarum obliviscantur. Nec jam amplius mentio fit quadringentorum virorum, neque ullum signum apparet irae aut indignationis, sed omnia plena sunt veri et fraterni amoris et benevolentiae. Talibus enim verbis utitur Moses, quae ostendunt, haec candide et sincere geri et dici.

Quanquam enim et hypocritae possunt simulare

amorem, tamen et gestus, et verba singula significant, fuisse affectus in utroque ardentissimos, et animum Esau vere placatum et reconciliatum. Cogitat enim: Quid cum isto agas? Est germanus meus. Si sic Deo visum fuit, ut benedictionem a patre auferret, non invidebo, nec indignabor; habeat et servet eam sibi. Alii vero cogitarunt: En miserum illum Iacob, qui ante viginti annos gloriabatur de praerepta benedictione; eum oportet jam incurvari coram principe et domino nostro Esau abjectissime. Ubi nunc est amplissima illa gloria et spes magnifica Iacob? Nos habemus veram benedictionem, quia penes Esau est imperium, juxta promissionem: In gladio tuo vives, eritque tempus, cum rumpes jugum ejus de collo tuo: de ubertatibus terrae et rore coeli vives. Illam pinguedinem terrae, aurum item et argentum jam habemus, dixerunt. Esau vivit in gladio, est pugnator egregius, qui subjecit sibi fratrem, et alios quoque populos subjugabit, excussit jugum fratris. Et in hanc sententiam Esau docuisse promissionem sibi factam verisimile est. Haud dubie eam amplificavit, qua potuit diligentia et gravitate, quia filii hujus saeculi prudentiores sunt filiis lucis, ac possunt mirabiliter torquere sententias, si quae pro ipsis facere videntur, quin ex uno ramusculo totam silvam, ex flosculo uno totum pratum, et ex verbo uno tota Biblia possunt facere.

Nos, qui habemus veras et longe ampliores promissiones et benedictiones, non ita admiramur, non urgemus, non dilatamus amplitudinem illam et magnificentiam harum rerum, sicut impii sua bona exaggerant et illustrant. Vide enim Pontificios, quanto studio urgent et amplificant unicam sententiam: „Tu

es Petrus, et super hanc petram" etc. pro pr
Papae defendendo. Tota plaustra commentari
exstant de unico hoc dicto. At nos quam fi
doctrinam evangelii tractamus? Quam oscitant
gimus aut audimus, quod Christus passus es
nobis, mortuus est pro peccatis nostris. Item:
stus ex fide vivet" etc. Sunt et aliarum artium
tores in sua professione excolenda diligentiore
est utile et necessarium in vita, ut artes et in
excolantur. Sic in mercatoribus exquisitam e
xiam calculorum sollicitudinem deprehendimus.
nos in nostris bonis illustrandis et amplificand
mus ignavissimi, qui torpor et negligentia orit
carne nostra. Deinde nos agimus de rebus ab
ditis et coelestibus, non sensibilibus: ipsi ver
praesentibus, visibilibus et palpabilibus. Ideo
excitatiores et diligentiores.

Ad hunc igitur modum Esau diligentissime
promissionem excussit; respondit enim simul
rientia promissioni. Mihi est promissus gladiu
xit. Merito igitur sum bellator et imperator.
ter autem est pastor, inops et exsul: pingued
ubertas terrae ad me pertinet. Nec ulli homi
subjectus sum, et excussi jam jugum fratris.
gloria et insolentia oritur ex carnali benedict
quia incurrit in oculos, et multum splendor
pompae habet in mundo. Habuit et Iacob ca
lem benedictionem, sed non fuit tam splen
Edom enim habuit reges et duces ante fratre
raël. Et spiritualis benedictio semper tecta es
lissima et miserrima specie.

Atque haec gloria Esau plurimum profui
reconciliationem: quia cogitavit: Ego sum dom

et cum nihil mihi sit periculi a fratre, cur tractem eum inclementius? Habeo non tantum verba benedictionis, sicut Iacob, sed rem ipsam cum verbis; abundo enim opibus, potentia, multitudine amicorum, sum natus ex carne et sanguine sanctorum Patrum. Ideo Deus non rejecit me, licet Iacob benedictionem praeripuerit. Et est verisimile, Esau tandem salvatum esse. Ideo autem Deus discrimen hoc inter Iacob et Esau, item inter Isaac et Ismaël constituit, ut ostenderet, regnum suum esse simpliciter spirituale. Nec dubium est, quin multi ex progenie et posteris Esau sint salvati. Multi enim ex Edomitis populo Dei in Israël adjuncti et circumcisi sunt, multi quotannis ad festorum celebrationem solennem Ierosolymam adscenderunt, qui ibi adorarunt. Speravit igitur Esau, se participem fore gratiae Dei et benedictionis spiritualis, et sensit etiam, se corporaliter benedici et augeri. Deinde fratris humilitatem vidit, quae omnia profuerunt ad leniendum et mitigandum ipsius animum, ut vere et ex animo fratri reconciliaretur, et sic secum statueret: Cur fratrem meum occidam? Cur in liberos suavissimos et conjuges saeviam? Avertat Deus, ne fiam parricida. Ac delectatur Esau non aliter opibus et fortunis, quae obtigerunt Iacob, ac si ad sese pertinerent.

Postremo accessit etiam seria et ardens oratio, qua impetravit Iacob mitigationem. Opes ipsae et bona corporalia, quae habet, non potuissent sanare animum exulceratum, quanquam interdum lenire solent offensas; sed major fuit vis et efficacia precationis. Si enim serio et perseveranter oramus, non potest non fieri ex inimico amicus, modo clamemus

et speremus, non in nostra dignitate, sed ut linum fumigans, in bonitate et misericordia divina: tum certissime exaudit nos Deus. Haec est reconciliatio fratrum vera et non simulata; sicut enumerat Moses certissima signa voluntatis et benevolentiae fraternae in utroque. Iam facilis est explicatio hujus capitis.

Attollens autem oculos suos vidit mulieres et pueros, dixitque: Qui tibi isti? Respondit: Pueri sunt, quos benignitate sua Deus donavit servo tuo.

Hoc pulcherrimum et suavissimum colloquium est duorum fratrum, plenum pietatis. Manet adhuc Iacob in humilitate et benevolentia captanda, quia etiam politicam dignitatem, sive, ut vulgo vocarunt, sanctum saeculare vult Deus suo ordine et modo honorari. Habet suam gloriam, suam praeeminentiam, qua qui antecellunt aliis, nequaquam contemnendi sunt, sed tribuendus est eis suus honor, juxta ordinationem Dei. Hebraeum verbum חָנַן et חֵן proprie significat dare animo promto et benigno, Germanice begnaden, quos donavit Deus servo tuo, damit mich Gott begnadet hat. Ita agnoscit simul beneficentiam Dei, et agit gratias. Causam vero suam verbis ornat, quantum potest, ad alendam benevolentiam fratris, et docet suo exemplo, ut nos quoque superioribus honorem et reverentiam debitam deferamus, non simus asperi, contumaces, praefracti erga eos, sed studeamus humilitate et observantia nobis devincire. Haec sunt moralia.

Sed cur quaerit Esau, cujus sint parvuli, quasi vero nesciat. Tamen fuerunt praemissi nuntii, qui

dona offerrent, ex quibus haud dubie percontatus est de comitatu Iacob et aliis? Ideo interrogat, ut captet occasionem blande et fraterne agendi et colloquendi cum fratre, quia removenda est omnis suspicio doli aut simulationis. Nihil egit hypocritice, et judico, eum tandem salvatum: sicut de Ismaële etiam sentio. Vere igitur victa et mutata est voluntas Esau; mutata autem voluntate sponte cedunt omnia, patet domus et universa bona Esau: quia voluntas est regina, quae dominatur opibus. Quando scio, me amari ab aliquo, nihil dubito, mihi parata et promta esse omnia, quaecunque ab animo amico et benevolo proficisci queunt. Cum igitur animus Esau reconciliatus sit, die etiam, ut dicitur, aegritudinem et offensam leniente, deinde humiliatione fratris, nihil intelligendum est hypocritice fieri; sed esse et gestus omnes, et verba candida et sincera, profecta ex amore et benevolentia, non fucata. Ideo enim obviam fratri ivit, amplexus est, osculatus est fratrem, flevit, et jam, quacunque ratione potest, captat occasionem declarandi animi et caritatis fraternae erga Iacob. Haec est gloriosissima illa et vere Israëlitica victoria, qua per orationem et luctam fidei superata est et Dei et hominis voluntas.

Et accedentes ancillae et nati eorum inclinarunt. Appropinquavit et Lea cum filiis suis inclinantes. Post haec adductus est Ioseph et Rahel, et incurvati sunt coram eo. Dixit autem ille: Quae tibi universa haec turma, cui obviam veni?

Et hanc pompam adornat Iacob ad placandum fratrem, quanquam antea divina virtute reconcilia-

tum per victoriam et luctam orationis et fidei, tamen externam etiam significationem benevolentiae non omittit, ne videatur tentare Deum, aut pacem et concordiam initam turbare, et superbia quadam animum fratris denuo offendere. Incurvatur igitur Iacob cum uxoribus, ancillis et liberis coram Esau, cum ipse sit filius et haeres benedictionis melioris. Habebat enim spiritualem benedictionem propter Christum promissum, conjunctam cum carnali. Esau illam promissionem de Christo ex carne sua nascendo non habebat: et tamen qui major est, subjicit se, et ita se gerit, ac si esset minor.

Ad hunc modum nos quoque subjecti esse debemus omni ordinationi divinae propter Deum, quia est creatura Dei. Ideo honorandi sunt a nobis superiores, qua possumus reverentia, ita tamen, ne abjiciamus aut negemus propter eos verbum Christi et promissionem gratiae, ne amittamus spiritualem benedictionem. Omnis enim reverentia et honor et officia omnis generis praestanda sunt magistratibus cum bona conscientia ac hilari animo, si manserint intra limites praescriptos, hoc est, salva divina obedientia et confessione verbi. Sin autem Deo aequari volunt, arguendi sunt, et opponenda est vox Apostolorum in Actis (5, 29.): „Oportet Deo magis obedire, quam hominibus".

Sic igitur major, qui est donatus a Deo benedictione spirituali, humiliat se erga fratrem, qui coram Deo est minor. Perinde ut nos regibus, principibus, nobilibus, consulibus, senatoribus suum honorem deferimus, vocamus eos, ut Christus loquitur, εὐεργέτας, illustres, generosos, prudentes etc. Quia est ordo et dignitas saecularis divinitus ordina-

ta, quam vult Deus a nobis honore affici. „Quodsi volunt super astra Dei exaltare solium, et similes esse altissimo", sicut Isaiae 14. (v. 13. 14.) dicitur, nequaquam obtemperandum eis est. Caeterum in suo ordine, loco et mensura, vera reverentia et vero amore eos prosequimur. Non adulamur eis, cum dicimus clementissimos, serenissimos etc.; sed ex animo veneramur ordinem et personam divinitus ad hoc munus ordinatam. Ad hunc modum Iacob non adulatur Esau tanquam superiori, sed vocat ipsum Dominum, se vero servum, vera humilitate et observantia erga fratrem. Estque pulchrum exemplum civilitatis peculiaris huic linguae et populo, qua etiam pares et aequales erga se invicem usi sunt in compellando. Nostris moribus non est receptum, ut quis se servum alterius appellet. Simplex haec et usitata forma est: mi amice, mi domine etc.

Esau vero rursus quaerit, quae sint turmae istae, ut habeat occasionem familiarius colloquendi et certandi cum fratre mutuo amore et benevolentia. Et apparet, eum nondum accepisse dona a Iacob missa. Quae fuerit causa, non constat: utrum adhuc ardens odio noluerit audire nuntios missos, antequam videret fratrem ipsum humiliantem se, an vero, cum esset mitior factus, et conspexisset turmas a fratre oblatas, singulari benignitate et misericordia motus noluerit accipere, non satis scio. Videtur tamen benevolentia magis, quam odio recusasse munera. Quid acciperem, dixit, ab illo? Cur mittit haec, cum ego, Dei beneficio, longe sim ipso locupletior; ac propterea non audivit nuntios missos ob hanc causam, ipsis nondum intelligentibus, quo animo esset erga fratrem.

Sic ego interpretabor, ut maneat hoc ratum, quod victoria illa operata sit miraculum hoc, ut animus Esau mutaretur et placaretur. Ideo potest fieri, ut servente adhuc ira egressus sit cum quadringentis armatis ad terrendum vel occidendum fratrem; ubi vero vidit, eum humiliari, et mitti ab eo munera, accessit manus Domini, et mutavit cor ejus: Cur facerem vim fratri? Aut quid eriperem bono et candido viro, exsuli et egeno? Dominus mihi benedixit cumulatius, quam fratri; aequum erat, ejus inopiam sublevari mearum rerum copia. Cur igitur munera ab eo acciperem?

Respondit: Ut invenirem gratiam in oculis domini mei.

Iacob perseverat in fovenda et retinenda benevolentia fraterna. Ac fiunt jam eorum animi placidissimi exstincto omni odio et malevolentia. Hoc operatur Deus intus per Spiritum, foris autem per media, per pompam reverentiae et munerum oblationem: quanquam ea non acceptasse videtur Esau prae nimio studio et amore, quo fratrem reconciliatum sibi complectitur.

Et dixit Esau: Est mihi multum, mi frater; maneat tibi, quod tuum est.

Nihil est fucatum aut simulatum in his verbis, sed sincere et candide omnia sunt accipienda. Scriptura enim nihil fingit, sed cum dicit, Deum et hominem victum esse a Iacob, vult, nos statuere, serio reconciliatum esse Esau, et totum mutatum. Utrunque enim sensit Iacob adversarium et hostem. Sed luctator dixit, vicisse eum, et convertisse animum

Di

Dei et hominis. Ideo omnia facta et dicta Esau sentimus esse sine fuco et hypocrisi. Haec propter Iudaeorum glossas diligentius inculco, qui solent extenuare et vituperare ethnicorum et incircumcisorum facta, et eorum vitia exaggerare, se ipsos vero praedicant et immodice efferunt. Ideo judicant, Esau simulasse benevolentiam, et omnes blanditias ejus fuisse suspectas Iacob, qui non voluerit fratri fidem habere.

Sed ego existimo, Esau vere et ex animo mutatum esse, tametsi justissimam causam odii et indignationis haberet. Debebatur enim ei benedictio tanquam primogenito; sed fuit magnus vir, ein feiner, tapferer Mann, instructus haud dubie doctrina et sermonibus Isaac et aliorum Patrum, apud quos educatus est, et didicit frenare cupiditates. Deinde accessit pompa haec instructa ad placandum ipsum, item lucta et invocatio Iacob. Postremo divina gubernatio, quae omnia animum ejus ad oblivionem injuriae illius perpulerunt. Ideo sincero et recto animo haec fecit, et dixit, sicut Iacob paulo post magnifice eum praedicabit: „Ita vidi faciem tuam, quasi viderem faciem Dei". Cum enim divinum opus sit, non potest esse simulatum aut fucatum, si quidem Deus nihil nisi rectum et verum facit.

Amota ergo opinione doli et simulationis merito praedicamus hunestissimam et humanissimam recusationem Esau. Est mihi copia omnium rerum, inquit; non igitur accipiam munera a te oblata. Relinquam parvulis et familiae tuae, ut iis fruantur. Haec omnia profecta sunt ex animo amico et fraterno.

Ad quem ait Iacob: Nae quaeso, si inveni gratiam in oculis tuis, accipe hoc munus meum de manu mea. Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim faciem Dei, et bene voluisti mihi. Accipe, quaeso, benedictionem, quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus. Benigne enim mihi fecit Deus, et satis habeo: coëgitque illum, et accepit.

Iacob instat, ut frater accipiat munus oblatum. Ego enim, inquit, offero haec de benedictione et peculio, quod donavit mihi Dominus. Nec inopia mea et egestate motus hoc officium meum recusabis, quia satis mihi est Dei bonitate. Neque necessitate aut metu tantum impulsus offero, sed optima voluntate tuique amore ardentissimo. Rogo igitur, ne respuas. Non enim alio consilio dono, quam ut intelligas, te a me fraterne diligi, et si qua offensio animi tui facta est, ut ignoscas. Munus ipsum quidem exiguum est, et magnificentia tua indignum, sed animus et studium erga te respiciendum erit. Vox מִנְחָה supra de sacrificio Cain et Habel usurpata est. Significat proprie donum, ein Geschenk.

Addit autem Iacob rationem, qua conatur persuadere fratri, ut recipiat oblatum munus. Satis mihi est hoc unum et omnium facultatum instar, quod inveni gratiam apud te; vidi enim faciem tuam sicut faciem Dei. Mirabilis haec et suavissima rhetorica est. Neque sentiendum est, Iacob mentiri aut fingere quicquam, sed serio et ex animo loqui: non quod peccatis ejus blandiendum censeam, sed ut virtutes et vitia recte discernantur. Saepe enim dictum est, nos sanctos non ubique excusare, et supra au-

divimus, Iacob suam infirmitatem satis declarasse, diffidentia et carne repugnante spiritui, quam non excusamus: quia sanctus, qui scit, sibi remissa esse peccata, et se haeredem esse vitae aeternae, non debet trepidare, pavere aut diffidere, sed fide immota in promissionem pugnare, et vincere dubitationem. Quia vero sumus adhuc in carne immunda et contaminata peccato, ideo impedimur, quo minus confidamus, speremus, invocemus eo ardore, quo debebamus; sed multum imbecillitatis et vitii haeret adhuc in nobis. Et tamen Deus patienter tolerat linum fumigans, et fidem trepidantem, modo non pugnet contra verbum, aut ejus confessionem et fidem excutiat. Infirmitas non nocet; sed virtus Dei perficitur in infirmitate. Utrunque vero cavendum est, ne aut vitia et lapsus sanctorum excusemus, aut recte eorum facta et dicta secus interpretemur.

Augustinus hoc loco quaerit, an Iacob sit idolatra, et an sit adulatus fratri, quando dicit, se vidisse faciem ejus tanquam faciem Dei. Et valde anxie laborat in excusando. Sed est phrasis scripturae, quae recte accipienda est. Supra enim dixit luctator: Vicisti Deum et homines, hoc est, habuisti tibi obversa duo dorsa, et Dei, et fratris, quae est significatio irae, aut abalienati animi. Et in omnibus linguis usitata est haec phrasis: quando odi aliquem, tum averto faciem et oculos, et obverto ei occiput aut dorsum, id est signum irae et indignationis. Ad hunc modum, quando Deus avertere faciem, et ostendere dorsum dicitur, significatur amissa esse gratia sive cognitio gratiae, favoris, misericordiae, laetitiae, gratiarum actionis, et his omnibus succedere pavor, tristitia, dubitatio de voluntate Dei, daſs ein betrübt

Gewissen sagt: ich weifs nicht, wie ich mit Gott daran bin.

Facies igitur non significat divinae essentiae adspectum, sed hoc est, quod Psalm. 67. (v. 1.) dicit: „Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri" id est, blande nobiscum loquatur. Item Psalm. 4. (v. 7. 8.): „Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti laetitiam in corde meo". Ut cum dico ad tentatum: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; item: O mulier, magna est fides tua; tum illuminatur facies Dei, quando sic blande nos alloquitur, et ostendit verbis et factis suam erga nos benevolentiam; ibi exhibet Deus faciem suam. Idque in hac vita fit tantum in verbo et sacramentis. E contra vero, quando dicit: Tu fornicatus es, furatus es, morte morieris; scortatores, adulteri etc. non possidebunt regnum Dei; item: Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus; item: Ibunt hi in ignem aeternum: ad haec omnia expavescit et contremiscit cor; ideo est aversa facies Dei.

Sicut igitur Iacob supra de facie Dei conversa dicit: „Salva facta est anima mea", quia blande eum allocutus est Dominus, et uberrimam consolationem in promissione et benedictione dedit: ita apud fratrem oritur ei sol et lux et vita ex verbo et testimonio optimae voluntatis. Et est sententia: Mi frater, ego vidi faciem tuam ad me conversam, non secus ac antea Dei faciem conversam vidi; haerens in tuo adspectu vere mihi faciem Dei intueri videor. Haec non est adulatio, sed seria locutio. Ita delectatus sum tuo adspectu, ac si Deum vidissem mihi obviam factum.

Agnoscenda est autem facies Dei blanda in promissionibus, in sacramentis, item in externis beneficiis et donis, in placato principe, proximo, patre aut matre. Quando video parentum faciem placatam, simul etiam faciem Dei blandam et arridentem mihi video. Quemadmodum Iacob prius dixit, se vidisse Dominum facie ad faciem; eandem Dei faciem cernit jam in facie fratris Esau, quia videt beneplacitum divinae voluntatis in benevolentia et favore fratris. Ad eundem modum in omnibus creaturis resplendet facies Dei, quia sunt opera Dei, et testimonia voluntatis et praesentiae divinae. Illis blanditur nobis externo adspectu, sicut intus in corde verbo et promissionibus faciem blandam et benignam exhibet.

Haec vera explicatio hujus phrasis est, ne quis assentationem aut idolatriam interpretetur. Et addit explicationem sive praedicationem mutui amoris et benevolentiae in fratre, cum inquit: Et voluisti me, aut bene voluisti mihi. רָצוֹן significat voluntatem, beneplacitum, benevolentiam. Psalm. 51. (v. 20.): „Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion"; et Matth. 17. (v. 5.): „Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui". Item. Lucae 2. (v. 14.): „Hominibus bona voluntas, εὐδοκία". Hoc vult dicere Iacob: Video, quod complacuisti in me, du nimmbst mich mit Gnaden an, amplecteris, excipis osculo, illacrymaris, et renuis donum, es paratior ad dandum, quam ad accipiendum. Ita declaras tuam erga me benevolentiam et beneplacitum. Accipe ergo munusculum exiguum, pignus mutui amoris, quod testetur, me tuam benevolentiam agnoscere. Appellat autem dona benedictionem. Ac-

cipe, inquit, benedictionem, quam attuli tibi, quam donavit mihi Deus; benigne enim mihi fecit Deus etc.

Haec profecto verba sunt animi perfusi immenso gaudio et laetitia. Toto pectore laetatur et gratulatur sibi, quod potitus est amore fraterno. Pulcherrima igitur et jucundissima haec serenitas est, quae est consecuta tempestatem et tenebras illas latae superioris cum fratre et viro. Video, inquit, Deum et fratrem mirabili bonitate placatum. Illa significatur ingens laetitia, quando dixit supra: „Et salva facta est anima“. Vere mihi nunc reviviscere ex morte et inferis videor, quia vidi blandam Dei et amicam faciem. Et lucet mirabilis modestia et humilitas in his verbis; sic enim vult dicere: Non attuli magnificum aliquod et amplum donum, quod dignum sit admiratione, sed est benedictio Dei. Et quaeso, ut hoc nomine accipias, ut sit pignus et monumentum gratitudinis meae, et benedictionis Dei, cujus dono et gratia hoc, quicquid est, tibi offero. Accipe igitur, quod Deus mihi dedit, in nomine Domini, non aliter ac si divinitus tibi esset oblatum, ut etiam apud te sit benedictio, et augescat in immensum, sitque benevolentia illa ac mutuus et fraternus amor inter nos perpetuus.

Antea vero Esau dixit: „Est mihi רָב“, id est, multum. Iacob dicit: Et mihi כֹּל id est, omne, totum: amplificat suam benedictionem: non solum copia mihi est, sed omnia habeo. Sunt verba exsultantis et gestientis prae laetitia propter faciem Dei et fratris exhibitam sibi in gratia, misericordia et benevolentia. Si tantum habeo gratiam Dei et tuam,

satis superque satis mihi est, neque quicquam damni facerem, si etiam omnia tibi donarem. Nihil mihi decedit, nec deerit unquam, cum tu mihi sis reconciliatus. Ich bin ein reicher Herr, weil ich Gott und dich zum Freunde hab.

Ostendunt autem haec omnia, quomodo fides in Iacob revixerit et excitata sit, jamque iterum regnet et triumphet. Iam enim statuit Iacob, suam benedictionem aequare omnes opes totius mundi. Prius nihil habebat, cum diceret: „Veniet frater, et percutiet me et conjuges et universam familiam". Ibi prorsus nihil habet, quia erant omnia desperata. Rursum vero repletur ei coelum et terra omnibus bonis et opibus totius mundi. Incredulitas enim spoliat nos misericordia Dei ac fratris, omniumque rerum copia.

Addit autem Moses, coëgisse Iacob fratrem, ut acciperet munus. Sic enim dixit: „Noli despicere benedictionem Dei et munus meum, ne videaris non ex animo mihi reconciliatus". Quanquam enim ego nihil dubito, tamen familia utriusque suspicabitur, esse adhuc incertam gratiam et favorem tuum. Oro igitur te propter amorem et fraternam benevolentiam tuam, ne recuses munusculum hoc.

Et ille ait: Proficiscamur et eamus, eroque socius itineris tui. Respondit illi Iacob: Nosti, Domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves lactantes mecum, quas si impulerint uno die, morientur cuncti greges.

Esau vult esse gratus, et vicissim fratri benefacere: offert enim se comitem et ducem itineris us-

que ad transitum Iordanis. Neque dolosa haec geruntur, tametsi adhuc fuisse suspiciones in utraque familia verisimile est. Sed Iacob fuit certissimus ex promissione de reconciliata voluntate fratris, et intelligit, haec proficisci omnia ex animo amico et candido. Et tamen deprecatur hanc humilitatem et officium fratris. Non necesse est, inquit, te ita humiliari, et nimis grave hoc tibi futurum esset. Novit enim Dominus meus, me habere parvulos teneros, et pecudes fetas, oves, agnellos, vitulos lactantes, qui non possunt sine periculo celerius progredientes subsequi. Ruben fuit annorum tredecim, non multo amplius. Levi duodecim, Iuda decem, et sic deinceps usque ad Dinam, quae non excessit quartum annum in hoc trajectu. Ducit igitur secum turbam parvulorum magno labore; pueri autem tam tenelli non possunt sequi comitatum Esau, equitum et armatorum. Ita tibi erimus impedimento, mi frater, et oneri.

Honestissima recusatio est; longe enim difficilius est ducere imbellem et teneram turbam parvulorum, quam aliquot turmas equitum, si quidem multa accidunt, quae impediunt progressum, et cogunt subsistere aliquot dies interdum aut horas. Infinita cura est cum familia peregrinari, praesertim illo tempore, quando non fuit usus curruum, sicut apud nos, sed camelis et asinis sarcinas et parvulos imposuerunt. Ideo nihil simulat nec mentitur Iacob, cum ait: Nos erimus tibi oneri et impedimento, remorabimur profectionem tuam, nos gravabimus te hoc tam molesto comitatu; sed serio deprecatur hanc molestiam, ne excusationem aliam afferat Esau, quod velit tardius progredi, aut tale aliquid. Significat

tecte, futurum id molestum armatis, qui erant in comitatu Esau. Imo etiam periculum commemorat, si uno die pulsarentur oves. Id enim proprié significat Hebraeum verbum pulsare, sicut fores pulsare solemus. Aguntur enim pecora virga aut baculo. Si igitur urgerem ea, aut impellerem ita, ut aequarent gressus equitum, una die perirent omnes pecudes et parvuli; Germanice übertreiben. Ideo commodius est, ut cum tuis comitibus praecedas, ego pedetentim subsequar.

Transeat, quaeso, Dominus meus ante servum suum; ego sensim incedam, quatenus ferunt pecora ante me, et quatenus pueri ferre possunt, donec venero ad Dominum meum in Seir. Dixit ergo Esau: Constituam, quaeso, quosdam de iis, qui mecum sunt, qui tecum maneant. Respondit Iacob: Ad quid istud? Satis est, si gratiam invenio in oculis Domini mei. Reversus est itaque Esau eodem die itinere suo versus Seir.

Hebraeum verbum נָהַל *) significat proprie deducere; Psalm. 31. (v. 4.): „Deduces me et enutries me"; et Psalm. 23. (v. 2.): „Iuxta aquas refectionis deducet me". Et hoc loco Iacob dicit: „Ego faciam, eos deduci leniter, mählich, sicut oves in pascua aut aquatum ducuntur, daſs Vieh und Kinder nicht verderbe; haec enim sunt officia pastoris. Et de Absolone ait David, 2 Samuel. 18. (v. 5.): „Leniter agatis cum puero Absolon", thut gemach und säuberlich mit Absolom.

*) In edit. princ. scriptum est Iachal.

Quod vero addit: „quatenus ferunt pecora ante me", in Hebraeo est: juxta pedem operis et parvulorum. Et vocat opus מְלָאכָה universam suam substantiam, et exstat eadem vox in tertio praecepto Decalogi. Hinc מְלָאכָה opus, sive virtus coelorum, quae est efficax in inferiora ad fecundandam terram, ad uberes proventus frugum. Et Christus (Luc. 21, 26.) hoc modo: „Virtutes coelorum movebuntur", inquit. Hic vero totam familiam et substantiam vocat opus, exceptis parvulis et mulieribus. Sicut in tertio praecepto dicitur: Sex diebus operaberis, et facies omne opus in eis, hoc est, curabis res tuas. Septimo die ages Sabbatum, quiesces et audies vocem Domini Dei tui.

Porro quaestio hic agitatur ab aliis, an Iacob sit mentitus, cum dicit, se venturum ad Esau in Seir, neque tamen exstat usquam, quod eo pervenerit. Saepe autem dixi, me non liberare sanctos omnibus peccatis. Scimus enim, maximos et sanctissimos viros saepe horribiliter lapsos et contaminatos esse, non tantum errore et infirmitate communi, sed etiam summis illis peccatis contra fidem, spem, caritatem, patientiam, nimirum diffidentia, dubitatione, indignatione et fremitu adversus Deum. Ibi volumus eos habere socios, et exempla consolationis. Nec sentiamus, eos fuisse statuas, lapides et truncos, sed similes nobis. Helias impetrat a Deo, ut tribus annis non pluat: tamen sentit postea carnem trepidantem et petentem, ut liceat vitam abrumpere. Sed recte eorum facta aut dicta, quae carent reprehensione, nequaquam captiose aut calumniose interpretanda sunt. Igitur nec Iacob nobis suspectus esse

debet, ac si simulanter aut dolose cum fratre agat; sed est in eo animus candidissimus et perfusus immensa laetitia propter factam reconciliationem. Est securus et extra omnem metum et periculum; ideo nulla causa est adulandi aut mentiendi.

Sed cur non profectus est in Seir, cum tamen promittat? Respondeo: Non hoc promittit, quod hoc itinere recta in Seir velit pergere; sed jubet Esau praecedere, donec sequatur ipsum, et veniat in Seir. Prius vero domum ad senem parentem profectus est, et eum invisit, quam ad fratrem iret in Seir. Caeterum consentaneum est, eum ad fratrem in Seir, aut alio in loco aliquoties commeasse: et ad sepulturam patris utrunque convenisse nihil dubium est.

Rursus vero ut declaret benevolentiam suam Esau, dicit, se velle adjungere comites Iacob, quos habeat defensores. Sed recusat Iacob, propterea quod illis molesta futura esset mora, quam traheret in itinere propter tot impedimenta. Abunde satis mihi est, inquit, quod scio, te mihi amicum esse Ita ergo discedunt utrinque post dictum vale, Esau in Seir, Iacob vero in Suchoth etc.

Iacob vero profectus est in Suchoth, et exstruxit sibi domum; sed et pro pecoribus suis fecit tabernacula. Hinc vocatum est nomen loci illius Suchoth.

Civitas Suchoth sic dicta est tunc ab effectu, quia fixit ibi Iacob tabernalum pro pecudibus, et aedificavit domum pro familia. Atque ita sonat textus, ac si aliquandiu permanserit eo loco Iacob, nec fuerit tantum diverticulum aut hospitium unius noctis aut diei; sed facit mentionem aedificationis; ideo

significat, eum aliquandiu ibi commoratum esse. Lyra de sententia Hebraeorum narrat, habitasse eum illic annum cum dimidio, quae opinio peperit quaestionem superiorem, an sit mentitus Iacob, si quidem promiserit, se venturum in Seir, et tamen manserit anno et dimidio in Suchoth. Sed incertum est, quam diu ibi haeserit, et utrum ad fratrem venerit, an non. Et tamen fieri potuit, imo humanum est et usitatum, ut mutuis officiis testentur amorem suum, qui invicem sibi reconciliati sunt. Ad eundem modum saepe convenisse fratres verisimile est, et fovisse amicitiam, et eandem etiam inter nepotes et affines conciliasse. Hoc rectius mihi sequi videtur ex eo, quod dicit, habitasse Iacob in Suchoth fixo tabernaculo, et domo exstructa, quam mentitum esse, et ad fratrem non accessisse.

Porro, ut hoc obiter addam, fui aliquando in ea opinione, Benjamin hoc anno reditus ex Mesopotamia natum esse. Sed deprehendi, eam falsam esse, et octavo circiter anno post natum. Est enim diligentia utilis et necessaria inquirere et meminisse seriem temporum in sacra historia. Paulus genealogiam personarum, non temporum prohibet; haec enim ad cognitionem scripturae sanctae plurimum prodest. Illa vero propter confusiones infinitas incerta est, et paene impossibilis in tanta varietate nuptiarum secundarum, tertiarum etc. item familiarum diversitate, quae variis modis commixtae sunt. Saepe etiam, ut Lyra alicubi testatur, unus homo nominatur duobus vel tribus nominibus, aut plures uno nomine nuncupantur. Est igitur genealogia res inextricabilis et prohibita, et qui volet eas curiosius investigare, sumet laborem inanem. Sed temporum

supputatio necessaria est, vel ob hanc causam, ut Iudaei convinci possint de adventu Christi, cujus testimonia illustrissima ex serie temporum sumi possunt: quanquam ne haec quidem tam exacte colligi potest, tamen parum refert, si etiam summa praecisio haberi nequeat. Infra autem de supputatione annorum Iacob plura dicemus.

Suchoth, Phanuël et Mahanaim civitates sunt trans Iordanem sitae in tribu Gad. Eam terram postea Arabes occuparunt usque ad Iordanem; ideo nomen Arabiae obtinuit. In historia Iudicum, cap. 8. (v. 16. 17.) recitatur, Suchoth et Phanuël esse eversas a Gedeone, propterea quod noluerant praebere panem exercitui defatigato. Tandem igitur post servitutem, exsilium et tot labores ac tentationes concedit Deus pacem et quietem Patriarchae Iacob, ut possit cum familia et pecoribus in tuto et tranquillo esse, ac curam agere rei privatae in oeconomia, sicut decet patremfamilias. Aedificat igitur domum, docet, gubernat. Et Spiritus sanctus dignatur ista omnia tam diligenter describere, primum ut ostendat vicissitudinem hanc in vita sanctorum, qua solent sibi alternis succedere tribulationes et consolationes, perinde ut in natura vices sunt dierum et noctium, hiemis et aestatis. Atque ideo exercet Deus ingenti benignitate et misericordia sanctos suos, ne in pace et tranquillitate torpescant, in adversitate autem ne frangantur animis. Necessaria enim est crux ad humiliandam carnem, ne rebellet, neve dominetur spiritui. Afflictio autem, quae caret fine aut intervallis, frangeret spiritum, et cogeret ad desperationem. Deus igitur mirabili bonitate temperat haec secundum regulam Pauli, 1 Corinth. 10. (v. 13.): „Fide-

lis Deus, qui non sinit nos tentari supra vires". Saepe quidem sinit, tentationem pervenire ad summum et inenarrabilem gemitum: sed tamen facit cum tentatione eventum, ne succumbamus, sed ut possimus sufferre. Sicut 2 Corinth. 4. inquit: „Dejicimur, at non perimus" etc.

Haec est doctrina totius scripturae sanctae, quae hoc loco in exemplo Iacob proponitur, videlicet alternae vices tribulationis et consolationis, ob hanc causam, ut mortificetur corpus peccati, ne efferatur superbia: deinde ne spiritus absorbeatur tristitia, et exhauriatur terroribus. Utrunque enim vult caveri Deus, ne superbiamus secundum carnem, et ne desperemus secundum spiritum, sed media via incedamus inter tristitiam et gaudium, inter gloriam et ignominiam. Sic enim Patriarcha Iacob multas tentationes habuit; sed post has omnes consolationem accepit, quando vidit faciem Dei et fratris placatam. Tum enim salvata est anima ejus, praeteriit nox et illuxit sol, postquam transiit Phanuël. Paulo post sequetur alia tentatio. Altera causa est, propter quam haec proponit Spiritus sanctus, ut testetur, omnia opera sanctorum, quantumvis servilia et puerilia, grata et accepta esse, tanquam fructus bonos in conspectu Dei. Non tantum colliguntur sublimes illae et theologicae virtutes, ut certamina cum morte, peccatis et aliis tentationibus, et earundem victoriae periculosissimae, sed etiam vilia ista, domestica et servilia, ut discamus vitam nostram ad hunc modum instituere, ut simus certi, in omnibus officiis et actionibus nos Deo placere. Non semper oro, non semper meditor in lege Domini, neque luctor assiduo cum peccato, morte, Diabolo; sed vestio,

dormio, ludo cum parvulis, comedo, bibo etc. Haec omnia si fiant in fide, tanquam recte facta divino judicio approbantur.

Hoc diligenter inculcandum est contra horribilem hypocrisin Monachorum, quae prodigiosa sua specie fascinat oculos et mentes hominum, ut ejus admiratione capti quotidianas et oeconomicas actiones fastidiant, tanquam saeculares et spretas a Deo, cum quidem hypocritae et Monachi multum ineptiarum et absurditatis habeant in vita sua. Sed impiorum quodvis etiam otiosum verbum displicet Deo, quin etiam victimae eorum et splendidissimi cultus sunt peccata et abominationes. Credentibus vero omnia cooperantur in bonum, etiam infirmitates, errata et lapsus, Roman. 8. (v. 28.). Haec ignorat ratio et sapientia carnis: ideo non recte judicat, nec potest discernere hypocritarum et sanctorum opera.

Ex Suchoth autem migrat Iacob in Salem, et emit ibi partem agri, erigitque altare ad invocationem Dei et praedicationem doctrinae coelestis: quam particulam ego cum sequenti capite jungendam puto, et inde inchoandum caput trigesimum quartum.

TRIGESIMUM QUARTUM CAPUT GENESIS.

Post haec transiit Iacob in Salem, civitatem Sichem, quae est in terra Canaan, postquam reversus est de Mesopotamia, et castra metatus est e regione illius civitatis.

Prima quaestio hujus capitis est grammatica, de significatione horum vocabulorum, Salem et Sichem.

Nec convenit inter Hebraeos grammaticos aut alios interpretes omnes de vi et proprietate illarum appellationum. Supra enim aliquoties dixi, plurima vocabula esse, quorum significatio etiam ipsis Hebraeis ignota est. Ita intercidit usus et cognitio hujus linguae, ut haud unquam perfecte restaurari queat. Nec vocum tantum, sed et phrasium et constructionum multiplex et varia est obscuritas, qua fit, ut vim et figuras, aut emphases plurimarum dictionum et sententiarum ignoremus. Aut si qua ratione in integrum restitui poterit, per Christianos id fiat oportet, qui ex novo testamento veram cognitionem scripturae sanctae habent. Iudaei obscurant genuinum sensum suis aequivocationibus, distrahentes vocabula in varias et multiplices significationes, idque studiose faciunt ad serendas quaestiones et errores omnis generis.

Sed diligens et bonus grammaticus debet dare operam, ut varias significationes in unam quandam et certam redigat: quia necesse est, unius vocis esse unam propriam et genuinam significationem. Monstret igitur radices singulas et earum proprietates, postea figuras, metaphoras, allusiones et phrases colligat. Hoc Rabbini non faciunt, quia cadentibus rebus cadunt etiam vocabula et eorum significata, sicut jureconsultorum, medicorum, theologorum sermonem nemo intelligeret amissis rebus. Et exemplo esse potest scholastica theologia. Nemo enim ex auditoribus nostris est, qui intelligit Scotum, Thomam et similes, quia res et usus verborum exolevit. Idem in aliis disciplinis fieret, nisi maneret usus et exercitatio earum. Pereuntibus enim rebus etiam verborum intellectus subinde fit obscurior.

Quae-

Quaeritur igitur, an Salem hoc loco appellative in regimine, an vero proprie ponatur. Appellative significat pacem aut pacificum, item perfectum, interdum etiam retributionem. Hac significatione si accipiatur adjective, hic sensus erit: Iacob integer, vel pacificus et quietus, hoc est, sine tentatione et incolumis transiit Iordanem, et pervenit in civitatem Sichem. Haec non est inepta expositio, quia evasit jam victor tentationis et certaminis, quod sustinuit cum viro luctatore, accepit consolationem, et habet omnia salva et integra. Ideo securo et tranquillo animo aedificat domum, et figit tentoria.

Alii referunt ad historiam de luxato femore Iacob, et sic interpretantur: Iacob venit integer, id est, restitutus et sanus, ita ut non claudicaret amplius. Neque hanc explicationem reprehendo. Fieri enim potuit, ut restitueretur ei femur arte medica, quae haud dubie fuit Patribus notissima. Habuerunt enim non tantum notitiam, sed etiam magnam copiam optimorum medicamentorum, habuerunt balsamum et alia multa, quibus nos hodie caremus. De re igitur non disputo, et facile credo, restitutum et sanatum esse femur Iacob. Sed ea non est vis et proprietas vocabuli, et cum alia magis propria vocabula ad hunc sensum exprimendum habeant Hebraei, haud dubie alio aptiore essent usi; quia magis genuinum hoc videtur, si sic reddas: Iacob venit quietus aut pacificus, in adjectiva significatione.

Tertia opinio, quod sit nomen civitatis, non facile probari potest. Dicta est et Ierosolyma Salem, sicut supra, cap. 14. audivimus. Nec potest affirmari, quod Sichem veteribus nominata sit Salem, sicut alibi de Lusa dicitur, quae postea Bethel est ap-

pellata, quia non exstant omnes appellationes locorum apud Iudaeos. Sed cum nemine de hoc pugnabo. Neque enim fides aut religio nostra in hac periclitatur, sive pro adjectivo, sive proprio accipiatur.

Nomen autem civitatis Sichem mansit ad omnem posteritatem, et est satis celebre praesertim in historia Regum. Sirach appellat stultum populum, qui habitat in Sichimia: sicut Germani de Sueris et Bavaris judicare solent. Fuit populus superbus et deditus luxui. Et dicunt, fuisse vicinam urbem duobus montibus Garizim et Ebal. Alii prope Hiericho sitam fuisse contendunt. Illud constat, Silo, ubi fuit tabernaculum, admodum vicinam fuisse Sichem, et est verisimillimum, Silo hunc ipsum locum fuisse, ubi habitavit Iacob, et ubi Christus locutus est cum Samaritana muliere, Ioh. 4. (v. 7. seqq.) Et fuit ibidem tabernaculum sub Iosua et Eleazar longo tempore usque ad Samuëlem. Itaque posteritas inde occasionem sumsit multiplicis idolatriae, mota auctoritate et exemplis Patrum, quos sequi et eodem loco contra verbum Dei offerre et colere volebat. Sicut Heroboam postea reaedificat Sichem, et eo transfert cultum divinum a templo Ierosolymitano, 1 Regg. 12. (v. 25. seqq.).

Etsi autem in tanta varietate opinionum non habeo, quod respondeam aut asseverem, cum Hebraeorum Rabbini ipsi dissentiant, tamen mihi magis placet haec interpretatio, ut dicatur, Iacob liberatus tot vexationibus, plenus fide et consolatione ac viribus integris venisse in civitatem, quae vocatur Sichem a principe vel a conditore, sicut multae aliae urbes nomen sortitae sunt a conditoribus, et fuit valde

nobilis locus omnibus temporibus in isto populo, ut diximus.

Emit quoque partem agri a filiis Hemor, patris Sichem, centum nummis, in qua fixit tabernaculum.

Hactenus nihil proprii habuit Patriarcha Iacob in hac terra; nunc demum emit partem agri. Quanquam stabat promissio certa, quod Deus totam terram ei daturus esset, tamen emit hanc portiunculam, sicut supra avus ipsius, Abraham, agrum emit e regione Mamre, et speluncam duplicem in sepulturam Sarae. Recte igitur Stephanus ait, Actor. 7. (v. 5.): „Non dedit illi possessionem in ea, ne vestigium quidem pedis", ipsis scilicet viventibus; sed emerunt uterque, Abraham in sepulturam, Iacob in habitationis locum, cum esset jam quietus, et emersisset ex illis procellis tentationum. Solvit autem centum nummos pro ea parte, unde apparet, non admodum amplam fuisse. Alii pretium fuisse dicunt centum agnos. Sed sive numisma, sive agnos intelligas, non potuit magnus ager esse tam exiguo pretio comparatus; aut viliores tum fuerunt, quam hodie. Habet ergo jam propriam sedem prope civitatem Sichem, quae celebratur in scriptura sancta propter hanc possessionem et vicinam Silo, ubi fuit tabernaculum, et ubi conventus populi habiti sunt.

Ibique constituit aram, et invocavit fortem Deum Israëlis.

Cogitat Iacob hic morari; ideo erigit altare. Needum reversus est ad patrem Isaac, sed postea credo eum saepius visitasse et parentem et fratrem

16 *

relicta familia et pecoribus hoc loco. Nec longo intervallo abfuit Hebron a Sichem, circiter decem milliaribus. Hebron quinque milliaribus abfuit ab Ierosolyma, Sichem tribus vel quatuor. Ideo facillimum fuit invisere fratrem et patrem. Quanquam scriptura hoc non expressit, tamen bona consequentia sequitur, si quidem facta est reconciliatio inter fratres. Et existimo, eum ad minimum octo annos hoc loco habitasse.

Describit autem Moses usum altaris excitati, cum ait: „Et invocavit Deum deorum Israël“. Sic enim est in Hebraeo. Et est insignis locus, quia Christus fere ubique in veteri testamento nobis manifestatur sub nomine divino. Et hoc loco Moses tres personas simul complectitur, sicut alias saepe solet. Supra vir luctans cum Iacob fuit ipse Dominus noster, Iesus Christus, Filius Dei, qui sic voluit manifestari, quod esset distincta persona a Patre et Spiritu sancto, et tamen unus esset Deus. Ita hic primum אֵל interpretor Filium Dei incarnandum, אֱלֹהֵי. autem Patrem et Spiritum sanctum. Et hae tres personae sunt unus Deus Israël.

Iudaei autem legunt, et textus sic sonat, quod ipsum altare sic appellaverit. Sicut locum, Hieremiae 23. (v. 5. 6.) et 33. (v. 15. 16.) etiam exponunt, ubi dicitur: „Ecce dies venient, dicit Dominus, et excitem germen justum David, regnabitque rex, et prudenter rem geret, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus ejus salvabitur Iuda, et Israël habitabit tuto, et hoc nomen ejus, quo vocabunt eum: Dominus, justitia nostra“. Est ibi nomen tetragrammaton יְהֹוָה, hoc est, verus Deus justitiae

ostra. Sed hanc insignem auctoritatem de divinita-
: Filii Dei eludunt talibus dictis, quod altare ap-
ellatur Deus deorum. Item, Ierosolyma, Hieremiae
3. (v. 6.): „In diebus illis servabitur Iuda, et Ie-
ısalem habitabit secure, et hoc est, quod vocabit
ım Dominus, justitia nostra". Item, Exod. 17. (v.
5.): „Aedificavit Moses altare, et vocavit nomen
us Dominus signum, vel exaltatio et fortitudo mea".
em: Mons Morija appellabatur reverentia Dei (Gen.
2, 2.).

Hisce dictis conantur elevare auctoritatem et
ondus testimoniorum de divinitate Christi. Sed Ie-
ısalem aut altare non est Dominus nec exaltatio
ec justitia nostra. Et tamen Iudaei argumentum
oc pertinaciter adversus nos urgent, nec patiuntur
bi extorqueri. Nobis autem facilis explicatio est ex
octrina novi testamenti, sicut alibi docetur.

Iacob igitur accepta consolatione salvus et inco-
mis ac liberatus terroribus mortis, et sedato dolo-
luxati femoris erigit altare, ut agat gratias Deo
'o hac restitutione et salute. Ideo enim statuit al-
re, ut doceretur verbum, ut fieret ibi invocatio,
'atiarum actio et alii cultus divini. Perinde enim
t, quando dicit scriptura sancta, excitatas esse aras,
si dicat, constitutas esse scholas aut ecclesias, ubi
lministrarentur sacra, quae pertinent ad cultum
ei. Non erecta sunt altaria ad spectacula aut pom-
ıs, nec ad sacrificia missarum, sed ad praedicatio-
:m verbi. Sic igitur describitur Iacob animo tran-
ıillo et hilari post liberationem. Non tamen in
licitate hac obliviscitur Dei liberatoris, sed erigit
am, docet liberos, regit familiam et ecclesiam, et
'rtatur ad invocationem et gratiarum actionem. Sed

non est diuturna haec tranquillitas; jam enim dies vergit ad vesperam, et nox atra ingruit.

Egressa est autem Dina, filia Leae, quam pepererat ipsi Iacob, ut videret filias illius terrae. Quam ut vidit Sichem, filius Hemor Hivaei, principis illius terrae, rapuit eam, et dormiens cum ea constupravit eam.

Haec alia est et longe atrocior tentatio, quam fuit superior, cum trepidaret ad occursum fratris, plena maximis et tristissimis periculis et calamitatibus. Iam enim sedet domi inter conjuges, liberos et domesticam ecclesiam optimus Patriarcha, suavissime acquiescens consolatione recens exhibita post gravissimam luctam. Nec sedet otiosus, sed facit officium patrisfamilias et doctoris summa diligentia, gubernando, docendo, orando, et subito praeter omnem exspectationem conjicitur in tristissimam tentationem. Est igitur exemplum nobis in doctrinam scriptum, ut discamus patientiam in adversis. Si enim tantus vir tam atrociter exercetur, nihil mirum aut indignum videbitur, si nobis quoque similia aliquando accidant.

Primum autem quaeritur de aetate Dinae, quae stuprata est. Non enim verisimile est, eam fuisse nubilem, cum primum venisset Iacob in Sichem, si quidem non amplius tribus aut quatuor annis habuit ad summum; sed oportuit eam undecim aut duodecim annorum esse, cum vitiaretur. Et sequitur inde, Iacob habitasse in Suchoth, vel in Sichem ad minimum octo annis ante natum Benjamin, cujus nativitas sequenti capite primum describetur. Quod

igitur in priore editione Chronicorum meorum annotaveram, Iacob recta via ad patrem Isaac profectum esse, anno primo post reditum, id mutavi postea, et existimo, eum circiter decennium fuisse in hac terra ab exitu de Mesopotamia, et moratum esse octo annis in Sichem, ubi habuit proprium fundum, quo collocavit pecudes et familiam suam, et interdum exspatiatus est ad senem parentem et fratrem, ut eos inviseret.

Ad hunc numerum constituendum cogit nos Dina, cujus aetatem ad minimum ponere oportet XII. annorum, ut sit nubilis et apta ad viri consortium. Quanquam id quoque rarissimum est, et paene impossibile, praesertim hoc nostro saeculo, ut puella XII. annorum concipiat aut ferat uterum, propterea quod plurimum laboris et difficultatis est in partu, ac plerunque cum periculo vitae conjunctus est, ideoque requirit robur et aetatem maturiorem. Tamen consentaneum est, fuisse eo tempore naturam et vires hominum aliquanto firmiores, propter coeli et aëris temperiem, locorum item commoditatem et in cibo et potu temperantiam. Et jura civilia masculis quatuordecim annos, puellis autem duodecim ad maturitatem conjugii tribuunt. Sed ea aetate ne quidem vivere se aut puellas esse sentiunt; ideo non servamus hodie has metas. Et ut maxime tum matura conjugio haberetur Dina, tamen appellatur in textu יַלְדָּה infantula, quia non fuit consuetudo puellas tam cito elocare. Sic enim supra de Rebecca audivimus, fuisse eam circiter triginta annorum, cum nuberet Isaac. Deinde natura hominum non tantum hac extrema senecta mundi facta est languidior et imbecillior, sed etiam intemperantia in victu, incle-

mentia coeli, aëris, locorum, in quibus degimus, valde debilitata est. Ideo fit, ut ante tempus senescamus, et variis morbis affligantur corpora nostra.

Multi autem disputant, an aliquid decesserit de aetate hominum, et an vires ac anni humani corporis defecerint. Ac sentiunt quidam, nihil admodum decessisse, si quidem multi hodie inveniuntur, qui annum centesimum attingunt, aut ad nonagesimum perveniunt. Sicut ipse tales vidi. Cum autem dicat Moses, Psalm. 90. (v. 10.): „Dies annorum nostrorum sunt septuaginta anni, aut ad summum octoginta", et eo quidem tempore tot annos nati ad extremum terminum aetatis pervenisse judicarentur, plane non videntur decrevisse anni et vires humani corporis nostro tempore, ubi multos videre licet, qui attingunt septuagesimum aut octogesimum annum.

Alii citant sententiam ex Psalm. 102. (v. 26. 27.): „Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur". Ibi testatur scriptura sancta, coelum et terram veterascere in modum vestimenti. Ideo certum est, decrescere vires coeli et terrae et creaturarum omnium, quae sunt in coelo et in terra, animantium, hominum, plantarum, herbarum; in quibus non est amplius tantum virtutis et efficaciae, quantum olim fuit. Adam vixit DCCCCXXX. annos, et in universum omnium Patrum ante diluvium major aetas fuit. Post diluvium autem decrevit et aetas hominum, et degenerarunt omnes creaturae, coelum et terra. Non est ea virtus solis, non terrae ubertas, quae ante fuit; magnam enim labem et corruptionem sensit tota na-

tura rerum ex diluvio. Quin et Paradisum vastavit et disjecit. Quatuor fluvii, quorum mentio fit, Gen. 2., non sunt amplius egressi de Paradiso post diluvium. Alia terrae facies, alia cultura fuit post horribilem illam dissipationem et vastitatem, et paulatim magis ac magis aetas et vires omnium creaturarum deficiunt.

Ideo vigesimo quarto anno demum masculus robur corporis idoneum conjugio et rebus gerendis acquirit, puella autem decimo septimo aut octavo ad ferendos labores partus. Tempore David communis aetas hominis fuit LXX. annorum, et tales etiam hodie inveniuntur; sed admodum pauci, et propemodum miraculi instar sunt, qui attingunt septuagesimum vel octogesimum annum. Communissimus cursus est quinquaginta aut sexaginta annorum; hos qui excedunt, illi superant usitatam metam. Moses autem in oratione sua, Psalm. 90. (v. 10.) de communi termino loquitur. Quae enim superest vita post septuaginta aut octoginta annos, inutilis est ad res gerendas, ad generationem, ad administrationem etiam oeconomicam. Et David cum esset septuaginta annorum, mortuus est. Hodie sexagenarii ad omnem gubernationem fere sunt inutiles: adeo decreverunt vires corporum et rerum omnium. Accedit praeterea intemperantia vitae, crapula et luxus immodicus, quibus tanquam arietibus corpora nostra oppugnamus.

Iam ad historiam veniamus, quae continet tristissimam calamitatem Patriarchae Iacob, nec ipsi tantum gravem et luctuosam, sed et toti familiae et filiis ignominiosam. Maxima enim contumelia est stuprum puellae illatum propemodum adhuc infanti.

Sicut Moses non appellat eam בְּתוּלָה aut עַלְמָה, sed יַלְדָּה, infantem. Et Sichem etiam adhuc puer fuit. Ait vero, egressam esse Dinam, ut videret filias terrae, id est, mulieres illius regionis, securam, et sine omni metu ullius injuriae, multo minus stupri, si quidem nondum erat nubilis, und darüber kompt sie zu Fall. Ideo auget hoc contumeliam, quod rapit Sichem puellulam, et stuprat impuberem, et nondum maturam conjugio. Ac fuit justa causa fratribus indignationis et iracundiae. Sed nimium crudeles erunt, ut audiemus, in exigenda vindicta.

Ipsius parentis dolor haud dubie summus et maxime miserabilis fuit. Habitat enim in terra Canaan octo annis post egressum ex Mesopotamia, et his annis aedificat domum, figit tabernaculum pro pecoribus. Nec est amplius peregrinus aut hospes, sed incola terrae, constituit ibi ecclesiam, erigit altare Domino, praedicat promissionem et praecepta Dei, propaganda ad omnem posteritatem. Ac habet pacem et tranquillitatem, saltem communem illam et usitatam, qualem solent habere respublicae et oeconomiae in hac vita, mixtam multis difficultatibus et incommodis politicis et oeconomicis. Obit etiam operas oeconomicas, multiplicat greges, congregat opes, parat victum familiae, tolerat molestias, quae solent incidere, odia vicinorum, furta, rapinas, insidias. Ista sunt communia mala et quotidiana, quae non possunt corrigi aut vitari, sed simul cum aliis ferenda sunt, et Deo gratiae agendae, quod manet interea pax et tranquillitas publica. Caeterum talis ea quies est, quae non potest esse sine sudore vultus, sine spinis, sine tribulis. Atque eam sane habuit Iacob hisce octo annis.

Iam vero redit inusitata et atrox tentatio, quae non potest numerari inter quotidianas spinas et tribulos. Quilibet enim ex se conjecturam faciat, quantus sit dolor patris, habentis unicam filiam, quanta crux, videre ejus summum probrum, et stuprum turpissimum? Non est quidem spiritualis tentatio, fidei, spei, patientiae, quales superiores fuerunt. Sed tamen inter domesticas atrocissima et maxime intolerabilis est, filiolam unicam nondum nubilem stuprari per vim, idque fieri in loco quieto et securo, non ab hostibus, sed a vicino, ab amico, a principe defensore et patre patriae, cujus hospitio et fide hactenus securissime acquieverat. Ab eo contra omnem opinionem tam insignem contumeliam ferre cogitur. Pessima igitur haec et indignissima tentatio est; verum ita describuntur maximi et sanctissimi viri, quod fuerint obnoxii non solum sudori vultus, tribulis et spinis quotidianis et oeconomicis, sed etiam acerbissimis et pessimis vexationibus gentilium et impiorum hominum.

Indignum profecto et miserabile est, tantum Patriarcham tanta contumelia affici, qui tot munitus erat promissionibus, quod in tutela Dei, sub praesidio et custodia Angelorum futurus esset. Ubi nunc illi Angelorum exercitus, et מַחֲנַיִם? Ubi gloriosissima victoria, qua vicit Deum et homines? Ubi magnifica illa acclamatio: „Praevaluisti adversus Deum et hominem“? Quis hic custodit? Quis vigilat? Deus et Angeli connivent, dissimulant. Deus ignorat, et non aliter se gerit, ac si nesciat nec videat, filiam rapi ad stuprum. Permittit enim, hoc fieri quiescentibus et cessantibus Angelis. Ingens certe et deploranda calamitas est, quam non homi-

nibus piis, sed hostibus Dei, ethnicis et impiis evenire oportuit. Ideo discenda est patientia, si quando nobis etiam tristia et inusitata haec accidunt, quae videntur nulla ratione aut patientia tolerari posse, qualis haec sane tentatio fuit, superans omnem tolerantiam et patientiam humanam, sicut postea fratrum crudelis vindicta testabitur. Sic enim sanctissimi viri subjecti fuerunt tragicis calamitatibus, et videtur rationi regnum Dei sic administrari, ut par sit cura piorum et impiorum, imo horum felicitas longe major, quam piorum.

Cur igitur permittit Deus, sanctissimum Patriarcham hac cruce onerari, perinde ac si non esset sanctus, acceptus, gratus in conspectu Dei? Propter nos hoc factum est, ut discamus patientiam et consolationem in adversis, atque os oppilemus, si acciderint et nobis similes calamitates. Non enim sumus meliores tantis viris; ideo non debemus singularem fortunam expetere, sed adsuescere ad haec exercitia et probationes fidei, consolationis et patientiae, si quidem ultra sudorem illum vultus et usitatas tribulationes spirituales inusitata illa et inaudita portenta calamitatum Deo permittere visum est.

Haud dubie vero tum in mentem venit optimo Patriarchae: Ah me miserum, quid peccavi? Forsan fui securus, non serio et ardenter oravi, aut aliquid in mea familia et ecclesia commissum est, me ignorante; o Domine Deus, miserere mei, et ab occultis meis munda me. Talibus cogitationibus cruciantur pii, ut paveant et trepident, ac si propter insignem aliquam noxam in tantas aerumnas conjiciantur. Et crevit sollicitudo et dolor iste amore filiae, quam habebat unicam, et nondum nubilem,

tum etiam, quod peregrinus erat, nec injuriam hanc ulcisci poterat, et forsan graviora cogitavit sibi metuenda esse.

Disputant porro, qualis fuerit ista egressio et inspectio filiarum terrae. Scriptura enim non explicat, et alius aliud affert. Iudaei dicunt, eam curiositate quadam egressam ad inspiciendos mores et sollennitates istius populi aut civitatis. Et verisimile est, quod fuerint ibi ludi aliqui aut choreae, aut nuptiae. Ibi voluit videre Dina filias regionis illius, quomodo ornatae et comtae, et quam formosae essent. Et idem videtur textus significare, quod fuerit curiosa, si quidem sine venia patris et matris sola sine comite egreditur. Nimis secura et confidens est, cum esset adhuc adolescentula, nec metueret periculum pudicitiae. Videtur igitur peccasse curiositate, quod inconsultis parentibus egressa est ad filias et ad socias. Sicut natura delectantur puellae societate aliarum aequalium et vicinarum virginum. Fratres interea domo absunt in campo. Lea domi est cum filiola Dina, quae inconsulta matre progreditur. Est igitur exemplum diligenter notandum et inculcandum puellis, ne sint vagae, Fensterguckerin, und die gern unter der Thür stehen. Sed discant domi se continere, et sine parentum venia aut comitibus nusquam progredi, quia Diabolus insidiatur pudicitiae hujus sexus, qui sua natura infirmus, levis et stolidus est, ideoque insidiis Satanae obnoxius. Voluit Dina inire societatem cum vicinis puellis, et earum mores et ornatum imitari. Pater enim extra civitatem habitabat, ipsae vero egressae fuerunt ad pompam aliquam nuptialem, ad quam adspiciendam accurrit Dina, et visa est a Sichem, qui erat in il-

la pompa aut choreis cum filiabus terrae. Visam vero rapit et humiliat; sic enim loquuntur Hebraei de stupro. Id indignum est. Visam amare et uxorem petere potuisset; sed indulget concupiscentiae et libidini; postquam videt eam prae filiabus terrae forma egregia praeditam, incenditur amore, et rapit eam vi, non orat, non ambit consensum parentum nec puellae, sed per vim stuprat, da pflegt Mord und Iammer zu folgen. Hanc injuriam solent sequi caedes et calamitates gravissimae, sicut testantur omnes historiae, raptus et stupra virginum nunquam sine caede et sanguine abivisse, et exemplo est hoc factum. Non enim connivet Deus ad illam licentiam et furiam libidinum, nec sinit inultum, quando quis indulget flammis cupiditatum et concupiscentiae, qui vult nos resistere carni adversus nos pugnanti, ne, si laxetur frenum, rapiat praecipites ad omnis generis flagitia.

Moses hic significanter dicit: Rapuit eam: ist zu hart, rapere alienam filiam, ejus, qui in ista civitate aut prope inquilinus aut hospes erat, qui sub umbra et tutela principis Hemor vivebat securus et quietus; eum tanta contumelia et injuria affici, profecto indignum est. Puellae autem inobedientia et curiositas satis graviter punitur; opprimitur enim et stupratur per vim.

Et adhaesit animus ejus Dinae, filiae Iacob, loquutusque est ad cor puellae.

Videt Sichem, se peccasse, quia sentit, puellam invitam tantam contumeliam pati, videt eam ejulantem et querulantem: tamen amore ejus accensus adhaeret et blanditur ei, ut ad mutuum amorem in-

citet. Der jung lecker Sichem wird muthwillig erzogen sein. Apparet, Sichem nimis licenter educatum esse, sine virga et disciplina. Tales adolescentes pereunt indulgentia parentum, et crescunt in vitia et cupiditates, quibus indulgent sine ullo metu ac pudore. Ideo inquit Salomo, Proverb. 29. (v. 15.): „Virga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem, qui mittitur voluntati suae, confundit matrem suam", wenn man dem Kind sein Willen läfst: Es ist gut, was unser Töchterlein thut, das ist ein gewifs Hürlein. Postea vero fit, ut pater in confusione, et mater in ignominia haereat. Ea poena est neglectae educationis. Deus vult, juventutem regi et coërceri disciplina, quia ista aetas valde infirma et imperita est, et cogitat tantum stulta, juvenilia, perniciosa. Ideo non potest sese regere, nec videre, quid prosit. Propterea autem ordinavit Deus parentes et praeceptores, qui inspiciant et regant studia et mores, ut maneant intra certos limites officii.

Adhaeret igitur Sichem puellae amore juvenili: sed nondum poenitet, nec dolet de facto, sed putat, se tanquam principem terrae posse impune peccare. Sicut exstant tales voces: Sanctitas, pietas, fides, privata bona sunt, reges quolibet eant. Rusticum est, principem parere pietatis et justitiae legibus. Herrn sollen einen Vortheil haben. Principes sunt exemti legibus, habent sua privilegia. Ideo quicquid libet, licet. Ia Blitz und Donner: imo minus licet magistratibus, quam privatis. Et libido illorum et licentia severius punienda est, quia sunt gubernatores et custodes disciplinae, et debent aliis exempla esse omnium virtutum. Sed clamant: Ego sum princeps, et

dominus terrae, cur non possim mihi indulgere? Imo quo major es, hoc magis te humilia, ut et virtute, et bonis exemplis aliis praeire possis. Iuxta sententiam usitatam: Regis ad exemplum totus componitur orbis (Claud. de IV. Honor. consul. 300.). Magnatum et principum prava exempla sunt omnium pestilentissima, et latissime patent, quia multos corrumpunt, et ad licentiam peccandi pertrahunt. Privatorum exempla minus nocent, et facilius corriguntur. Principum delicta sunt plane Diabolica. Ideo puniuntur atrociter; sicut Sichem, dum putat, sibi tanquam principi quidvis licere, horribiles poenas luit. Es kost ihm sein Hals. Et ipse, et parentes, et tota civitas miserabiliter pereunt. Haec sunt moralia.

Additur autem in textu: „Et locutus est ad cor puellae", hoc est, delinivit eam blandis, suavibus, consolatoriis verbis, quae cor contristatum solent exhilarare. Fuerunt amatoria, quibus miscuit pollicitationes et munuscula, ut solaretur et demulceret moestam et compressam. Sed frustra: manet enim in luctu et moerore.

Et dixit Sichem ad Hemor, patrem suum: Accipe mihi puellam hanc in conjugem. Audivit autem Iacob, quod ille polluisset Dinam, filiam suam: filii autem ejus erant in agro apud pecora sua, et tacuit Iacob, donec venirent.

יַלְדָּה, id est, nata, genita, infantula, Germanice: Kindlein, die noch jung sind. Accipe mihi hanc puram, si sic liceret dicere, quae adhuc infans propemodum est, et moratur inter pueros. Nunc

sero

sero petit a patre sibi eam uxorem impetrari. Quare prius non requirebas consensum puellae, parentum ipsius et tui patris? Sero sapiunt Phryges. Nondum tamen poenitet, sed auget adhuc peccatum, quod alioqui per poenitentiam evanescit et deletur, quia poenitentia tollit peccatum, e contra impoenitentia magnificat, dilatat, incrassat peccatum. Non dicit: Peccavi, agnosco, me deliquisse graviter vitiando filiam optimi viri. Nulla auditur confessio, nulla poenitentia. Imo cogitat, se recte fecisse, aut exiguum hoc delictum esse, rapere puellam et stuprare. Et eodem peccato involvit patrem suum Hemor, qui diligit filium, et delicate eum tractat tanquam principem et futurum haeredem; ut infra dicetur, erat honoratior omnibus, qui in domo patris erant. Ideo non objurgat, non castigat eum, sed communicat alieno peccato, et consentit: hoc est pessimum.

Tandem vero permanat facinus indignum ad senem parentem Isaac, et ad filios, Simeon, Levi etc. Non enim potuit diu celari rumor iste, propterea quod utraque persona erat nobilis. Ibi haud dubie domus Iacob repleta est luctu, moerore et lacrymis parentum et totius familiae. Duae uxores adhuc vivunt, et ingentem dolorem accipiunt ex nuntio hoc, inprimis Lea vehementer doluit. Famuli, famulae et pastores, omnes indignissime tulerunt: alii lacrymis et ejulatu dolorem testati sunt. Iacob ipse ingenti moestitia turbatus tacuit; non enim invenit ullum remedium aut consolationem: neque potest, nec cogitat ulcisci injuriam illatam a domino praepotente. Nihil igitur facit, non expostulat cum auctore sceleris, nec factum probat; sed tacet et patienter

fert, expectans consilium et remedium a Domino. Quid enim faceret, cum esset peregrinus et advena, et copiis ac potentia longe inferior? Et haud dubie Hemor eum prae se contemsit, et Sichem cogitavit: Quid magni est, quod vitiavi filiolam ejus? Age, ducam eam uxorem.

Et egressus est Hemor, pater Sichem, ad Iacob, ut loqueretur cum eo. Venientes autem filii Iacob de campo atque audientes, contristati sunt viri illi, et commoti vehementer, quod ille stultitiam operatus esset in Israël, et violasset filiam Iacob, quod minime fieri conveniebat.

Eadem hora spargitur rumor ex domo in agrum ad fratres Dinae, qua perpetratum et nuntiatum fuit facinus in domum Iacob. Servulus quispiam currens ad filios dixit: Ah, quantum malum accidit in domo patris. Sichem rapuit et stupravit Dinam filiam etc. Ideo dicit textus: Audito eo, quod acciderat, venerunt relictis gregibus, vehementer contristati et commoti. Et ponitur hic vox illa, qua usus est Moses, Gen. 6. (v. 6.): „Et tactus dolore intrinsecus". Item: „In dolore paries filios" (Gen. 3, 16.). Significat enim anxietatem animi incerti et inopis omnis consilii et cogitationis, bekümmert sein, angst und bang sein, ita ut non possis instituere animum ad cogitandum. Ad hunc modum fuerunt consternati et attoniti filii Iacob, so gar verstürzet, ut neque quid cogitarent, neque quid consulerent aut agerent, invenirent.

Ad hanc perturbationem et anxietatem accedebat ira, quae eo erat ardentior, quo minus remedii

aut consilii offerebatur. Nam hoc longe gravissimum erat, quod vim fecerat incircumcisus, qui non agnoscebat scelus, nec ullum signum poenitentiae edebat. Princeps Sichem detinet sororem captivam domi suae; nec possunt eam vi repetere.. Et cum desit judex, non habent, apud quem de injuria illata conquerantur. Venit autem Hemor, ut transigat cum Iacob et filiis; sed non sanabitur hoc vulnus, nec mitigabuntur fratres, donec ulciscantur injuriam hanc.

Operari stultitiam apud Hebraeos proverbiale est. Et significant hac proverbiali locutione aliquid vehementer reprehendendum et abominandum. Ein grosse Schand, Schmach und Hohn, davon man singet und saget, ac si dicat quis: Quanta ignominia, quanta turpitudo accidit huic viro in sua familia. Ideo additur: „Quod minime conveniebat fieri". Iudaei ab hac interpretatione aberrant, quia non intelligunt Biblia. Verus autem sensus hic est: Non decebat fieri hoc, also sollt mans nicht machen, das ist zu viel und zu hart. Existimo enim, prohibitum et capitale fuisse stuprum, non solum in domo Iacob, sed etiam universa ditione ista. Ideo significatur, praeter familiam Iacob etiam reliquos vicinos et incolas hujus terrae esse perturbatos et valde offensos contumelia facta hospiti tam sancto. Ita indignitas sceleris hujus movit commiserationem, et conciliavit huic familiae Iacob animos etiam alienorum, qui erant amantes justitiae, aequitatis et disciplinae, sicut supra de rege Abimelech audivimus, vehementer aversante adulterium, et edicto peculiari cavente, ne quis tangeret Rebeccam. Non enim putabimus, eos prorsus barbaros fuisse, et alienos ab

omni disciplina, honestis moribus et legibus: et impossibile est, politicam pacem sine justitia et mediocri disciplina conservari. Ideo displicet hoc factum incolis illius terrae. Et omnium studia et voluntates et commiseratio inclinat ad domum Iacob, odia autem bonorum, et detestatio sceleris in domum Sichem: quia omnes judicant, non oportuisse sic fieri, hoc est, contra bonos mores et leges peccatum esse.

Locutus est autem Hemor cum eis, dicens: Sichem, filii mei, anima adhaesit filiae vestrae; date, quaeso, eam illi uxorem. Iungite nobiscum affinitatem, filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite. Et habitate nobiscum, regio ipsa vobis patebit, habitate et negotiemini, et possessionem acquirite in ea.

Alloquitur eos Hemor sine praefatione, et captationis benevolentiae obliviscitur. Nec agnoscit culpam, nec confitetur peccatum, multo minus deprecatur. Nimis superbus est, ac propterea ingravescit peccatum. Et filii Iacob offensi acerbissima et gravissima ignominia non placantur, sed irritantur magis. Detinet enim Dinam, et tantum dicit: Date filio meo uxorem, cum ante omnia culpam deprecari pro filio deberet: Optimi viri, fratres carissimi, condonate nobis hanc offensam. Ego filium meum Sichem castigabo, conjiciam in carcerem, injiciam compedes, ut discat posthac honeste et pacifice cum hospitibus nostris vivere. Nihil horum facit: sed tueri quasi et defendere factum videtur. Atque ita facit se participem totius mali, et accersit sibi atrocem poenam.

Discendum ergo est, ne parentes erga liberos sint indulgentiores, sed coërceant eos, sicut ipsi et patria et avita disciplina sunt coërciti. Nam hic Sichem omnis honestatis et officii prorsus obliviscitur, et quasi re bene gesta petit eam filio uxorem, et satis factum pro tanto scelere, pro raptu et stupro putat, si filio collocetur vitiata. הִתְחַתְּנוּ: Iungite affinitatem, quasi diceret: Affinescite, id est, efficiamini sponsi et sponsae. חָתָן proprie sponsum significat, item affinem. Hinc ex nomine verbum deducitur in Hithpael, sponsificate, befreundt euch und beschwägert euch mit uns, volumus mutuo fieri sponsi, et coalescere in unum populum. Sed ubi manet agnitio peccati? Nihil mali commisit, cogitat. Num id peccatum est ambire puellam in uxorem? Imo laudatissima virtus est.

Addit amplius: Et habitate nobiscum: regio ipsa vobis patebit, negotiemini etc. Si serio hoc dicit, satis liberaliter promittit, et facile credo, eum serio sic locutum fuisse, quia intelligit magnum flagitium perpetratum a filio, sed quadam superbia non vult poenitere, non humiliari. Sic solent superbi illi hypocritae. Prius omnium rerum jacturam facere possunt, quam agnoscere peccatum; nihil enim sibi ducunt turpius, quam fateri erratum. At vero honorificum est agnoscere peccatum: defendere autem, dissimulare, ornare, horribile est et impium. Iste offert totam ditionem, conjugium filii et omnia bona; sed interim tacet et tegit peccatum.

Sed et Sichem ad patrem et ad fratres ejus ait: Inveniam gratiam in oculis vestris, et quicquid dixeritis ad me, dabo.

Augete etiam plurimum super me dotem et munus, et dabo juxta quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc uxorem.

Filius etiam offert et dotem et alia munera maxima, tantum ut dent filiam. Sed peccati nulla confessio aut mentio: sicut inquit Sirach 17. (v. 26.): „A mortuo quasi nihil perit confessio". Atqui primum omnium oportebat placari Deum, postea patrem et filios, alioqui non potest fieri firma animorum conjunctio, neque in foederibus neque in conjugio, nisi placato Deo humili agnitione peccati et reconciliatis hominibus deprecatione culpae. Defensio enim, aut saltem dissimulatio delictorum non conciliat, sed magis distrahit et exulcerat animos, et coram Deo impoenitentia aggravatur peccatum alioqui levissimum. Itaque non quaeritur seria reconciliatio, sed est hypocrisis tantum et simulatio, qua augescit scelus Sichem, quia impoenitentia est mors et Diabolus ipse, quae facit exiguum delictum gravissimum. E contra atrocissima peccata remittuntur et tolluntur, si accedat vera poenitentia. Sicut in caedibus casu factis omnes condolent, et libenter ignoscunt auctori caedis, si agnoscit et angitur de peccato, si queritur, se insidiis Satanae circumventum et superatum esse: sin autem excusatur factum et defenditur, sicut Centauri et nobiles licitum sibi putant grassari in miseram turbam rusticorum vi et caedibus, illam crudelitatem detestantur et Deus et homines, nec usquam inveniunt locum veniae. Ita hic procedit superbus et impius Hemor cum filio, contemtor Dei et hominum. Ideo verba et pollicitationes amplissimae sunt simulatae, quas non servasset forsan, facta copia puellae.

Responderunt filii Iacob Sichem et patri ejus cum dolo, et locuti sunt, eo quod sororem ipsorum Dinam polluisset. Dixeruntque ad eos: Non possumus facere rem istam, ut demus sororem nostram homini habenti praeputium. Id enim probrosum nobis esset. Verumtamen in hoc consentiemus vobis, si volueritis esse similes nostri, et circumcisus fuerit in vobis omnis masculus. Tunc dabimus filias nostras vobis, et filias vestras accipiemus nobis, habitabimusque vobiscum, et erimus unus populus. Quod si non audieritis nos, ut circumcidamini, tollemus filiam nostram, et recedemus.

Hactenus humilitationem Sichem et patris ejus fictam et simulatam audivimus, quam expressit amor puellae, ut promitteret, se daturum, quantum postularent pro desponsatione ejus. Sed amor est, qui promittit: furor est, qui non agnoscit peccatum. Et nihil agit filius et pater, quo possit expiari peccatum, aut venia impetrari. Augetur itaque scelus per se atrocissimum impoenitentia, non confitendo, non satisfaciendo. Nihilominus enim retinet puellam raptam injustissime, et quidem tanti viri filiam, Patriarchae, Prophetae et sacerdotis Dei. Haec circumstantia valde exaggerat facinus hoc. Et si res ad forensem disputationem deduceretur, tum vere atrocitas ejus perspiceretur. Sed nos theologice tractabimus, non involvemus multis et inextricabilibus quaestionibus, quibus hodie jurisconsulti omnia jura perplexa et impedita reddunt.

Raptus virginis per se omni jure, divino et ci-

vili, capitalis est, sicut raptus Helenae causa fuit excidii Trojani, et omnibus aetatibus scelus hoc horribiliter punitum est. Sed major et difficilior quaestio nascitur: an recte faciant filii Iacob respondendo dolose, inscio patre Iacob, qui tacet. De Sichem et Hemor non est dubium, quin sint injusti, cum non agnoscant peccatum, non poeniteant, non confiteantur, non satisfaciant. Objicitur ergo peccatum peccato, injuria injuriae, contumelia contumeliae, ratio rationi. Et neutra pars sequitur, quod justum et rectum est.

De caede Sichimitarum jureconsulti et sacrae scripturae sententiae congruunt: „Mihi vindictam, ego retribuam", inquit vox divina (Ebr. 10, 30.). Item: Quod justum est, juste exsequaris. Nemo enim sibi potestatem aut judicandi aut vindicandi illatam injuriam sumere debet. Germani dicunt: Wer wieder schlägt, ist unrecht. Multi tamen in hac quaestione explicanda anxie laborarunt, et Lyra et Burgensis acerrime contendunt inter se, utra pars sit justa. Infra autem Iacob ipse factum hoc reprehendit, quando ait: Turbastis me, et odiosum fecistis Cananaeis et Pherezaeis etc. Ibi videtur damnare caedem factam a filiis. Et cap. 49. (v. 5. 6.), cum esset benedicturus Simeon et Levi, non obliviscitur nec excusat factum, sed inquit: „Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum". Ibi secundum omnes doctores intelligit caedem factam in Sichem, et ideo maledicit eis ante mortem, et damnat eos, cum habeant tamen justissimam causam caedis.

Rursus vero cum venit ad benedictionem Ioseph, inquit: „Do tibi partem unicam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo". Ait, se eam acquisivisse gladio, et tradit eam tanquam bene partam Ioseph pro benedictione, sicut ejus quoque, Ioh. 4. (v. 5.) mentio fit: „Iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph, filio suo". Iam hoc loco dicit Moses, filios Iacob dolose locutos esse, et infra ob hoc facinus maledictionem accipiunt. Et tamen Ioseph accipit possessionem istius terrae, tanquam juste acquisitae. Quomodo haec concordabimus?

Responsionem et textu et verbis Mose sumemus, et ea sequemur, quantum fieri potest, ad expediendam hanc quaestionem. Responderunt, inquit Moses, cum dolo, ad petitionem Hemor, satis justam, ut videbatur, id est, simulabant, mentiebantur verbo et facto, non jocose, non officiose, sed perniciose, ad perniciem et interitum Sichimitarum. Id profecto est peccatum mortale, nec potest aliter accipi. Non frustra igitur dicit Moses: Responderunt fallaciter et dolose, hoc est: Non hoc senserunt, quod verbis sonabant, sed contrarium. Simulabant, se velle eos sibi adjungere, et servare salvos et incolumes, et tamen cogitabant eos occidere. Sicut factum ipsum ostendet.

Et additur: „Et locuti sunt, eo quod sororem ipsorum Dinam polluisset", hoc est, disputaverunt, altercati sunt, expostulaverunt, haben sich gezanket; Tu rapuisti, dixerunt, et stuprasti filiam Pontificis et sanctissimi Prophetae, quem Deus constituit in hac terra doctorem et patrem ecclesiarum. Exaggerarunt atrocitatem injuriarum ab omnibus, quibus po-

fuerunt, circumstantiis. Aliud enim est, et longe gravius, vitiare filiam regis, quam rustici filiam. Et fuerunt Simeon et Levi filii Prophetae habentes promissionem istius terrae. Ideo certam spem conceperant ex concionibus paternis, se fore dominos et sacerdotes terrae promissae. Haud dubie enim docuit Iacob promissionem magna diligentia, et propagavit ad posteros, cumque promissionibus simul tradidit mandata Dei de vita et moribus pie regendis. Hanc doctrinam et fiduciam hauserunt filii ex doctrina patris, et inde ratiocinati sunt: Nos sumus domini hujus terrae; licet jam peregrini simus, tamen divino jure debetur nobis ejus promissio. Num igitur in ea patiamur tam insignem et notoriam injuriam a vobis, qui nunc tenetis alienam ditionem. Haec magna insolentia et fastu ex promissione patris jactarunt, wir sinds, sicut infra audiemus, eos admodum superbe patri reprehendenti caedem factam respondere: Numquid ut scorto debuere abuti sorore nostra? Et fuit talis superbia perpetuo in populo Iudaico: Nos sumus populus Dei, nos sacerdotium regale etc.

Locuti igitur sunt et disputarunt superbe de oppressa et polluta sorore, tanti viri filia, genere, forma, pietate omnes alias virgines hujus regionis antecellente. Sic enim aggravarunt injuriam hanc, quae specie et differentia multipliciter discernitur a genere facti. Non enim civis aut rustici filia est, sed Prophetae summi in hac terra; nec privata tantum persona violata est, sed publicum ministerium contemtum. Iam vero, qui tanto Patriarchae filiam rapere audet, et eam per vim stuprare et retinere contra ejus voluntatem, quid is erga alios non audebit? Et quid restat aliud, quam ut aliquanto post

etiam vitam et fortunas omnes eripiant? Age igitur, cum habeamus promissionem de dominio hujus terrae, nos quoque aliquid audeamus, wir wöllen wieder ein Thätlin thun.

Sed quare ex insidiis, et non aperte eos adoriuntur? Etsi enim videntur excusari posse hac ratione, quod licitum sit hostem fallere, juxta communem sententiam: Dolus, an virtus, quis in hoste requirat (Virg. Aen. 2, 390.), tamen non recte utuntur simulatione in colloquio et disputatione familiari et amica. Necdum hostes se illorum declaraverant. Non igitur judico, eos sine peccato esse, sicut pater ipse damnabit. Et tamen mirum est, quod Iacob retinet possessionem terrae: occupavit enim eam post caesos cives, et habuit ibi pascua gregum, cum habitaret apud patrem Isaac in Hebron, et dicet infra, non pecunia emtam, sed gladio et arcu suo acquisitam esse. Id vero jureconsultis amplissimam materiam quaestionum et disputationum praebet.

Moses autem significat, non recte fecisse filios Iacob, quod dolose cum Hemor et Sichem locuti sunt, et fefellerunt eos cum pernicie et interitu ipsorum. Quanquam enim culpa videtur esse par poenae, tamen differunt jus et exsecutio juris, peccatum et poena, quae infligitur propter peccatum. Scriptum enim est: „Mihi vindictam, et ego retribuam" (Deut. 32, 35.). Item: Quod justum est, juste exsequaris. Non injuste plectitur Sichem, sicut nec Trojani injuste expugnantur et vastantur, propter Helenam raptam. Sed nondum constat, an vero et justo ordine exsequantur suum jus; deest enim judex, ac simpliciter rependunt malum pro malo, et injuriam alia injuria ulciscuntur, Stück umb Stück.

Primum autem satis aperte et sincere loquuntur: „Non possumus, inquiunt, dare filiam nostram incircumciso", unde apparet, eos non solitos fuisse elocare filias, nisi illis, qui circumcisionem acceperant. Sed ista simplicitate struunt dolos, et hoc praetextu utuntur, ut habeant causam et occasionem eos invadendi. Addunt igitur: „Verumtamen in hoc consentiemus vobis, si volueritis esse similes nostri etc." Hoc est initium fraudis, qua peccant, atque hoc est, quod damnat pater. Rectum et simplex fuisset, si sic dixissent: Reddite sororem, aut eripimus vi; non enim licet eam elocare habenti praeputium. Sed hic dolus est, cum inquiunt: „Si fuerit circumcisus omnis masculus in vobis, dabimus vobis filias nostras".

Ac mirum est, tantam fuisse confidentiam in filiis Iacob, ut ausi fuerint hoc postulare, aut tam atrocem vindictam in animum inducere. Aetatem enim eorum vide: Isaac centum et octo annorum est; Ruben circiter novemdecim annos habet, qui est maximus natu, Simeon minor est anno, et sic deinceps, sind junge Lecker. Isti adolescentuli praesumunt tantam vim contra universam civitatem, qui nullum usum nec scientiam rei militaris, aut aliarum rerum habebant. Est mirabilis audacia: quanquam eo tempore magis viguit natura hominum, cum adolescens quatuordecim annorum aptus esset conjugio. Nostro saeculo puer octodecim annorum nullis rebus idoneus est, nedum ad labores militares sustinendos.

Quare igitur ita superbiunt? Accessit magnitudo injuriae ad magnitudinem fiduciae, qua se habere patrem sciverunt, cui essent factae promissiones de possessione terrae. Nec fuerunt soli tantum facinus ausi, sed habuerunt adjutores famulos pastores,

et forte etiam aliquos ex vicinis, quos accersiverunt. Et verisimile est, habuisse Isaac in sua familia circiter centum viros. Ad tot enim greges opus est magno numero pastorum, quos habuerunt amicos et socios. Porro centum viri armati et animosi, sicut de istis dicitur, quod ingressi sint urbem confidenter, subito impetu facto, facile alios sexcentos caedere possunt, praesertim si connivet Deus propter peccata, quae vult punire hoc modo.

Cum igitur non videretur satis esse virium ad opprimendos illos, utuntur fraude, et postulant, ut circumcidantur omnes masculi, atque ita debilitentur, ne possint esse parati ad resistendum. Id est fraudulenter et dolose agere. Etsi enim praetextus est satis honestus in speciem, tamen est inanis, et non necessarius, quia postea tamen oportuit eos elocare filias non circumcisis.

Placuerunt vero verba illorum cum ipsi Hemor, tum Sichem, filio ejus. Et juvenis quidem nihil cunctatus est facere rem istam: deperibat enim filiam Iacob, eratque honoratior omnibus, qui erant in domo patris sui.

Adolescens insaniens amore puellae avide accipit conditionem, et sic arte in fraudem illicitur ad accipiendam circumcisionem. Quin etiam totum populum eidem peccato et periculo involvunt, pater et filius. Si enim sapuissent tum Sichem et Hemor, recusassent tam duram et difficilem conditionem, vel ob hanc causam, quod non expediret, reipublicae mutari religionem et mores majorum ac patriae. Reddemus potius, dixissent, vobis sororem, peccatum

confitebimur et deprecabimur culpam; ita non conjecissent se et totum populum in hoc discrimen.

Sed ita solet fieri; quando imminent alicui civitati aut regioni poenae peccatorum, dementiantur prius et gubernatores et subditi, ut communibus peccatis et poenis impliciti haereant. Sicut testantur omnes omnium gentium historiae. Sic regnum Israël et Iuda, cum esset vastandum per regem Babylonium, occidebantur Ierosolymis et alibi Prophetae, fundebatur sanguis innocens, et replebatur tota terra avaritia, caedibus, peccatis et furoribus omnis generis. Cum impenderet extrema vastitas Ierosolymorum, et totius gentis Iudaicae, prius oportebat crucifigi Filium Dei. Ita hodie, cum Turcici exercitus vastaturi sint Germaniam, oportet prius impleri omnia loca usuris, perfidia, malitia, proditione, persecutione, ut compleantur iniquitates Amorrhaeorum, in summa, wir müssens also machen, daſs unsere Sünd reif werden.

Ita in hoc exemplo impendebant poenae civibus propter varia flagitia. Ideo totus populus implicatur stultitia principis peccato et poena horribili. Quemadmodum apud ethnicum poëtam dicitur (Horat. Ep. 1. 2, 14.): Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi, daſs die principes Narren sind, das muſs das Land tragen. Sic populus Israëliticus percutitur propter peccatum Davidis numerantis populum. Nobis quoque insania principum accersit poenas, quas dudum meruimus, daſs die Fürsten toll und thöricht sein, und lassen den Türken ins Land kommen. Et ut utrique puniantur, subditi et magistratus, oportet eos stultitia aliqua finali augere et multiplicare peccata: sicut hic Sichem primus auc-

tor et inchoator est stolidi hujus consilii. Circumciditur enim ipse, et idem persuadet toti populo.

Venit itaque Hemor, et Sichem, filius ejus, ad portam civitatis, locutique sunt cum civibus dicentes: Viri isti pacifici sunt erga nos, et volunt habitare in nostra regione, in eaque negotiari. Et terra quidem satis ampla est coram eis. Filias eorum accipiemus nobis in uxores, et dabimus eis filias nostras. Verum in hoc consentiunt nobis viri illi, ut nobiscum habitent, coëantque nobiscum in unum populum, si circumcidatur apud nos omnis masculus, sicut ipsi circumcisi sunt.

Pulchrum vero rhetorem. Sed nihil dicit de restituenda puella, de placanda ira et mitigando dolore patris. Adhuc perseverat in contemtu Dei et hominum. Ideo venit ira super eos. Simul autem stolidus populus in errorem inducitur ad consentiendum, et ad probandum raptum ac stuprum Dinae. Hoc efficit stultus et insipiens princeps propter peccata populi, quae puniuntur deliriis regum, sicut omnes historiae et poëmata omnia ostendunt. Hic enim est cursus mundi ab initio usque ad finem.

Sic hodie grassantibus impune tot sceleribus in populo securitate et contemtu Dei et hominum, fiet tandem, ut stultitia alicujus principis accersantur poenae et calamitates, quibus oppressi pereamus: Dieweil es das Volk so arg macht, wird ein Princeps ein Thorheit thun, wird ein Unglück anrichten, darüber werden wir alle mit gehen müssen, quia

non audimus, nec emendamur voce et comminationibus divinis, ideo venient tandem poenae.

Horribile peccatum fuit Hemor et Sichem, peccatum tacere, et non agnoscere, imo secure contemnere sanctissimum virum. Quid Iacob, quid filii? Et qui ad tantum scelus non expavescit, nec movetur Dei aut hominum judicio, ille sane audebit vitae parentis, sicut antea pudicitiae filiae insidiari. Hanc securitatem sequitur caecitas et amentia, ut insidias et pericula impendentia non attendant nec intelligant. Sichem insanit cupiditate et amore puellae, huic indulget parens et totus populus: neque quisquam est, qui cogitet de expiatione peccati, sind toll und thöricht, thut keiner die Augen oder Ohren auf, dass doch einer gesagt hätt, ey lasst uns gemach thun, reddamus puellam, mitigemus iram patris et fratrum. Sicut apud Trojanos aliqui consulebant, restituendam esse Helenam, et parcendum saluti patriae, quae neutiquam in discrimen adducenda esset ob unius cupiditatem, alii dissuadebant et indulgebant libidini et furori suo; ideo sequebatur excidium et vastitas. Sicut hic populus acquiescit principi suo, ac propterea patiuntur et pereunt simul, et quidem juste.

Pecora et facultates illorum, atque omnia eorum jumenta, nonne nostra erunt? Si tantum acquieverimus illis, ut nobiscum habitent.

Hoc nimium est: et disputant Lyra et Burgensis, an etiam Sichem et Hemor dolose egerint. Sic enim apparet eos fraudulenter agere, vel saltem fallere cives suos, quia non erat in pacto, quod omnia

nia, quae haberent filii Iacob, futura essent cum ipsis communia. Si igitur serio hoc dixerunt, manifesta fraus est et malitia, qua non solum filiae raptum et contumeliam prius factam non agnoscunt, sed etiam de opprimendo Iacob et bonis ejus rapiendis cogitant. Ita vere augeretur et cresceret peccatum. Sin rhetoricantur tantum, et non ex animo loquuntur, tum voluerunt fallere populum, ut facilius eis persuaderent, spe acquirendorum pecorum et facultatum Iacob. Videntur tamen spectare ista ad tyrannidem et oppressionem vicinorum. Quorsum enim attinebat dicere: Pecora ipsorum nonne nostra erunt, si tantum societatem vicinorum quaesivissent, et non cogitassent de occupandis eorum bonis? Agunt igitur dolose, sive fallendo filios Iacob, sive mentiendo civibus suis.

Et fuit fortassis haec ratiocinatio sive suspicio filiorum Iacob: Si ausi sunt rapere et violare filiam nondum nubilem: quid nobis aut patri non facient? Ratio enim sic colligit: Qui audet majus, audet et minus. Minus est eripere bona, redigere in servitutem, quam rapere puellam. Et in hanc sententiam videntur supra cum eis expostulasse et disputasse. Sed dissimulatis his omnibus asini isti, Hemor et Sichem (Hemor enim asinum significat) concionantur populo, et promittunt, eos fore dominos non tantum puellae, sed et fratrum ejus, ac omnium facultatum.

Sic igitur augescit peccatum, et statim aliud secum trahit, quando poenitentia non diluitur. Sic fornicator aut adulter, quando manet in furore libidinis, et occurrit ei, a quo se impeditum aut proditum iri metuit, non facile abstinebit ab eo manus,

sed occidet, ut secure possit explere libidinem. Et exstat egregia sententia Gregorii: Ubicunque serpens caput inseruerit, eodem et caudam, et totum corpus facile inseret: Wenn der Teufel den Kopf hat ins Loch gebracht, so wischet die Schlang bald hernach mit dem Schwanz.

Obsecuti sunt itaque ipsi Hemor et Sichem, filio ejus, omnes, qui egrediebantur portam civitatis suae, et omnis masculus circumcisus est, quicunque egrediebatur portam civitatis suae.

Hic plectuntur Achivi, ut est in usitato versiculo, propter delirium regis. Rectius enim dixisset, nimis atrocem hanc esse injuriam, reddendam potius esse puellam patri suo, et retinendam religionem et ritus patrios, aliam rationem commodiorem iniri posse, qua expiaretur scelus hoc: non expetamus eorum bona; haud enim unquam erit firma conjunctio inter nos, si eorum bonis insidiabimur. Sed sunt omnes surdi, muti, caeci, et ruunt in retia Diaboli, et laqueos mortis. Omnes enim circumciduntur, qui egrediuntur per portam civitatis, hoc est, qui habitant in civitate. Phrasis enim Hebraea est, quae significat, esse civem reipublicae et civitatis illius, qui ingredi et egredi in agrum solet.

Atque ita miseri cives stolido principi obediunt, qui impoenitentia sua totum populum involvit, ut omnes rei fiant hujus delicti, quia faciens et consentiens pari poena plectuntur. Sicut dicitur, Rom. 1. (v. 32.), quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Stehler und Hehler, Thäter

und Verräther, gehören unter eine Straf. Reges delirant et peccant contra Deum et homines, nec anguntur de peccato, sed sunt securi, tanquam re bene gesta: non putant, se deceptos esse, sed se potius circumvenisse peregrinos et hospites. Sequitur igitur horribilis poena.

Tertio itaque die, quum essent in dolore cives, duo filii Iacob, Simeon et Levi, fratres Dinae, arreptis gladiis suis urbem introierunt confidenter, et occiderunt omnem masculum. Quin et Hemor atque Sichem filium ejus trucidarunt in ore gladii, tuleruntque Dinam ex domo Sichem, et abierunt.

Mirum, unde illis adolescentibus tanta fuerit confidentia, aut ubi didicerint uti gladio et arcu in hostem, opiliones et homines agrestes. De tertio die Iudaei multa nugantur. Sed experientia docet in omnibus morbis tertio die esse dolorem gravissimum. Sic et mulieres post partum et conatum naturae in pariendo tertio die maximam infirmitatem et dolorem sentiunt. Sic quando natura laborat enitendo calculum, non sentitur imbecillitas in ipsa lucta, sed postquam enixa est calculum, languent omnia membra et totum corpus. An idem fiat in circumcisione, ex Iudaeis quaerendum erit. Sed quia scriptura idem testatur, nihil dubitabimus respondere experientiam.

Hanc igitur occasionem captant Simeon et Levi. Cum decumberent Sichimitae, et nullus ad pugnandum paratus esset, sed cura et quiete omnes opus haberent, ibi invadunt inermes et languentes.

18 *

Nec fuerunt soli hi duo adolescentes Simeon et Levi, sed habuerunt adjunctos pastores, famulos et aliquos etiam ex vicinis. Et dicit Moses, eos ingressos cum confidentia et superbia, non tantum propter illam occasionem et opportunitatem opprimendi inermes, sed etiam quia dignitate et gloria sua confisi sunt, quod essent filii Patriarchae, et domini orbis terrarum. Nec pugnarunt solum pro sorore recipienda, verum etiam tanquam hostes promissionis et populi Dei invaserunt.

Et occiderunt omnem masculum: non tantum princeps Hemor aut filius, sed omnes viri, etiam infantes in cunis vagientes trucidati sunt. Illud nimis atrox et crudele est. Sed sic fiunt haec in rebus humanis, quando hostis saevit in hostem: sicut videmus crudelitatem Turcicam, qui aut mactat aut rapit captivos viros et mulieres. Et est judicium occultum et ira Dei, qua permittit, omnes cives trucidari. Fortassis didicerunt id a majoribus, qui consueverunt omnes cives in oppidis captis interficere. Et in Numeris (31, 17. 18.) jubetur Iosue occidere omnes masculos et mulieres Madianitarum, et solis virginibus parcere. Sauli mandatur, ut totum populum Amalechitarum, adultos cum parvulis, excidat. Et dicitur eadem hodie consuetudo esse Persarum.

Sic vero miseri Achivi plectuntur propter delirium et peccatum regis, Fürsten haben genarrt, populus muſs leiden. Sed populus meritus erat hanc poenam, quia communicaverat cum peccatis alienis, et propria securitate et malitia sibi accersiverat exitium. Sicut nos hodie docemus et arguimus cives nostros, ut verbum Dei gratis animis audiant, et

amplectantur et desinant fraude, rapinis, usuris irritare iram Dei. Sed nec modus, nec finis est ullus avaritiae, rapacitatis, fraudum in contractibus et omni vita. Ideo nihil promovemus docendo et arguendo, sed peccata cumulantur et grassantur impune. Quando igitur venit princeps, et imponit praesidium urbi, ubi milites furenter in eos saeviunt, quos tueri et defendere debebant, tum clamamus, nos injuste premi, querimur de tyrannide principum; sed olim ista cogitanda erant, et audiendus erat Dominus Deus praedicens ista, et invitans verbo suo ad poenitentiam. Sic eo tempore impletae fuerunt iniquitates Sichimitarum; ideo venerunt poenae per stultitiam principum, qua involvebantur, ut communicarent cum peccatis, cum raptu et stupro puellae, et simul perirent.

Nos quoque quia nullum modum facimus usurarum, furtorum et scelerum omnis generis, non audimus verbum, non nostrae conscientiae testimonium reclamantis cupiditatibus nostris, non evademus impune, sed haerebimus in poenis justo Dei judicio, et sero ac frustra queremur de injusta oppressione. Simeon autem et Levi in alteram partem peccant. Etsi enim Sichimitae juste patiuntur, et habent illi justissimam causam et dolorem ex raptu Dinae, tamen injuste faciunt, propterea quod pater non voluit, nec approbavit caedem hanc. Sed propria temeritate et ausu, sine jussu patris eam faciunt.

Filii vero Iacob venientes super occisos diripuerunt civitatem, eo quod polluerant sororem suam. Oves quoque et boves atque asinos illorum, et quicquid erat in ur-

be et in agro, rapuerunt. Sed et cunctam substantiam illorum, et omnes parvulos atque uxores illorum duxerunt captivas, et diripuerunt una cum omnibus, quae erant in domo.

Postquam sunt occisi cives, patet civitas praedae cum mulieribus, puellis et tota substantia. Et fiunt omnia inscio et invito patre. Si enim scivisset, haud dubie prohibuisset. Existimo autem, accessisse caeteros filios Iacob ad direptionem, praesertim ex Lea natos, praeter Ioseph et Iuda: quanquam quidam ex iis adhuc fuerunt adolescentuli. Sed grandiores natu conjunctis familiis et pastoribus vicinis diripiunt civitatem. Simeon et Levi fuerunt duces; ideo appellat eos pater in postrema benedictione vasa iniquitatis, et damnat eos tanquam homicidas: minatur etiam, se divisurum eos in Israël, id quod accidit postea. Levi spoliatus est haereditate, pro qua datur ei sacerdotium, der Bettelstab; non enim vixerunt ex reditibus propriis, sed de sacrificiis et decimis. Simeon etiam perpetua paupertate afflictus fuit. Ita dederunt poenas satis graves hujus peccati ad omnem posteritatem.

Iudaei extenuant hoc factum, quoquo modo possunt, et sunt immodici et effusi in gloriam suae gentis, sibi arrogant laudem justitiae, gentibus vero omnem commendationem adimunt. Et adeo sibi indulgent, ut locum ex cap. 49. (v. 5.), Simeon et Levi vasa bellantia etc. exponant de Ioseph, quod his duobus fratribus maledixerit, eo quod vendidissent ipsum in Aegyptum. Hoc ideo faciunt, ut tegant ignominiam suae gentis, et eam sanctitatis et justitiae laudibus ornent. Quin etiam Burgensis testatur, Iu-

daeos hanc legem statuere, quod sit licitum, imo pium et Deo gratissimum, perdere et occidere gentilem, quacunque occasione aut modo id fiat a Iudaeo. Ita insaniunt ambitione et odio adversus nos. Iosephus, qui alioqui magnus vir fuit, tamen saepe studio gentis suae turpissime mentitur contra scripturam sanctam in historiis, ut cum facit ex Saulo heroicum et sanctum virum.

Videntur tamen aliquam excusationem habere filii Iacob, quasi recte fecerint, quia Deus tacet, et terruit civitates gentilium hoc exemplo, ne persequerentur Iacob. Item Iacob tantum dicet, quod turbarint se, et fecerint nomen suum foetere coram gentibus. Sed infra moriturus maledicit eis; ideo testatur aperte, eos malefecisse.

Et post factum primum sequitur disputatio de jure, sicut Germanico proverbio dici solet: Urlaub kam hernach, et ut apud aliquas gentes consuetudo fuit, ut prius suspenderent furem, postea de jure quaererent. Item jureconsulti dicunt, multa facto fieri, quae jure non fiant. Et si hoc tolleretur, jureconsultorum professio esset otiosa, quia ante factum nihil opus est eorum professione, sed post factum quaeritur, utrum jure aliquid sit factum, an non. Ibi eorum officium est, ut dent consilium, quo quis jus suum tueri possit. Quaeritur ergo, an filii Iacob possint excusari, qui non jure, sed dolo, mendaciis et vi egerunt? Nos simpliciter statuimus, eos peccasse, quia non postulaverunt judicium de hoc facto, quod potuisset fieri apud vicinas civitates, sicut Iacob eos damnat, et toti posteritati satis duras poenas irrogavit Deus.

Ex hac autem nascitur alia et longe difficilior

quaestio: Quare Iacob non jubet restitui omnia, quae rapuerunt, praesertim ea, quae poterant restitui, uxores, virgines, servos, jumenta et reliquam substantiam civitatis? Et quod plus est, Iacob infra hanc partem Sichimitarum attribuit Ioseph, et in ea dicitur sepultus Ioseph, ut mortuus etiam occuparet hanc haereditatem. Si igitur injuste egerunt, quare non reddunt vi ablata? Hic recte respondere possumus, sanctis multa licere impune, quae aliis non licent. Deinde miscetur hic judicium divinum cum injustitia hominum. Haereditas et bona Sichimitarum vacant, occisis possessoribus propter peccatum. Merito igitur Deus tribuit ea his, qui passi sunt injuriam: et ea causa est filiis Iacob, ob quam permittente et connivente Deo invadunt bona eorum, et retinent occupata. Sicut filiis Israël non licebat sua sponte spoliare Aegyptios; sed ideo spoliabantur Aegyptii, quia hanc poenam erant meriti, et debebant Israëlitico populo mercedem pro servitute multorum annorum. Postremo accedebat mandatum Dei, qui volebat punire Aegyptios et remunerari Hebraeos.

Ad eundem modum filii Iacob et pater insigni contumelia et injuria affecti erant, stuprata puella et rapta per vim, quod erat complementum peccatorum Amorrhaeorum, de quibus supra, cap. 15. (v. 16.) dictum est: „Nondum sunt completae iniquitates Amorrhaeorum". Quid autem retribuetur Iacob pro tanta contumelia. Respondet Deus: Accipe hanc praedam in compensationem ignominiae, quam tulisti tu et liberi tui. Ita fit Iacob auctoritate divina dominus horum bonorum, nec disputatur de jure possidentis.

Sic enim procedit adversus nos, quemadmodum

erga ipsum nos gerere solemus. Nos primum facimus, quod nobis placet, et post factum quaerimus de jure, et cupimus ei probari factum. Sic ipse punit nos, priusquam quaerat de jure. Perinde ut Psalm. 18. (v. 27.) dicitur: „Cum perversis perverteris". Postea vero sinit nos clamare et queri de injuria et injustitia, quam patimur ab iis, qui justo judicio Dei nos affligunt. Quare occidimur? Quare diripiuntur bona nostra? Respondeo: Hoc licet Deo facere, et invertere ordinem, quia nos juri anteponimus factum. Quanquam igitur injuste agunt filii Iacob, tamen Deus non injuste punit Sichimitas, quos antea monuit, ne quid contra jus et mandata sua facerent, ne stuprarent, ne raperent aut retinerent puellam alterius. Huic quia non sunt obsecuti, ideo dant poenas, et Iacob intelligens judicium et ultionem divinam in adversarios, qui ipsum laeserant, auctoritate divina retinet praedam, quanquam non sine gemitu et lacrymis. Sicut testantur verba ipsius, quibus expostulat cum filiis.

Dixit vero Iacob ad Simeon et Levi: Turbastis me, putidumque me reddidistis coram habitatoribus istius regionis, nempe coram Cananaeo et Pherizaeo, et ego quidem parvo sum numero. Illi ergo congregabuntur adversum me, et trucidabunt me, deleborque ego et domus mea.

Hinc apparet, quomodo placuerit Iacob facinus filiorum. Iudaei conantur eludere haec verba, et fingunt glossas, quod sint timoris, non reprehensionis verba, ac propterea contendunt, non damnasse eum filios. Sed infra vocabit Simeon et Levi vasa vio-

Iudae, erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Ibi praesentia regis Iosaphat salutaris est tribus exercitibus, ut propter ipsum detur salus et victoria divinitus, et tanta copia aquarum, ut non solum reficiantur homines et jumenta, sed et victoriam praeclarissimam ab hoste reportent. Cujus merito id fiebat? Num regis Israël aut Edom? Nequaquam, sed quia pius rex Iosaphat eo pertractus fuerat temeritate duorum regum; propter ipsum dat Deus salutem et victoriam. Sic propter Ioseph servatur Aegyptus, Syria propter Naaman. Ad eundem modum hic omnia deplorata sunt, ut Iacob simpliciter de se et tota familia desperet. Sed habet promissionem, ideo necessario sequitur auxilium, et necesse est ipsum cum familia eripi ex medio dentium vicinorum populorum et civitatum.

Neque tamen fiducia hujus auxilii et promissionis tentandus erat Deus, sicut filii Iacob superbe de hoc gloriabantur, quod haberent patrem Patriarcham, qui haberet promissionem, et ideo licere sibi quidvis audere et ulcisci illatam injuriam putabant. Id enim est temeritate et praesumtione quadam Deum tentare. Et Iacob quantumvis certus de praesidio divino, tamen prohibuisset facinus hoc. Quod autem propulsatur periculum, quod imminebat a vicinis gentibus, non sane filiorum, sed patris merito fit.

Estque insigne exemplum, quod monet, bonos et sanctos viros incurrere quandoque maximas offensiones et pericula, non sua, sed aliena culpa. Et aliis quidem in eodem periculo constitutis nulla ratio salutis aut liberationis apparet, sed sentiunt, esse desperata omnia. Quia vero in eadem navi sunt pii aliqui, aut unus tantum, necesse est navem quan-

rumvis gravi tempestate agitatam in portum appellere salvam et integram, repugnantibus etiam aut in ipsa nave tumultuantibus mille Diabolis. Sic propter unum Paulum servatur navis et ducenti et septuaginta sex viri, qui cum eo in navi erant, Actor. 27. Ad eundem modum propter ecclesiam in mundo durat mundus; alioqui uno momento conflagraret coelum et terra, quia mundus non est dignus uno grano tritici, si quidem plenus est blasphemiis et impietate. Quia vero ecclesia est in medio impiorum, permittit Deus propter eam, ut etiam illi communibus bonis hujus vitae fruantur. Et quicquid habet mundus, habet beneficio ecclesiae. Sicut inquit Angelus in Actis (27, 24.) ad Paulum: „Et ecce, donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum", qui certe erant idolatrae et impii.

Sic fecunditatem terrae et proventum annuum omnium terra nascentium non merentur Papa, Turca, etc.; sunt enim impii: sed quia Deus habet in mundo parvulum et dilectum sibi gregem, propter eum largitur omnia beneficia et commoda hujus vitae. Hoc coetu sublato mundus in nihilum redigeretur, et fieret similis Sodomae et Gomorrae, sicut Isaiae 1. (v. 9.) dicitur,

Discamus ergo ex hoc exemplo, Deum propter sanctos adesse etiam impiis, et saepe temeritatem stultissimorum hominum, quibus concitant turbas et pericula, sua benignitate corrigere, et vertere in melius: ita enim honorat sanctos suos. Sicut Syria propter unum Naaman, Aegyptus propter Ioseph, Israël propter Iosaphat servantur. Et tamen habebunt impii suas poenas, sicut filios Iacob, Simeon et Levi, manserunt poenae, cum pater maledicit eis et posteritati eorum.

Deinde ostendunt haec verba, Iacob sanctissimum virum rursus luctari cum maxima tentatione spiritus et fidei, quae propemodum exstinguitur. Linum fumat, arundo conquassata et paene fracta est. Non enim fidei verba sunt, sed simpliciter carnis murmurantis et fidei luctantis ac valde infirmae. Propemodum ei exciderunt magnificae illae promissiones: Benedicens benedicam tibi etc. Illi soles et stellae verbi et promissionum obscuratae sunt, et tectae nubibus atris harum trepidationum et paene desperationum. Ait enim: Occidar et vastabor ego et domus mea, plenus timore et diffidentia: et tamen non est desperatio.

Sed haec est natura fidei: quando sol lucet et coelum est serenum, acquiescimus consolationibus propositis, et canimus: Te Deum laudamus etc. Benedicam Dominum omni tempore etc. „Rursus avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus", inquit Psalm. 30. (v. 8—10.). „Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem"? Hae videntur esse voces desperantium, sicut dicit (ib. v. 4.): „Domine, deduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. Iam actum erat de me".

Ad hunc modum luctatur fides cum infirmitate, cum Diabolus et caro dominantur, et apparet ipsi luctanti, non adesse amplius fidem. Sicut queritur hic Iacob: Ego factus sum abominabilis omnibus vicinis, conjectus sum in extremum periculum, nec aliud sentio, quam interitum. Ubi hic fides et memoria promissionum? Cur non illud animum inducit: Adversus Deum praevaluisti, quanto magis con-

tra vicinas gentes? Omnia haec exciderunt. Tentatio absorbet magnificas illas promissiones et victorias gloriosissimas fidei. Et tamen nondum desperat, quanquam desperanti est simillimus. Non diffidit, nec est incredulus, quanquam sic apparet. Sed est tentatio: sicut Paulus de se dicit (2 Cor. 1, 8. 9.): „Ne simus fidentes, responsum mortis habuimus in nobis". Oportet sanctos sic exerceri, descendere ad infernum et abyssum, atque inde revocari in coelum.

Adhuc enim retinet Iacob linum fumigans in corde suo. Cum nuntiaretur, Simeon et Levi percussisse et diripuisse totam civitatem, non potuit non vehementer commoveri propter tot homicidia. Ideo fuit haud dubie infirmitas maxima, querelae, ejulatus et clamor ad Deum, et in conclavi solus et cum lacrymis oravit: Domine Deus, adjuva me, qui dedisti mihi promissionem; versor enim in summo periculo. Haec oratio exaudita est juxta promissionem; habuit enim spiritum fidei, sive gratiae et precum. Ideo rursus oritur ei Lucifer et aurora, fides erigitur, et vincit omnia pericula. Tegitur enim peccatum filiorum, et defenditur optimus pater a vicinis, neque quisquam est, qui se ausit ipsi opponere, sicut in sequenti capite audiemus. Hanc defensionem duo fratres Simeon et Levi non erant meriti. Sed seni parenti Iacob condonantur omnia peccata filiorum cum praeda Sichimitarum, ita tamen, ut utrique puniantur, hi excidio, illi maledictione patris.

Illi vero responderunt: An ergo ut scorto abuti sorore nostra debuit?

Audi, quomodo respondeant filii patri, die hoffärtigen Tropfen. Non agnoscunt peccatum, nec do-

lent de caede et violentia injusta, sed defendunt. Quasi dicerent: Iuste egimus occidendo Sichimitas, quia atrocia peccata merentur atroces poenas: ideoque tragice amplificant raptum Dinae, cum tamen Sichem eam non pro scorto, sed pro conjuge habere cuperet. Neque etiam venerandum senem consolantur, nec dolorem ostendunt propter perpetratam caedem, nec leniunt agnitione et deprecatione culpae, non agunt poenitentiam, nec petunt sibi ignosci, quod caedibus et rapinis irritaverint vicinos, et animum patris vehementer conturbarint.

Ipsi seni tam superba responsio et defensio sceleris ferenda fuit, quae animum moestum et languidum trepidatione priore magis afflixit et contristavit. Jacob mufs tragen, portat peccatum filiorum suorum, et propter ipsum differtur poena, et tolerantur superbi et violenti filii usque ad suum tempus.

Lucet autem mirabilis bonitas et misericordia Dei in hoc exemplo, qui adjuvat et liberat pios, etiam tum, cum videntur omnia desperata esse. Si modo linum manet fumigans, et non vertitur ad stultitiam et blasphemiam, sed suspirat, gemit, clamat: ille clamor replet coelum et terram. Hujus Patriarchae nostri res omnes ita deploratae erant, ut non viderentur in integrum restitui posse. Sed non deserit eum Deus, cui toties auxilium et defensionem promisit. Miserabile fuit, conjici eum in tantum periculum et angustiam, et in periculo quasi rideri a filiis, et dolorem dolori addi; sed tolerat haec omnia mirabili patientia, et liberatur divinitus, unser Herrgott greift darein, so wirds alles gut, sicut sequitur.

Tri-

TRIGESIMUM QUINTUM CAPUT GENESIS.

Dixit autem Deus ad Iacob: Surge, et adscende in Bethel, et habita ibi. Faciesque ibi altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau, fratrem tuum.

Hactenus Patriarcha Iacob in summo dolore et angustia fuit, tentatione alia post aliam ingruente. Filia unica vitiata est, caesi sunt Sichimitae, et ex ea caede ingens periculum creatum, quo periisset ipse et tota domus, nisi Deus texisset et liberasset periclitantem. Deerant enim auxilia et praesidia humana omnia, nec erat, qui consolaretur miserrimum et afflictissimum patrem. Filii ad objurgationem respondebant superbe, et justificabant causam suam pessimam. Sic igitur curis saevisque doloribus aeger pendet inter coelum et terram. Et accedit infirmitas fidei, cum qua adeo duriter conflictatur, ut obliviscatur omnium promissionum, quae profecto erant magnificae, et priorum etiam liberationum, in quibus manum et auxilium Domini expertus fuerat.

Porro haec exempla Patrum proponuntur ecclesiis legenda et discenda, ut videant pii, eos mirabiliter exercitatos esse per infirmitatem et per fortitudinem, per triumphum et abjectionem, per fortunam et infortunium, ut variis jactationibus fierent tandem martyres in odorem et virgulam fumi, sicut in Canticis (3, 6.) dicitur, suavissimam, et caro in eis perfecte mactaretur. Deinde docent nos haec exempla, nostras passiones pueriles et leves esse respectu istarum aerumnarum. Ideo petamus inde consolationes, et praeparemus animos nostros ad patientiam. Non-

dum enim tantis difficultatibus et aerumnis conflictati sumus, quantas hic unus Patriarcha in sua vita pertulit.

Iam vero in extrema necessitate et quasi desperatione adest Deus Patriarchae suo, sicut dicitur, et revera est adjutor in opportunitate, Psalm. 9. (v. 10. 11.); non enim deserit sanctos suos sperantes in se, quanquam videantur deserti et abjecti. Id enim significat non deserere, propemodum desertos esse. Sed Deus ex negativa facit affirmativam. Quando dicunt pii: Non est salus in Deo, perii; ibi respondet Deus: Non periisti, nec peribis, sicut tu judicas, sed dabo tibi os et sapientiam, etiam in extremis et summis malis, ne deseraris. Videtur quidem esse desertus, sed revera non est. Ideo rursus edit Deus verbum suum, et consolatur perturbatum senem. Atque hoc saepe diximus inprimis spectandum esse in legendis sanctorum Patrum, quando Deus loquitur cum illis. Ideo historiae sacrorum Bibliorum antecellunt omnium aliarum gentium historiis. Sunt enim sanctae et utiles ob hanc causam, quod Deus ibi loquitur. Nec obiter percurrendae tantum sunt, ut multorum sanctorum legendae, ubi Deus non loquitur; sed pretium et thesaurus harum historiarum agnoscendus et evolvendus est, videlicet verbum Dei, quod loquitur cum sanctis Patribus. Id vero est, quod facit legendas aureas, quarum comparatione Eremitarum exempla plane obscurantur. Vixerunt illi quidem secundum praecepta Dei et in fide, ac propterea magni viri fuisse merito judicantur. Sed nullo modo similes sunt illorum, quibus occurrit Deus in tribulatione, et facit eis oriri solem novum. Aliae legendae tumultuantur magnis et inusitatis miraculis;

sed historiae Patrum non sunt aestimandae ab illis operibus, sed potius a sanctitate hac, quae est verbum Dei.

Postquam ergo videt Deus desertum Iacob, et a suis filiis contemni et rideri, nec angi eos magnopere, quod patrem in maximum discrimen adduxerunt et vehementer contristarunt, opportune adest et consolatur eum. Gemitus enim implevit coelum et terram. Oratio et lacrymae tuae, vult dicere, cogunt me, ut tibi succurram. Quae tibi videntur minari exitium, nihil prorsus nocebunt: ego sum Dominus Deus tuus. Me permittente Sichimitae interfecti, et tota haec tragoedia concitata est, ideo ut te probarem, ut te exercerem et redderem te probatum et electum. Sed bono animo esto, ego coërcebo et reprimam omnem furorem et fremitum populi, et convertam moerorem et planctum tuum in gaudium. Et tu eris dominus in Sichem. Sic enim a me ordinatum est.

Sicut Roboam cum vellet reducere decem tribus, prohibetur id facere, et dicit Dominus ad Semeiam (2 Paral. 11, 4.): „Non adscendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israël: revertatur unusquisque in domum suam. A me enim factum est verbum hoc", nimirum ut punirem patrem Salomonem et filium ejus, Roboam. Sic sinit aliquando Deus grassari Turcam et Pontificem, et rursum, cum vult, reprimit utrunque. Qui enim posuit terminum mari, ille etiam certos limites furoribus Diaboli et mundi constituit; sicut Christus in horto dicit, Lucae 22. (v. 51.): „Sinite usque huc".

Haec omnia autem ideo permittit Deus fieri, ut doceat nos invocare, clamare, gemere. Haec enim

est virgula fumi adscendens e deserto. Ad hunc modum sedatur hic maxima tempestas, et accipit Iacob gratissimam consolationem et tranquillitatem cordis. Non obruent te, inquit, finitimarum urbium cives. Contemne istam tempestatem et furores populorum. Vade, concionare, lege, exerce sacra, ora, lafs mich sorgen, quomodo tempestas haec et fluctus ingruentes sedentur.

Porro Bethel non longe abest a Sichem, et supra de nomine disputavimus. Ierosolyma habet decem nomina, et multi existimant, Bethel esse Ierosolymam, aut esse montem Morija, in quo fuit conditum templum, et adhuc hodie vetus nomen retinet apud Turcas. Emit David collem istum ab Arafna, et ibi aedificavit altare, quia ibidem immolavit Abraham Isaac, ac nomen habet a reverentia et cultu Dei, quod in eo monte Adam, Heva, Cain et Habel obtulerunt, et postsequentibus Patriarchis perpetuo sacer fuit, et destinatus usibus et exercitiis cultus divini. Postea vero a Iebusaeis occupatus fuit; sed David eum recuperavit et instauravit.

Morijam autem non esse Bethel inde liquet, quia Bethel fuit locus vicinus Hai et Sichem. Non fuit in tribu Iuda, nec in tribu Benjamin. Et inde exstiterunt idolatrae, cum quibus Hoseae et aliis Prophetis perpetuum certamen fuit. Iactabant enim illi, Deum hoc loco Patribus locutum esse; ideo potiorem et digniorem esse templo Hierosolymitano. Lyra in ea opinione est, quod Bethel sit Morija. Id mihi non fit verisimile: aut si est unus et idem locus, necesse est, nomen postea mutatum esse. Secundum cosmographos Bethel non est Morija, nec

Ierosolyma: aut per agnominationem sic dicta est, quod esset domus Dei.

Iubet autem Dominus, Patriarcham aedificare altare in Bethel, et admonet eum tribulationis superioris, et consolatur eum exemplis praecedentium tentationum et liberationum. Quasi diceret: Recordare promissionum tibi ante hoc tempus factarum, et cogita, quid antea tibi acciderit, cum fugeres fratrem Esau, et quanta passus sis, et quam benigne te liberaverim et defenderim. Porro a fuga Iacob usque ad hoc tempus sunt circiter triginta anni. Viginti enim annis fuit in Mesopotamia, octo habitavit in Sichem, duobus annis fuit in itinere, ac toto illo tempore fere odio fraterno vexatus est. Memineris igitur, te antea quoque in Bethel habuisse promissionem de defensione, et quam paterne ex multis et magnis tentationibus te eripuerim, et fideliter promissa servarim. Ad hanc vocem respirat Iacob, et recipit animum, vulnusque inflictum a filiis subito sanatur, quia verbum Dei vivificat et consolatur.

Caeterum in textu non exprimitur, quomodo Deus locutus sit cum Iacob, utrum per somnium, an per manifestam visionem, an vero per personam propheticam. Nam his tribus modis solet uti Deus. Verum eo tempore non adfuit ullus Propheta aut Patriarcha, quia omnes erant mortui, nisi forte pater Isaac miserit ad Iacob filium nuntium, aut literas, quibus jusserit eum reverti, et adscendere in Bethel. Sed quoquo modo id factum est, satis est, quod audivimus, Deum locutum esse, qui quocunque modo loquitur, certum est, esse id verbum Dei, nisi quod ea perversitas est humanae naturae, ut non credamus, nos audire verbum Dei, si quando per hominem loqui-

tur. Ponderamus enim verbum secundum auctoritatem et pondus dicentis: loquentem hominem audimus ut hominem, et cogitamus, esse verbum hominis, ideoque negligimus et fastidimus: cum tamen gratias Deo agere deberemus, quod auctoritatem verbi ponit in os hominis, sive ministri, qui per omnia similis nobis est, qui nobiscum colloqui, consolari et erigere nos verbo potest.

Sed non agnoscimus hujus beneficii magnitudinem, nec sumus grati. Ideo et hac parte legendae Patrum praestantiores sunt, non solum propter verbum, sed etiam propter fidem Patriarcharum, qui firmiter et certo adsensi sunt verbo. Nos non possumus hoc statuere, quando audimus ministrum docentem et absolventem, quod docti et absoluti simus, et consolationem acceperimus per majestatem divinam. Dicimus quidem, esse verbum, quod audimus in templo, sed verbum pastoris. Atqui non pastoris, nec Petri, nec ullius ministri, sed divinae majestatis verbum est. Itaque nostrae historiae frigidiores sunt propter fidem frigidiorem; in Patribus autem multo fuit ardentior, sicut lucet mirabilis fides in tota vita eorum. Ideo merito dicuntur, et sunt sacrae Patrum historiae.

Quodsi crederemus, Deum nobiscum loqui per parentes, per pastores et ministros verbi, mirabili gaudio accendi corda nostra sentiremus. Sic enim gloriaremur: Ego sum baptisatus. A quo? Num a pastore? Nequaquam: sed a Spiritu sancto. Sum absolutus a Spiritu sancto, a Deo ipso. Cur igitur metuam, a quo trepidabo? Cur angar de meo peccato? Itaque nos comparatione Patrum vix parvuli et lactentes sumus. Illi enim multa scandala idola-

triae apud vicinas gentes viderunt: et tamen firmiter amplexi sunt verbum Dei. Nos infinita exempla fidei et nostro et superioribus seculis ob oculos posita habemus, et tamen non credimus.

Primum igitur diligenter observanda sunt verba Dei loquentis, deinde fides credentium; tum videbis vera miracula in historiis sanctorum, qui per fidem verbi omnia mala mundi et Diabolorum superarunt. Et hanc victoriam adepti sunt non sapientia sua, quae devorata est, juxta illud, Psalm. 107.; sed propter verbum veniens et consolans, et fide, qua adhaeserunt verbo: quia „fides nostra est victoria, quae vincit mundum", 1 Ioan. 5. (v. 4.). Deus efficit nos victores et triumphatores per suum verbum, quo nos erigit et confirmat. Magnifica igitur haec consolatio est, quam exhibet Deus Iacob. Perinde enim est, ac si dicat: Ego habeo mortem et vitam omnesque tempestates in manu mea. Tu tantum crede et salvaberis.

Addit autem praeceptum de erigendo altari, hoc est, de instituendo cultu, ubi notanda est regula haec: Sine Spiritu sancto non est suscipienda ulla ratio, aut modus colendi Dei. Sicut Iacob non suo arbitrio fingit, hoc loco domum Dei esse, sed habet ex revelatione, cum supra dormiret ibi, et videret Angelos adscendentes et descendentes, tum addebat: Vere hic nihil aliud est, quam domus Dei (Gen. 28, 16.). Non igitur propria temeritate erigenda altaria et cultus fingendi sunt, sed respiciendum est ad mandatum Dei. Hieroboam posterioribus temporibus erexit vitulum in Bethel, ut ibi sacrificaret et adoraret populus. Et ut mandatum Dei de aedificando templo Hierosolymitano, quod habuerat Salomon, obscuraret, magnifice praedicabat hoc mandatum Patriarchae Iacob da-

tum de excitando altari et instituendo cultu in Bethel. Id enim antiquius multo, ac propterea praestantius esse, quam novum illud de templo Hierosolymitano condendo.

Sicut ante haec tempora cum Deus in verbo et sacramentis quaerendus et agnoscendus esset, Papa illis abjectis, reliquias et monumenta sanctorum effinxit, quibus miserae plebi imposuit, ut his cultum divinum alligatum crederent. Et eo dementiae perventum est, ut alicubi caligas Ioseph, lac Mariae virginis, bracam S. Francisci pro reliquiis ostentarent. His accesserunt opera commenticia et prodigiosa sanctorum, Francisci, Dominici et aliorum, quorum sanctitatem ex operibus et vita aestimabant. Sic enim fuerunt decipiendi et infatuandi homines a veritate alieni. Sed si diligenter evolveris scripturam sanctam, videbis, nihil placere Deo sine verbo

Et dixit Iacob ad domum suam, et ad omnes, qui secum erant: Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mundate vestimenta vestra.

Iacob acquiescit consolationi, quam audivit in verbo Dei. Itaque silet tempestas, et tranquillitas magna facta est in mari, hiems abiit, flores apparuerunt, die Nachtigall singet. Laetus igitur agit gratias Deo: Benedictus Dominus Deus, tristitia et angustia cessant, quoniam solis lumen exortum discutit tenebras tribulationis. Ac repetit et verba ipsa, quae audivit Deum loquentem, et tentationes triginta annorum circiter. Sed nondum defunctus est omnibus miseriis; restat enim adhuc horribilis tempestas in filio Ioseph. De superioribus tamen supera-

tis gratias agit, et parat profectionem ad Bethel, ubi primum eum consolatus fuerat Dominus.

Ait autem Moses, locutum esse Iacob ad domum suam, et omnes, qui cum ipso fuerant, ubi distinguit inter domesticos et extraneos. Domestici fuerunt uxores, liberi, servi et ancillae. Alios vero, qui cum ipso fuerunt, intelligit, quorum corda tetigerat Deus, ut adjungerent se domui Iacob sive connubiorum spe, sive quod ex praeda et spoliis Sichimitarum accesserant. Saepe enim dixi, maxime credibile esse, quod, docentibus Patriarchis, multi ex gentibus confluxerint ad eos, qui viderunt, Patriarchas esse viros pios et sanctos, et Deum cum ipsis esse, ideoque doctrinam eorum audiverunt et amplexi sunt.

Cum enim essent legati et praecones verbi divinitus in orbem missi, non cogitabimus, ministerium eorum sine fructu abiisse. Nec illi tantum adjuncti sunt, qui de sanguine Patriarcharum erant, sed etiam extranei, quales fuerunt supra confoederati Abrahae, Eschol et Aner, qui omnes haud dubie audiverunt verbum, item Abimelech. Et postea Ioseph in Aegypto, Daniel in Babylone, Ionas in Ninive tradiderunt doctrinam de Deo. Collegit igitur Deus ecclesiam in mundo non ex una tantum familia Patriarcharum, sed ex omnibus gentibus, ad quas pervenit verbum.

Ad hunc modum multi ex Cananaeis adjunxerunt se Iacob, et crediderunt verbo ejus, qui sunt divinitus erepti ex malis impendentibus et idolatria. Sicut Rahab meretrix, Iosuae 2. cum videret, totam civitatem in periculo esse, adjungit se exploratoribus, et petit, ut se et familiam suam servare velint. Semper enim aliquorum corda tanguntur, ad quos

veniunt pii in mundo, et tales existimo fuisse eos, quos Iacob secum duxit: quia verbum non docetur sine fructu, sed colligit coetum aliquem in mundo, non tantum ex iis, qui vocaliter audiunt, et qui sunt in ecclesia Patriarcharum, sed etiam exteros et alienos, qui sunt praeordinati, adducit.

Deinde accessit affinitas cum Cananaeis propter connubia duodecim Patriarcharum, qui duxerunt gentiles. Iuda nuxit Thamar Cananaeam, Ioseph sacerdotis Aegyptii filiam. Haec fuit conjunctio sanguinis gentilis et Israëlitici, ita ut etiam Ruth Moabitis fieret mater Christi. Non enim Iudaeorum solum, sed et gentium Deus est, licet per Iudaeos tanquam ministros invulgarit gratiam et verbum suum in orbem. Postremo fuerunt etiam commercia Patriarchis cum ethnicis; inde saepe occasio nata est colloquendi de Deo et de religione. Non enim fuerunt ligna et saxa muta, sed in conversatione cum hominibus singulari comitate invitarunt ad se alienos, ut fierent doctrinae et religionis socii.

Pulcherrima autem concio est Patriarchae Iacob ad familiam et ecclesiam suam, collectam ex domesticis et extraneis, qua hortatur eos ad emendationem vitiorum, quae haerebant in ecclesia. Ac primum peccatum, quod arguit, pugnat cum primo praecepto, videlicet idolatria; hanc vult corrigi et repurgari. Abjicite, inquit, Deos alienos, qui inter vos sunt. Hoc enim caput et fons est, unde omnia alia vitia promanant, et irrita est omnis reformatio, si non repurgetur primum doctrina. Vide enim stultitiam Pontificis et omnium conciliorum posteriorum, quae primum ordinant aliquas caeremonias, [debent] sacerdotes longis vestibus uti, diligenter le-

gere horas canonicas et Missas, prohibent aleam, scortationem. Hanc ipsi reformationem ecclesiasticam appellant. Et tale aliquid statuetur in concilio, si quod unquam futurum est. Sunt enim Cardinales et Episcopi homines stolidi et insulsi, qui nihil cogitant de verbo et doctrina, neque eam intelligunt aut curant.

Necesse igitur est, ut securis ad radicem arboris admoveatur, et caput serpentis petatur; iotus enim corporis quantumvis graves sustinere potest sine periculo. Sed si caput vel minima virgula ferias, statim exstinguitur. Praecipua autem vis Satanae posita est in oppugnando et delendo verbo ac doctrina, quae continetur in primo praecepto, eam petit acerrime. Itaque danda est opera ante omnia, ut doctrinam veram et certam habeamus de Deo; ibi tum vera reformatio et ordinatio ecclesiarum institui potest. Ferdinandus cum parat defensionem adversus Turcicas incursiones, indicit jejunia, processiones, supplicationes divorum. Haec ad quid aliud prosunt, quam ut sint ludibrio Satanae? Id potius agendum erat, ut fides sincera et doctrina pura de cultu Dei traderetur. Sed illi invertunt ordinem, defendunt errores manifestos doctrinae, et stabiliunt idolomaniam, postea ritibus et supplicationibus externis student placare iram Dei. Ita dupliciter irritatur et irridetur Deus.

Meminerimus ergo, praeceptum Iacob, qui ait: Auferte deos alienos, hoc est, tollite scandala doctrinae, scandala impietatis, ut populus vere discat timere Deum, et fidere Deo. Tum demum longis vestibus, rasuris et similibus locus erit.

Porro duo vocabula Dii alieni in Hebraeo non

efferuntur eodem numero. Dii pluraliter ponitur, alienum vero singulariter in genitivo casu, Deos alieni, vel alienae rei. Est autem antiphrasis in vocabulo נֵכָר; utrunque enim significat, ignotum sive alienum, et cognitum, sicut infra utraque significatio in uno versu exstat: Ioseph cognovit fratres suos, et alienavit se a fratribus, hoc est, noluit, se agnosci, macht sich unkenntlich. Haec figura usitata est in omnibus linguis. Sic Latini bellum dicunt, quasi minime bonum, et lucum, quod minime luceat. Germani talia multa habent: halt ich will dir rathen, will dir helfen. Id per antiphrasin dicitur, et haec est sententia, quod velim alterum punire aut perdere. Item: der Henker kann den Dieb wohl rathen etc. Eadem est significatio hujus vocabuli: Deos ignotae vel cognitae rei. Proprius autem sensus ex phrasi petendus est. Et hoc loco necesse est significare נֵכָר ignotum. Sicut enim bellum a pulchro nomen habet, et inexpertis quidem admodum bellum et dulce videtur, quemadmodum et vindicta dulcis est, experiundo autem sentimus, esse rem amarissimam et tristissimam, quia fit bellum per antiphrasin: Es heist Hönig gesät, und Senf aufgangen: ita et novus cultus initio mirabiliter afficit, et videtur esse certissima et ipsa veritas, apparet, esse merum nectar (sic enim Sectarii solent promittere et jactare, nihil esse certius, nihil melius aut praestantius); sed in fine experimur, fuisse meras tenebras, errores et ignorantiam. Dicitur igitur נֵכָר, hoc est cognitum, quasi dicas: minime notum.

Ejusmodi phrases admonent studiosos theologiae, valde necessariam esse cognitionem Hebraeae linguae. [illegible]re hortor eos, ut aliquid operae in hac discen-

ı ponant. Caeterum quando semel aberravit huma-
ı mens a vero et uno Deo, necesse est sequi infi-
itam multitudinem et confusionem deorum. Qui se-
el deseruerit Deum, hunc impossibile est manere
ı aliqua certa divinitate, hoc est, in una religione
ıt certo cultu Dei: perinde ut per incredulitatem,
ve fidem amissam infinita est peccatorum conse-
uentia.

Hoc videre est in omnibus historiis. Israël de-
ciens a Deo colit Baal, Camos, Astaroth etc. Post-
uam defecimus nos a Christo, Filio Dei salvatore
ostro, successerunt Dominicus, Franciscus, Vincen-
ius, Christophorus, Clara etc. et innumeri alii novi
ultus, quos quotidie comminiscebatur sacrificorum
t Monachorum vulgus sine fine et modo: quia non
oterat ulla ratione satisfieri cupiditati humanae. Ita-
ue ab unitate Dei deflectere est immergi in multi-
ıdinem deorum ignotorum. Et ob hanc causam vo-
abat Iacob deos alieni, hoc est, ignoti et stulti cul-
ıs, qui tamen videbatur cognitissimus et sanctissi-
ıus. Referamus igitur mentes nostras et omnia stu-
ia ad unum Deum, qui est Pater, Filius et Spiri-
ıs sanctus, et maneamus in mediatore Christo. Haec
rima pars est reformationis.

Iudaei deos alienos hic intelligunt statuas, sive
magines idolorum, quibus ipsi quidem perpetuo
bundarunt, et tot Deos habuerunt, quot sunt Dae-
nones in inferno, quemadmodum et sub Papatu
idimus. Iacob autem non intelligit tantum imagi-
ıes aureas et argenteas, sed accidens sive affectum
llum, qui est tanquam caput in argentea aut aurea
tatua, videlicet adorationem. Alioqui enim in sta-
ua nihil peccati est, sed possum ea uti, sicut Ra-

hel supra usa est idolis Laban patris, cum poneret ea subter anum. Sed hoc est peccatum damnans, fiducia cordis, quae adhibetur statuae: quanquam imago ipsa est occasio mali. Sed in corde prius est affectus et idolum; sicut populus ante haec tempora, et etiamnum reges currunt ad statuas, et colunt Mariae Ratisbonensis aut aliorum divorum statuas, id revera est adorare ligna et lapides: quia fides, quae uni Deo creatori debetur, transfertur et exhibetur statuae argenteae, non creatori. Quid potest autem dici aut fieri stultius? Cur enim eadem ratione non adoras thaleros et pecuniam in loculo? Jacob igitur non solum spectat imagines externas, sed vult, ut ante omnia Deus sincere colatur, et doctrina pura sit, atque ita inchoat reformationem a primo praecepto.

Altera pars: mundamini, continet peccata secundae tabulae. Ea etiam vult corrigi. Primum enim, quos vos putatis esse deos cognitos, inquit, sunt maxime incogniti. Eos itaque abjicite, postea etiam agite poenitentiam de peccatis contra proximum. Non sint inter vos fures, scortatores, adulteri, et sit corpus et animus integer, castus et innocens ab offensione proximi. Haec est externa justitia.

Tertium de mutandis vestibus est prorsus externum et caeremoniale: Deponite vestes sordidiores, ut celebremus Sabbatum, ornate vos etiam externo aliquo cultu. Tales enim caeremoniae, etsi non justificant, tamen sunt necessariae: quia debet esse reverentia quaedam in externis caeremoniis, gestibus et moribus, ut sint congressus honesti et compositi eo loco, ubi docetur verbum, ubi fit invocatio et alia sacra. Ante omnia cor sit compositum

era fide erga Deum et reconciliatione, deinde caitate erga proximum, quae sit perfecta et sine ulla ffensione. Tertio sit externa disciplina in congresibus, ut fiant omnia decenter et ordine, 1. Corinth. 4, (v. 40.). Qui vero negligunt ista, significant, se ihil credere, et contemnere Deum et ecclesiam. Neque enim in coetu ecclesiastico perinde nos gerere, ic in taberna debemus. Sed requiritur ibi gravitas aliqua.

Haec pulchra reformatio est, qua primum doctrina repurgatur, deinde expurgantur peccata, usurae, furta, rapinae, libidines; postremo monetur, ut restiat populus et sacerdotes in templo honeste. Nostri reformatores pervertunt ordinem. Incipiunt nim a calceis et vestibus, et superiora ac potiora negligunt. Illud efficiendum potius erat, ut cor inus esset purum per fidem, extra autem corpus et membra per caritatem et per caeremonias etiam in vestitu et moribus.

Postremo in mandato, quod datur Iacob, phrasis notanda est. Debemus enim hanc diligentiam in ectione Bibliorum adhibere, ut ex Hebraeo textu quaeramus patrocinium et testimonia doctrinae notrae de pluralitate personarum in Deo. Sic enim habent verba: „Dixit Dii, fac Deo altare“. Haec phrasis diligenter observanda est, quando Deus de Deo loquitur. Etsi enim eam eludunt Iudaei, et dicunt, esse mutationem personarum usitatam in scripura sancta, quod sane verum esse nos quoque fatenur: tamen nihil moramur Iudaicas cavillationes, quas non poterimus convertere, sicut nec alios pertinaces. Et quia consentit cum novo testamento, retinemus hoc loco τὸ ῥητόν.

Ubi igitur Deus, aut Dii loquitur de Deo, ibi exprimuntur tres personae, et unus Deus. Deum

autem, cui faciendum est altare, intelligimus Filium Dei, qui est unus et verus Deus cum Patre et Spiritu sancto. Sicut supra de viro luctante cum Iacob diximus. Haec nos erudiunt et confirmant egregie. Moses enim non fuit ebrius, cum haec traderet, nec Spiritus sanctus, qui per eum locutus est. Et sive Angelus, sive Moses loquatur nobiscum, est Dei verbum. Hoc igitur vult dicere Dominus: Si celebraveris illum Deum, qui apparuit tibi in Bethel, celebrabis Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Quando enim dicitur אֱלֹהִים, Dii locutus, significatur pluralitas personarum in divinitate.

Surgite et adscendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meae, et adfuit mihi in via, quam ambulavi.

Diligenter observandum est, quod in tot Patriarcharum historia non descriptae aut celebratae sunt ullae mactationes hostiarum, cum tamen saepe scriptura sancta supra de Abraham et Isaac et de Iacob dicat, aedificasse eos altaria. De Noah, Adam, Cain, Habel legimus, usos eos esse sacrificiis, et quidem holocausta obtulisse, quae haud dubie fecerunt Patres secundum ritum, quem postea describit Moses, ita ut agnos, boves, capras mactarint et coxerint, et partem aliquam cremarint in holocaustum Domino, partem ipsi comederint. Quis enim fuisset alius usus altarium? Ubicunque igitur eorum meminit scriptura, ibi nihil dubium est, fuisse sacrificia holocaustorum, et oblationes placentarum, farinae, thuris et aliorum, quae in Levitico describuntur. Hoc vero dignum est notatu, quod hi Patriarchae quo-

que excitarunt altaria, neque tamen Moses mentionem facit sacrificiorum et oblationum. Relinquit autem lectori consequentiam illam et ratiocinationem, quod ibidem sacrificia, holocausta, libamina etc. fuerint, ubi sunt conditae arae.

Rursus vero quando Moses de sacrificiis et holocaustis Leviticis agit, tam diligenter exsequitur istas mactationes, ut ne pilos quidem et pelles aut excrementa praetereat. Nihil ibi invenias praeter thurificationes et mactationes etc. Non dicit, quid locutus sit Deus, quid ipsi passi sint, quid egerint, qui sacrificant. Sicut e contra in historiis Patrum nihil prorsus dicitur de mactationibus boum aut ovium etc. utram partem asservarint, utram cremarint. Sed principale additur, videlicet conciones, quae habitae sunt a Patribus ad altaria. Moses kocht, brät, siedet, in his legendis nihil, nisi altare ponitur, sine ulla mentione thuris, vini aut ullius oblationis.

Iacob igitur vult aedificare altare. In quem usum? Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meae etc. Haec sunt vera altaria, ad quae sacrificia illa bovina et hircina tantum umbrae quaedam sunt et signa externa. Sed concionari, audire verbum, gratias agere, orare, haec sunt vera sacrificia. Haec describit Moses in Patribus. Externa illa sacrificia vix verbo attingit. Praedicabo ibi, inquit Iacob, quomodo mecum fuerit Deus, ubicunque ambulavi, quomodo exaudiverit me. Proinde offerre et sacrificare revera nihil aliud est, quam confiteri et laudare Deum, quod sit noster Deus, qui velit exaudire secundum promissionem suam, et esse nobiscum in omni tribulatione, et educere ex morte. Id enim est esse nostrum Deum, et huic gratias agere, quod nos cura-

rit hactenus et servarit et porro curaturus sit, tamen sinat, nos tentari paene supra vires.

Ad hunc modum et finem recte conduntur templa. Quando autem sacrificia haec desunt, recte stabula ferarum aut harae porcorum, quam arae et templa nominantur. Ad hoc enim ordinati sunt congressus ecclesiastici, ut doceamus de Deo, esse eum nostrum Deum, qui permittat, nos affligi, nobis in salutem. Haec est praedicatio de fide, de patientia nostra et de misericordia ac gubernatione divina. Ubi haec non sonat, ibi non statues esse templum aut aram. Sicut sub Papatu templa fuerunt tantum theatra Diaboli deridentis et occidentis animas miserrime.

Caeterum mactationes et sacrificia Levitica Deus ordinavit ad tempus in externum signum, ut populus rudis aliqua specie traheretur ad verum cultum et agnitionem Dei, sicut nobis dedit Baptismum, claves, absolutionem, Coenam dominicam: non propter opus ipsum operatum, ut Papistae somniant, sed ut recordemur beneficiorum Christi, qui inquit: Hoc facite in mei commemorationem, ut sonet inter vos doctrina coelestis, ut invocetis me, ut agatis gratias, ut speretis in me et sitis patientes in ferenda cruce, donec veniam, et eripiam vos ex omnibus malis. Haec diligenter docemus et exercemus publice in coetu, et privatim apud aegrotos, non mactamus boves, oves etc.; sed laudamus Deum. Sic enim Iacob hic non ideo excitaturum se dicit altare, ut sacrificet, quanquam illud quoque includitur; sed ut celebret et laudet Deum, qui exaudivit eum in die tribulationis, cum scilicet fugeret a facie Esau, fratris sui.

Agnoscit, Deum fuisse auditorem. Fuit igitur

assiduus in orando, quaerendo, pulsando, invocando. Esau et Satan waren seine Meister, qui urgebant et cogebant clamare ad Deum, et ejus opem implorare. Vult enim Deus, ut invocemus, et vult exaudire et esse noster Deus. Sic saepe in summis difficultatibus constitutum fuisse Iacob supra audivimus, et in trepidatione quodammodo amisisse Deum Sicut in fuga in Mesopotamiam erat miserrimus, postea apud Laban infinitis et indignis malis conflictatus est: tandem in reditu ex Mesopotamia luctandum erat cum Filio Dei.

Tota igitur vita fuit calamitosa, et hoc vult, cum dicit: In diebus tribulationis meae: quia circiter triginta annis aliud ex alio malum sustinendum fuit. Num hic Deus videtur misericors esse et benignus? Est profecto talis: quia additur, quod exaudiat preces. Sicut Psalmus 66. (v. 16—20.) idem de eo praedicat: „Venite, audite et narrabo, omnes, qui timetis Dominum, quanta fecit animae meae. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi lingua mea etc. Propterea exaudivit Deus, attendit voci deprecationis meae. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me". Ipse est promtissimus ad audiendum, modo nos promti simus ad clamandum. De exauditione certa res est; ipse enim dixit, ipse mandavit (Ioh. 16, 23. 24.): „Petite et accipietis. Amen, amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis". Item (ib. 15, 7.): „Si in me manseritis, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis". Reprehendendi igitur sumus, quod non petimus, non clamamus, non instamus. Invitet autem nos exemplum Iacob, qui celebrat Deum non

de suis operibus aut sacrificiis, quae etiam fiebant ad declarandam gratitudinem pro liberatione divina; sed quod habeat Deum promissorem, auditorem, defensorem, liberatorem ex omnibus malis, quae interdum videbantur desperatissima.

Hoc nobis diligenter discendum et observandum est. Et idem docet exemplum primorum parentum; illi enim post lapsum cum vocarentur a Deo: Adam, ubi es? constituti erant in agone mortis aeternae. Postea vero cum dicit Deus: Semen mulieris conteret caput serpentis, et testatur, mansuram generationem, et servaturum se genus humanum, et nascendum etiam esse semen, quod conterat caput serpentis, rursus eriguntur et exhilarantur. Neque expavescunt ad vocem illam: „In sudore vultus tui“ etc. „In dolore paries“ etc. Libenter enim feram dolores partus et mortis, dixit Heva: modo cesset judicium et ira Dei, quam incurrimus morsu pomi et transgressione mandati. Si corporalis poena succedit aeternae, aequissimo animo eam tolerabo. Sic tota vita nostra miserrima et vere pomum acerbissimum est, sed tamen vitale et vivificum. Illud alterum pomum Hevae erat dulcissimum, et maxime delectabile in speciem, sed inferebat mortem aeternam. Satius igitur est tolerare aerumnas cum spe liberationis aeternae, quam eas defugere et ruere in aeternum exitium. Videmus, Prophetas et Patriarchas eadem prorsus passos esse, et gloriari in afflictionibus, sicut testantur Psalmi et multae sententiae Apostolorum, Rom. 5. et alibi. Et nos igitur ita animos nostros inducamus, ut nullius mali metu abjiciamus cultum et invocationem Dei. Cum enim tutus sim, et salvus ab aeterna morte et damnatione,

sine modo ingruant Turci et Tartari, Papa et pestes omnis generis: non frangar animo, cum habeam illam compensationem et permutationem felicissimam, qua scio, mortem in vitam, exitium in salutem aeternam, peccatum in justitiam commutatum esse. Scio enim, quod piis omnia in bonum cooperantur.

Deploranda autem est ingratitudo nostra, qua non agnoscimus, nec gratias agimus Deo, quod Filius Dei mutavit mortem aeternam in temporalem poenam. Cupimus enim in hac vita suaviter et delicate vivere, et quamlibet vel exiguam crucem exhorrescimus et defugimus. Atqui opus est carni mortificatione, et haec obedientia in cruce praestanda erat aequo animo, ut essemus grati, quod scimus, Christum mortuum esse pro peccatis nostris. Et testatur ipse, jugum suum suave, et onus leve esse. Denique cum Iacob tanto gaudio praedicet Deum liberatorem ex corporalibus tentationibus, quanto magis nos decebit confessio et gratiarum actio pro aeternis et temporalibus beneficiis.

Addit autem ad exauditionem: „Qui fuit mecum in via, quam ambulavi". Revera ei affuit, et ipso opere et liberatione testatus est. Sed valde occulte, non apparenter. Sicut Hieremias inquit (Thren. 3, 22.): „Misericordiae Domini, quod non consumti sumus". Quod enim ad apparentiam et speciem externam attinebat, Diabolus, Laban et desperatio cum eo erant; sed Iacob ait: Hisce totis triginta annis fuit mecum Dominus.

Haec est vera ratio sacrificiorum, quae fuit usitata Patribus, et valuit etiam eo tempore, cum pompa sacrificiorum Leviticorum regnaret. Moses enim

non spectavit praecipue templum, aras, oves, boves, quos David et Salomon obtulerunt. Sunt enim quisquiliae tantum et cortices, sive putamina verorum cultuum, quae Deus ad tempus requirit, et utitur istis tanquam externis notis propter nos, ut excitet stuporem sensuum nostrorum. Sed verus cultus in novo testamento expressus est: „Hoc facite in mei commemorationem: baptisate in nomine meo" etc. Horrendum vero est, quod Papa ex Missa facit sacrificium et opus operatum, et nucleum ipsum abjicit, qui est gratias agere, invocare, sperare, confiteri in cruce et calamitatibus. Corticem retinuit, nimirum opus manuum nostrarum et sacrificium, cum tamen carnem nostram et sanguinem nostrum hic non edamus aut bibamus.

Veri autem cultus sunt descripti, Psalm. 50. (v. 14.): „Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua". His serviant externi ritus, et excitent te ad laudandum exauditorem, liberatorem, gubernatorem, salvatorem, ut confidas ei, feras ejus manum, discas mortificari et mori, et in his omnibus patientiam dignam piis praestare. Hoc est sacrificium nostri corporis et hostia rationalis.

Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habuerunt in manu sua, et inaures, quae erant in auribus eorum. At ille defodit eos subter quercum, quae erat juxta Sichem.

Vides, Patriarcham habuisse obedientem ecclesiam, et credentem verbo Dei, quia statim abjiciunt deos alienos, et admittunt reformationem sui doctoris. Itaque totum corpus ecclesiae repurgatum

et pulchre constitutum fuit. Ac Moses postea quasi rhapsodus aliquis multa collegit ex ritibus et caeremoniis Patrum. Inter alias autem imagines fuerunt etiam תְּרָפִים, quae Rahel supra furata est patri. Et deos appellarunt idola sive statuas, non quod tanta fuerit insania, ut lignum, aurum, argentum pro Deo haberent et adorarent; sed ad statuas argenteas aut aureas alligarunt exaudientem Deum, et respicientem ad cultum illum, excogitatum humana temeritate eo loco: qualibus idolis argenteis, aureis, igneis, saxeis plenus fuit Papatus. Etsi enim notamus, ea omnia manibus artificum sculpta et ficta esse: tamen ea opinione procidimus coram statuis, et adoravimus, quod Deus respiceret hanc vel illam imaginem. Ac fingebamus, S. Barbaram, Annam, Christophorum, singulos ad suas statuas respicere, et exaudire preces nostras. Hae fuerunt tenebrae Aegyptiae, ac prorsus eadem insania et furor fuit, qui olim apud ethnicos in effingendis infinitis numinibus. Sic enim illi Iunonem, Bacchum, Cererem, Priapum etc. colebant.

Neque vero aurea simulacra in singulis domibus fuisse puto, sed lignea, qualia nostri homines ante haec tempora domi suae habuerunt. Fuit ligneum aliquod simulacrum, exornatum clinodiis argenteis et aureis. Sicut Dionysius statuam Iovis spoliavit, rapiendo ornamenta aurea et argentea, cujusmodi apud nos in usu sunt gulden Borten, Spangen, Korallen pater noster etc. Ac tales puto fuisse inaures, ita ut referantur ad statuas, non ad cultores statuarum. Quanquam Lyra eo inclinat, quod intelligat Moses ornamenta, sive mitras et vestes sacerdotales, quibus usi sunt adoraturi aut sacrificatu-

ri, sive sacerdotes sive, alii. Talia enim in omnibus cultibus, falsis et veris, usurpata fuerunt. Mihi tamen haec verior sententia videtur, quod fuerint insuper ornamenta idolorum.

Vox ipsa נְזָם significat lunulam vel semicirculum aureum, instar lunae corniculantis, quo ornarunt frontem ab una aure ad alteram tanquam diademate. Nos hodie appellamus Perlin oder gülden Borten und Haarband. Habuit et Aaron נְזָם inter ornamenta sacerdotalia. Postea iisdem reges usi sunt, et inde fecerunt diademata. Fuit ergo usitatum eo tempore, statuarum capita exornare talibus lunulis, propter reverentiam divinitatis, ut haberent aliquam sanctitatis speciem. Quanquam etiam, juxta Lyrae sententiam, fieri potest, ut et sacerdotes iis uterentur.

Iacob vero omnia haec in unum acervum congesta sepelit. Ac fuit sane insignis probitas et obedientia illorum hominum, qui tam promte et libenter tradiderunt ea, quae habebant pretiosissima. Maxima pars fuit rapta in praeda Sichimitarum, qui fuerunt idolatrae. Persuasit autem domesticis et extraneis egregia illa oratione, ut ea amoverent, et ipse cum ecclesia repurgata ab idolatria descenderet in Bethel. Sed cur defodit subter quercum idola, sive aurea et argentea, sive lignea et auro exornata, et non potius conflavit, pretiumque in eleemosynam pauperum, aut in alios usus collocavit? Quis enim erit usus auri et argenti defossi in terram? Respondeo, propter abusum, quem sciebat Deum vehementer aversari. Et voluit ipse purissimus contemtor esse rei male acquisitae, cum haberet alias ex benedictione divina, quod erogaret in pauperes.

Moses in Deuteronomio jubet omnia sculptilia

entium exuri, nec vult ea appeti a populo Israëlico, nec domi asservari, ne et ipsi fiant abominabiles Deo, sicut erant sculptilia. Unde liquet, fuisse lignea quaedam simulacra, ornata fibulis, pileolis, palliis ex auro et argento fabricatis. Aurum enim non crematur: Reges vero forsitan aurea et argentea idola habuerunt. Et Moses ex Patribus habet mandatum hoc de idolis simpliciter abjiciendis et cremandis, tanquam re impia et abominanda, quanquam posset esse usus aliquis auri aut argenti. Ideo puram voluit Deus esse primam tabulam illo tempore, ut etiam aurum et argentum, ex quo conflata fuerant idola, non vellet servire usibus sanctorum, licet per se sint bonae creaturae Dei, propterea quod contaminatae essent idolatricis cultibus, quibus offenditur Deus. Ad hunc modum Iacob simulacra in terram defodit, ut testetur, se esse purum a peste illa, quae vocatur idolatria. Et idem servatum est in lege Mosi in terrorem rudi populo, ut disceret fugere et exsecrari hanc abominationem.

Nos in novo testamento scimus, quod idolum nihil est in mundo, sicut testatur Paulus, 1 Corinth. 8. (v. 4.). Ideo sancti martyres et Episcopi simulacra conflaverunt et converterunt in pios usus, sive ad ministros ecclesiae, sive alios pios et pauperes alendos. Et recte fecerunt, quia cessaverunt leges caeremoniales rudis populi, cui opus fuit illa severitate, cum non haberet spiritum, sed simpliciter regeretur lege, et externa disciplina coërceretur, quominus in idolatriam prolaberetur. Sic enim pueros terriculamentis quibusdam a vitiis, aut a rebus illicitis absterrere solemus, ut cum exhibemus pictos dracones, aut monstra deformia, et cum his confe-

rimus res turpes, ut eorum etiam mentionem aut aspectum discant exhorrescere. Talis paedagogia quoque illius populi fuit; neque enim expeti, neque inferri in domos idola Moses voluit, ut discerent vehementer Deo invisa et abominanda esse.

Adultis autem his nihil opus est; ideo nos non servamus hanc legem, neque ea opus est. Quid enim jam habemus in ecclesiis, quod non sit partum turpissima idolatria Pontificum? Neque ullus princeps aut respublica est, quae alit suos ministros ecclesiae aut scholarum propriis et novis stipendiis. Quanquam etiam de bonis ecclesiasticis honeste quaedam acquisita et donata sunt ecclesiae ad conservationem studiorum et scholarum. Sed quae ad Missas, vigilias et cultus sanctorum contributa sunt, nihil aliud sunt, quam merces meretricis et turpissima idolatria. Illud argentum et aurum omne est כְזָם, hoc est, sunt inaures, sunt fibulae idolorum collatae ad superstitionem et impietatem retinendam. Utimur autem libertate evangelica, ne abjiciamus aut defodiamus aurum, sed hoc agimus, ut transferatur ad pium et legitimum usum, et quae hactenus data sunt sacrificulis idolatricis, deinceps distribuantur in pios doctores et ministros evangelii. Atque utinam hoc possemus impetrare ab Harpyis illis, quae ad se per nefas rapiunt reditus ecclesiasticos, et vix relinquunt pastoribus et scholasticis, quantum satis est ad depellendam inediam.

In ducatu electoris Saxoniae sustentantur inde parochiae et scholae. Quod reliquum est, concessimus, ut aut retineret princeps, aut destribueret pauperibus scholasticis. Quando ergo quaeritur, quare nos quoque non abjiciamus male parta bona more

icis Babylonicae, respondemus, conferri ea in pios sus, et id nos effecisse, ut pecunia, quae antea Diaolo serviit, deinceps serviat Deo. In populo legarequirebatur severior disciplina, propter pericula vicinis gentibus, cum nondum esset tanta lux veri, quanta nunc est, nec haberent ipsi tempus illud ratiae, quod Dei beneficio nobis hodie illuxit. Ideo on obligant nos leges caeremoniales.

Cumque emigrarent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates illas, ut filios Iacob non insequerentur.

Haec felix et tuta profectio fuit, tali duce et imperatore, quem habebat Iacob. Estque insigne et memorabile exemplum, quod testatur, credentes et adhaerentes verbo Dei habere defensionem Dei, conditoris omnium rerum, adversus omnes portas inferorum. Vere enim illud dictum est a Propheta (2. Regg. 6, 16.): „Plures sunt nobiscum, quam cum adversariis": si modo satis firmiter id statuere et credere possemus. Nam haec imbecillitas fidei et diffidentia valde debilitat et frangit animos piorum. Semper tamen aliqui sunt, qui utcunque hanc consolationem retinent. Ipse Iacob in his periculis infirmior fuit in fide, sicut aliquoties audivimus, quam domesticorum aliquis. Et tamen gemitus ineffabiles in corde ipsius impleverunt coelum et terram, Deumque excitarunt ad exhibendam consolationem et auxilium.

Pertinent igitur haec ad doctrinam et consolationem nostram, ut certo statuamus nos non posse deseri, sive firmiter, sive infirmiter credamus. Nam et infirmi defenduntur, sicut Paulus jubet infirmum in fide suscipi: quanquam ea infirmitas fidei est in

neophytis, qui adhuc exercentur in rudimentis doctrinae Christianae percipiendis. Sed infirmitas magnorum virorum, ut Iacob et aliorum sanctorum, non est in verbo aut doctrina, sed in tentatione, quando videntur paene amisisse fidem. Ea est fides laborans, non infirmitas rudium: et tamen hos quoque suscipit et tuetur Deus, sicut hoc exemplum et alia infinita testantur. Ita vero temperat vitam sanctorum, ne superbiamus, „neve simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui vivificat mortuos", 2 Corinthiorum 1. (v. 9.). Creatoris enim opus est ditare pauperes, excitare a mortuis, erigere afflictos, et dejicere superbos. Primum igitur verbo eum confirmavit, cum juberet eum adscendere in Bethel, et addidit signum defensionis et auxilii divini, mandatum de excitando altari. Cum enim deberet aedificare altare et offerre, oportebat eum vivere. Quasi diceret: Non deleberis a vicinis gentibus, sed adscendes et offeres in Bethel. Tertio accedit factum ipsum et experientia. Incutit enim pavorem vicinis, qui fremebant et indignabantur ob caedem factam a peregrinis in vicinia et conspectu suo, ut non possent insequi filios Iacob, et senem parentem cum misera et imbelli turba: quia Dominus est dux et imperator hujus exercitus, quem ducit, et hunc confortat verbo suo: Estote forti et hilari animo. Ego dimicabo pro vobis, sine armis, sine vi: tantum perterrefaciam corda eorum, ut non ausint vos adoriri aut persequi.

Quis, obsecro, cum hoc duce ausit congredi, qui primum vincit et prosternit robur animi, quo prostrato omnes vires et membra totius corporis labascere et frangi necesse est? Nam hoc solent pe-

riti rei militaris observare, et divinare de eventu pugnae: quando sunt instructae acies contrariae, statim vident, uter exercitus sit futurus victor. In eo enim dicunt eminere singularem quandam alacritatem cum in hominibus, tum in equis. E contra qui vincendus est, in eo languida et quasi mortua apparere omnia. Hoc exercitati milites affirmant, et congruit cum sententiis sacris, quia victoria de coelo est, juxta Psalmum 144. (v. 10.): „Qui das salutem regibus". Item (ib. 33, 17.): „Non salvatur equus in multitudine virtutis suae". Quando Deus vult dare victoriam, simul etiam alacritatem et robur animis addit, wenns Gott gibt, so ists gegeben; sed cum aufert aut frangit animum hostis, illico et arma manibus excidunt. Sicut dicitur Psalm. 76. (v. 7.): „Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitaverunt, qui adscenderunt equos. Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ad hunc modum Deus consolatur Iacob verbo et opera in summa tentatione. Proficiscentibus enim ipsis ita consternati sunt vicini, ut nemo ne mutire quidem, nedum gladium stringere auderet: quia ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum, ut non possent promti et fortes esse ad dimicandum, cum essent alioqui potentissimi et bellicosissimi. Nec factum est beneficio aut dolis Simeon et Levi, sed promissionis virtute et fide, quamlibet infirma, Patriarchae et suorum.

Monet ergo nos Spiritus sanctus hoc exemplo, ut recte discamus articulum creationis, nimirum quod omnia sind in manu Dei, et adsuefaciamus atque exsuscitemus nos ad fiduciam creatoris nostri, quae

in nobis sane adhuc perexiguu et imbecillis est. Si enim firmiter statueremus, Deum esse creatorem, et te crederemus, eum habere in manibus suis coel et terram, et omnia, quae his continentur. Qu si videremus, fractum ruere orbem cum omnibus mentis, et imminere cervicibus nostris, tamen di remus: Etiam ruendo non rues, nisi Deus velit. si capiti incumberet: Nihil nocebis, nec oppri me, diceremus. Aut si sic visum est Deo, ut o ruar mole tua, fiat sane, quod bonum est in ocu Domini. In manibus ejus tempora mea. Sin ali visum est, insultabo tibi, o coelum et terra, et Turcicis et Pontificiis aliisque furoribus omnibus tius mundi.

Sic enim domui Iacob certa et extrema vasti impendebat. Neque enim vires, nec voluntas Ca naeis deerant, nec consilia, nec arma, nec ma Sed quid obstabat? Dominus inquit: Nolo. „Hucu que venient tumentes fluctus tui, et confringentur", sicut inquit Hiob (38, 11.),* et Psalm. 65. (v. 8.): „Qui compescit strepitum marium, strepitum und rum eorum et fremitum populorum. Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos, a sign tuis". Nos vivimus in ipso mari, et sicut aquae Di luvii quindecim cubitis superiores fuerunt altissimi montibus, ita etiamnum Oceanus superat terram tri um ulnarum altitudine. Sed quare non obruit nos? Quia Deus possuit terminum mari. Tument quidem fluctus ejus, et alliduntur littoribus, veluti jamjam erupturi in terram; sed cohibetur et reprimitur im petus ille divinitus.

Idem videre est in omnibus furoribus mundi tu multuantis adversus ecclesiam. Turca est instar po

lagi tumentis et turgentis fluctibus, qui si nostris viribus reprimendus esset, jam diu de nobis actum foret, quia nos Germani stertimus somno vinoque sepulti, et sumus destituti ducibus, qui sapientia, consiliis, robore animi tantis rebus gerendis pares esse possent. Ac si procederet Turca, jam dudum totam Germaniam occupasset. Nemo enim est, qui possit nos tueri, nec imperator, nec reges, nec principes, solus Deus pugnat pro nobis. Nec grassabitur in Germaniam, nisi juxta definitam Dei sententiam et voluntatem: alioqui sine omni negotio jam diu oscitantes oppressisset. Nam et principes et nobiles luxu, voluptatibus et avaritia sunt perditissimi. Quod autem servamur, id fit virtute et bonitate Dei, et hanc defensionem impetrat oratio et fides ecclesiae. Sic imperator in Belgico non progredietur, nec saeviet ulterius, quam Deus praefinivit. Haec igitur traduntur nobis in consolationem et ad fidem nostram excitandam, ut majore ardore invocemus et credamus.

Et lucet providentia et gubernatio Dei etiam in ethnicorum historiis. Hannibal potuisset potiri Roma sine omni negotio et difficultate, caesis bellicosissimis ducibus et exercitibus Romanorum. Sed reprimebatur divinitus, quod cum alii non intelligerent, clamabant: Vincere scis Hannibal, victoria nescis uti (Liv. 22, 51.); aber er sollts nicht höher bringen. Carolus regem Galliarum ingenti proelio ad Ticinum superatum cepit, anno MDXXV. Altero ab hoc Romam expugnavit et diripuit exercitus ejus: ita duos potentissimos Monarchas in sua potestate habuit. Nec defuit occasio et vires, rem praeclare gerendi adversus Turcicum tyrannum, anno MDXXXII. contracto exercitu lectissimo ab extremis oris Romani im-

perii. Verum ea non est usus, et frustra olim a captabit; quia Deus est, qui aufert spiritum principum, et est terribilis regibus terrae. Hic uno verbo aut nutu frangit animos magnorum bellatorum Pyrrhi, Hannibalis etc.

Haec est vera cognitio et fides creationis, quae doctrina diligenter meditanda et exercenda est, ut nos ad invocandum et credendum exsuscitemus. Impia enim et inanis fiducia est in munitionibus, vallis, bombardis. Et si quando Deo ita fuerit visum, ut Turca grassetur in Germaniam, non tuebuntur nos aggeres isti magno sumtu et labore congesti, nec liberatione mihi tum in hoc oppido commorari, wollt ehe hinaus kriechen. Sed quando genua flectimus, et clamamus ad creatorem nostrum, is poterit igneos muros nobis circumdare. Sicut testatur Psalm. 125. (v. 2.): „Montes in circuitu ejus et dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum". Item (ib. 34, 8.): „Angelus Domini in circuitu timentium eum". Ego odi molem istam vallorum et munitionum, quae nihil aliud est, quam perditio pecuniae et ostentatio extremae stultitiae. Id potius agendum est, ut firmiter statuamus, nos esse in manu creatoris, et non tantum nos, sed etiam hostes et Diabolos cum omnibus portis inferorum. Si enim Diabolus potestatem liberam grassandi haberet, nemo nostrum uno momento superstes maneret.

Discamus igitur fiduciam collocare in Deum creatorem et protectorem, non in munitiones, bombardas, sapientiam, potentiam. Es ist lauter Thorheit, Turca et Diaboli sine omni negotio perrumpunt et vastant haec omnia, quia Deus non vult suos in aliud quicquam confidere, quam in se. Propterea

quod

quod professi sunt hanc fiduciam in creatorem per Filium, per quem suscepit nos in gratiam, et iniit foedus nobiscum, quod est confidere, vitam nostram adversus omnes insidias et potentiam Satanae et mundi pendere a solo Deo: qui si vult me exstinctum, non opus est, ut mittat milites, sin minus, trotz allen Türken, Tod und Teufel in der Höll.

Meminerint igitur hi, qui habent promissionem divinam, confidendum sibi esse, quod Deus velit esse noster curator, defensor, pastor et pater propter Filium. Sicut testatur Christus: „Pater amat vos, quia me amastis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Si mundus vos odit, scitote, quia me prius, quam vos odio habuit". Et tamen etiam vita vestra hujus corporis peccati est in manu mea. Quare ergo trepidamus et exhorrescimus hostium minas et potentiam? quin potius laetamur in Domino, qui vocavit nos vocatione sua sancta, et docuit nos confidere et vincere in ipso?

Haec est doctrina hujus loci, quem Moses singulari diligentia annotavit, quod pavor incessit populos tam potentes, ex quibus haud dubie multi fremuerunt et dixerunt: Hanccine contumeliam vicinorum tam insignem inultam relinquemus? Num iste manipulus furum et mendicorum impune grassabitur in vicinia nostra? Sed dux castrorum Iacob est dominus exercituum et totius militiae coelestis. Sicut Elisaei famulus videbat montem plenum equorum et curruum igneorum in circuitu Elisaei, et vox Psalmi dulcissima est (91, 11.): „Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis". Et haec quidem nos vera esse scimus, et toties repetuntur in scriptura sancta, et tamen non credimus. Adeo

magna et deploranda miseria est incredulitas. Res est certissima, verba fidelia, et cor tamen non credit.

Venit igitur Iacob Luzam, quae est in terra Canaan, ipsa est Bethel: ipse et omnis populus, qui erat cum eo. Et aedificavit ibi altare, appellavitque locum illum El Bethel; ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum.

Iacob salvus et incolumis cum toto populo pervenit Luzam, quia protectio Dei et castra Angelorum in circuitu tegunt eos, ut ne ungulam quidem amittant. Vicini sunt offensi gravissime, praeda mulierum et puerorum abacta est; sed non audent mutire fortissimi et bellicosissimi gigantes. Quare? Quia Domino Deo sic placet.

In itinere autem haud dubie viduae Sichimitarum caesorum lacrymis et ejulatu orbitatem et dolorem suum significarunt; ibi Iacob moestitiam et luctum earum verbis, quantum potuit, levavit, et postea aliquae junctae sunt Patriarchis connubio. Iacob non duxit uxorem ex Cananaeis, sed filii et domestici ejus junxerunt sibi aliquas ex his. Simeon autem, Levi, Iuda et Ruben fuerunt tum conjuges. Et hac spe viduas clementer consolatus est Iacob, quod vellet eas elocare domesticis et aliis. Sicut fuit in regibus Israël oriundis ex Iacob similis clementia erga exteros. Postea enim Salmon duxit Rahab, Booz duxit Ruth, atque ita venerunt viduae istae in possessionem et societatem ecclesiae, quae fuit pulcherrima compensatio orbitatis et malorum corporalium.

Haec clementia in Iacob et in Patribus praedi-

anda est, qua sexum hunc honorifice et amanter tractarunt, ut haberent consolationem in exsilio et captivitate sua. Sic enim eas solatus est: Suavissimae filiae, feratis hanc jacturam patienter et aequo animo. Sic enim Deo placuit; ac quicquid damni fecistis corporaliter, illud pulchre sarcietur aliis spiritualibus et longe majoribus beneficiis. Non enim fuit barbarus et immanis hostis, quales Turci et Hispani sunt, sed omnibus consulere, et salutis rationem monstrare voluit. Fuit plenus fide, patientia, clementia. Et eaedem virtutes luxerunt etiam in conjugibus Lea et Rahel, quae amanter complexae sunt viduas, et studuerunt omni officio et pietate dolorem earum lenire, et adjungere sibi socias omnium beneficiorum et salutis aeternae.

Luza civitas est, antiquitus sic dicta, sicut patuit ex cap. 28. Iacob primus nomen mutat, et appellat Bethel. Supra prophetavit, quod esset ibi domus Dei; jam vero appellatio haec confirmatur divinitus, sicut Angelus quoque Iacob appellavit Israël, sed non haesit nomen illud. Ideo repetitur a Deo, ut sit perpetuum et firmum. In libris Iudicum et Iosuae exstat historia, quomodo filii Ephraim ejecerint incolas Luzae. Postea retinuit nomen Bethel. De quaestione hac, an Luza et Ierosolyma sint una civitas, supra dictum est. Omnes historiae regum testantur, fuisse diversas. Sub Abraham et Iosua Bethel, Ai et Hai fuerunt vicinae civitates. Luza autem est Bethel, et per totam scripturam ponitur in vicinia Ai. Ab Hiericho abfuit XII lapide, sicut Hieronymus testatur, et fuit in descensu ad Hiericho. Eo autem pervenit Iacob incolumis et onustus auro, argento et praeda Sichimitarum, et

[illegible]

[illegible] et summi cultus sunt, invocatio et [illegible], cui sequitur mortificatio carnis et expurgatio veteris [illegible] menti in carne nostra. Et Moses praecipue respi[illegible] ad verbum et ad salutem [illegible]. Ad [illegible] tem aedificatum consentaneum est non tantum do[illegible] mesticos Iacob, sed et vicinos accessisse. Non enim Iudaeorum tantum, sed et gentium Deus est.

Appellatio loci אל בית־אל nova et singularis est. Praeponitur enim nomen אל, quod est in ipsa compositione nominis בית־אל. Porro non ubique retinuimus propria nomina Hebraea, sed interdum appellativa fecimus in translatione Germanica. Sicut hoc loco Latinus interpres vertit domus Dei. Sed hanc vocem retinemus, quia est admodum mirabilis propter adjectum אל: cum locus antea vocaretur Bethel, hic appellat Deum Bethel. Et valde usitatum est in Hebraea lingua, ut propria nomina componantur cum nomine Dei, ut Isaia, Gabriel, Da-

el, Ezechiel, Ieremia, exaltatio Dei. In Germani- lingua pauca habemus; in Graeca plura, ut Theo- sius, Theodorus etc.

Iam vero locus iste Bethel non potest esse Deus, tamen sic nuncupatur: El Bethel. Disputamus itur cum Iudaeis de ejusmodi appellationibus prop- r locum, Ieremiae capite 23. (v. 6.) et 33. (v. 16.): Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus stitia nostra". Unde nos studemus probare et onvincere, quod germen Davidis sive Messias, de uo omnes concedunt hunc locum intelligendum es- , necesse sit esse verum Deum. Quia dicit: Hoc st nomen ejus, quod vocant eum Dominus, et po- itur nomen tetragrammaton, Iehova, quod soli Deo ompetit. Contendimus ergo, Christum, quia ha- et nomen, quod soli Deo tribuitur, esse verum eum, qui nos justificat.

Hic locus pro nobis satis firmus et fortis est, d non possumus lubricis calumniis Iudaeorum oc- rrere, quin elabantur. Objiciunt enim similia te- imonia, quibus nomen Dei etiam aliis rebus tri- uitur, sicut hic locus appellatur El Bethel, ubi l est nomen proprium Dei. Et supra 33. (v. 20.): Iacob aedificavit altare, et id vocavit Deum deo- um Israël". Non autem sequitur, inquiunt: Res abet nomen Dei; igitur est Deus. Aliud enim est abere nomen Dei, et aliud est esse Deum. Moses Exodo (17, 15.) altare appellat: „Dominus ve- illum meum", triumphus, victoria, exaltatio, cum amen altare non sit Dominus, nec victoria, nec riumphus. Talia exempla opponunt nobis, et op- ugnant locum Hieremiae.

Lyra valde sudat et sic respondet: Christus di-

citur justitia, et Dominus noster in personam. Verum aliae res aut loca non sunt persona, nec capacia hujus nominis, sed significant tantum divinum quendam effectum, qui importetur per illud nomen. Sed Iudaei nihil moventur, quin contendant, Christum esse purum hominem. Et ego sane nondum constitui, quomodo lubricae istae anguillae prehendi et teneri queant. Nobis quidem satis est, quod congruit hoc testimonium cum novo testamento, in quo manifeste dicitur, Christum esse justitiam nostram et esse verum Deum, donec ex aliis locis eos convincamus. Sed impossibile est sectis omnes vias praecludere, quin elabantur, sicut nec Christus ipse potuit Pharisaeos et Sadducaeos convincere, etiam victos.

Sic tamen respondebimus: hoc nomen de Christo praedicandum et invulgandum esse, tametsi proprio nomine non sit appellatus Iehova, sicut Iudaei calumniantur. Nomen enim ejus fuit Iesus a Nazareth, filius Mariae. Sic autem nos Christiani interpretamur. Hoc erit nomen ejus, id est, praedicabitur, celebrabitur et invulgabitur de Christo, quod sit Dominus justitia nostra. Iudaei tantum in syllabis haerent, quod non sit sic appellatus. Sed est diversa ratio hujus appellationis ab aliis, ut in Bethel et altari, quod sit Deus noster. Id enim non est nomen praedicabile, quod celebratur de altari, sed est tantum nomen literale, vel historicum et memoriale. Nunquam enim de altari dictum aut praedicatum est, quod sit Dominus noster.

Sic reliqua nomina, quae ab Isaia Christo tribuuntur, praedicativa sunt. Et vocabunt eum Admirabilis, Consiliarius, Pater futuri saeculi etc. Haec

non accipiunt Iudaei, valeant cum suis cavillationibus. Nihilominus tamen certum est, aliud esse nomen vere proprium, ut quod Christianis imponitur in Baptismo, aliud esse nomen laudis aut virtutis, quo quis celebratur.

Sed quare excitat Iacob altare? Quia revelat se ibi Deus. Vult Deo gratias agere pro edito verbo, et celebrare memoriam et confessionem revelati Dei. Id significat אֵל בֵּית־אֵל, hie wohnet Gott, sive sit domus lignea, sive lapidea. Quando sonat ibi confessio et ministerium verbi, aut laudatur et invocatur Deus, tum est templum et ecclesia, tametsi sit sub dio, aut arbore, ut sub quercu illa, subter quam defodit Iacob idola. Et hunc morem postea idolatrae secuti sunt et impii sacerdotes. Elegerunt enim amoenissima loca in montibus, vallibus, aut ad flumina et arbores, quo pertraxerunt populum ad sacrificandum sub dio, juxta ritum Patrum.

In Hebraeo autem expresse dicitur: Quoniam ibi revelati Dii. Ac tales loci diligenter observandi sunt, quando scriptura loquitur de Deo pluraliter. Sicut supra capite primo: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram". Item: „Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus". Item: „Venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum". Item: „Abraham vidit tres viros, et dixit ad eos: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum" etc. Haec loca valde insignia sunt. Testantur enim, Patres habuisse eandem cognitionem et fidem de divinitate, quam nos hodie docemus. Et ineptum est objicere, quod nusquam in veteri testamento promulgata sit doctrina de Trinita-

te, cum ex tot testimoniis manifestum sit, pios... tum statuisse pluralitatem personarum in divi... Quod vero non per singulos apices est expres... hoc mysterium, id fuit reservandum novo testam... to, ubi sunt revelationes clarissimae.

Sed Patribus non fuit inusitatum docere, qu... essent plures personae in unitate essentiae: qu... quam major pars non est adsensa, sicut nec ho... Turci et Iudaei adsentiuntur. Imo eorum, qui... audiunt, plurimi non curant nec credunt. Acci... enim eis, quod Isaias (6, 10.) de suis auditori... dicit: „Excaecatum esse cor eorum, aures aggra... tas, et oculos clausos, ne videant". Quia homi... aut cupiditatibus suis aut opinionibus dement... etiam videndo et audiendo nec vident nec audi... vivunt cum viventibus velut trunci et stipites.

Multi jam audiunt nos docentes, legunt nost... scripta, sed animis interea peregrinantibus in culi... aut alibi. Inde fit, ut, cum adstant arrectis au... bus, tamen nihil intelligant: qui est stupor quid... non naturalis, sed voluntarius, quo abducit qu... animum a rebus praesentibus, et aliena aut grati... speculatur et concupiscit. Ejusmodi corda appell... Isaias incrassata, sive limo obducta, et oculos gr... vatos, quales erant discipulorum in horto, qui no... attendebant, quid loqueretur Christus. Et talis est... maxima pars inter Iudaeos pariter et Christianos. Paucissimi serio curant doctrinam Patrum, aut fidem eorum imitantur.

Nos autem meminerimus, hic clare dici: Revelati אֱלֹהִים, plurali numero. Verbum etiam notanter ponitur: Dii detecti; significat enim apertum fieri, detegi et apparere, qualis sit, aufdecken, quod

tectum. Levitici 18, (v. 7.): „Non revelabis)itudinem patris" etc. Sic Deus factus est ei rtus, detectus, et apparuit ei, qualis est Pater, us, Spiritus sanctus in Filio incarnando, ut su- Iacob in scala vidit tres personas, et quod Deus rus esset homo de semine suo, qui benedicturus t omnes cognationes terrae. Ita dicuntur revelati , et tamen est unus Deus. Quorsum enim opus set Mosi hoc scribere, cum posset aliis verbis , nisi voluisset tantum mysterium patefactum Pa- ius describere?

Iacob autem hanc revelationem multis illustri- i concionibus celebravit. Ideo enim excitatum est ire in memoriam tam excellentis doni, quod es- ei revelata Trinitas, et incarnatio Christi, et tra- ie spirituales et corporales promissiones simul. c defuerunt, qui haec oscitantes et auribus ag- ivatis audirent. Patriarcha autem magnam lucem consolationem inde accepit, et cum evaserit peri- um, in quod a filiis conjectus fuerat, jam secu- in pace agit, et acquiescit promissionibus et re- ationibus divinis. Sed mox sequetur alia calami- ; adeo nihil est durabile in vita sanctorum, et ına sunt omnia variis certaminibus, quanquam n sine vicibus liberationum.

ortua vero est Debora, nutrix Rebec- e, et sepulta est ad radices Bethel, sub- r quercum. Vocatumque est nomen loci illius: Quercus fletus.

Haec tentatio aliquanto levior et tolerabilior est, am ea, quae sequitur ex obitu Rahelis. Sed oraum attinuit scribere et exstare hujus aniculae

mortem? Ideo, ut sciremus, vitam et omnes actio- nes sanctorum nostris fuisse simillimas. Fuerunt illi quidem homines pleni fide, sed interdum tamen vehementer infirmos sese praebuerunt in tentationibus, nobis in consolationem, ut non desperemus in infirmitate nostra, cum eadem carne induti fuerint, quam nos hodie circumferimus. Antecelluerunt nos donis, sed in communione gratiae et salutis, item defensione Dei aequalitas est. Introducitur autem Debora nutrix ut mulier sancta, et admodum cara Patriarchae Iacob, quod fortassis et aetate, et singulari pietate ad confirmandum ipsum in gravissimis tentationibus fuerit aptissima. Ideo luget Iacob ejus mortem, et a fletu appellat quercum, subter quam conditur.

Atque haec quoque causa fuit, cur mors Deborae commemoraretur, ut ostenderet scriptura sancta, Patriarchas non fuisse truncos et stipites, sive homines ἀστόργους, quales Monachi fuerunt. Nam hi laudi sibi ducebant contemtum parentum, fratrum, sororum, et abutebantur dicto Christi: „Qui non odit aut relinquit patrem et matrem" etc. Inde fingebant singularem et evangelicam sanctitatem, si odissent et contemnerent parentes. Verum hoc quid aliud fuit, quam suam ipsius carnem et universum genus humanum odisse? quemadmodum alicubi refertur de quodam, qui non potuerit ferre ullius hominis conspectum.

Sic illi docebant: Qui amat conversationem cum hominibus, non poterit frui consuetudine Angelorum. Hanc enim vitam solitariam Angelicam dicebant. Sed revera Satanica fuit; quia ademerunt hominibus affectus conditos a Deo in natura humana

Deus non vult, ut proprio consilio et temeritate sine vocatione urgente contemnas aut relinquas patrem et matrem: sicut Hieronymus hortatur ingressuros coenobia; id enim electicium opus est. Sed si tyrannus aliquis velit te cogere ad abjiciendam confessionem sanae doctrinae, aut ad eam rem te adigant parentes, tunc jubet te vitam et fortunas in discrimen adducere, et relinquere potius parentes, quam confessionem verbi. Ibi locus est huic dicto Christi. Quando aut negandus est Deus, aut deserendus pater, tunc dicendum est patri et matri: Nescio vos, non habeo patrem aut matrem. Idque faciendum est non electione propria, sed vocatione divina urgente.

Haec dico propter historias, aut ut vocant, vitas Patrum superioris saeculi, in quibus multi tales furores et haereses reperiuntur. Sed scriptura sancta ita describit sanctos, quod sint homines parati ad omnis generis pericula et omnium bonorum desertionem. Sed ubi necessitas non postulat, pleni sunt στοργαῖς et affectibus, quos Deus indidit naturae, ut amore conjugum, liberorum, propinquorum, misericordia erga calamitosos etc. Sic enim Patriarcham Iacob pinxit Moses amantissimum uxorum et liberorum, quibus nihil est carnalius. Scribit, eum flevisse et doluisse propter obitum hujus sanctae mulieris Deborae. Sed in his affectibus cor fuit subjectum voluntati divinae, et paratum ad obedientiam in vocatione. Sic alii homines morte amicorum, propinquorum, multo magis conjugum aut liberorum vehementer commoventur, nec est peccatum, sed sunt boni affectus et στοργαὶ φυσικαί, quando pater flet defunctum filium, luget conjugem

omnium. Ibi non est reprehendendus. imo contra vitium ἀστοργία a Paulo damnatur. qui vult a flere cum flentibus, et gaudere cum gaudentibus, hoc est, affici aliorum adversis aut secundis reb.

Cum audio. Turcas crudelissime saevire in sanguinem Christianum. parvulos affigere palis. matribus ad infandam turpitudinem abripi. decet profecto me ingemiscere, et ad tantam immanitatem humanus animus non potest non vehementer commoveri. Sed objiciet Stoicus aliquis: Tu es delicatus martyr, ploras et lamentaris muliebriter. virum fortem decet ista contemnere: quid ad nos. quod rapiuntur virgines et mulieres ad stupra et caedes. Imo haec insania et furor est, non fortitudo. Quid enim possit dici aut cogitari alienius ab omni humanitate, quam aliorum calamitatibus, et quidem tam atrocibus, non affici? Non est pium aut Christianum, ridere in aliorum periculis, ut cum videmus induci aliquos in errorem, aut Caesarem et Turcam crudelius grassari, Pontificem tot millia animarum in exitium aeternum praecipitare. Ibi decet me esse hominem, et humani a me nihil alienum putare, ut ille inquit apud Comicum (Ter. Heaut. 1, 1, 25.), multo magis vero Christianum, commoveri communibus malis et interitu tot corporum et animarum. Et Christus ipse praecipit φιλοστοργίαν, cum ait (Luc. 6, 36.): „Estote misericordes sicut pater vester coelestis misericors est"; et Paulus, Rom. 12, (v. 13.): „Necessitatibus sanctorum communicantes".

Detestandum igitur est ἄστοργον illud Monachorum genus, ab omni pietate et societate generis humani alienissimum. Si enim eos imitari, et e con-

ectu hominum in angulos se abdere omnes volent; is praeerit aliquanto post ecclesiae, reipublicae, conomiae? Deus nos in hunc mundum vocavit collocavit, non extra mundum. Et Ioannes Bapta et Christus ex eremo vocantur ad docendum et raedicandum in mundo. Eodem autem pertinet escriptio sanctissimorum Patrum, quae testatur, eos uisse homines φιλοςόργους, amantes communis soietatis, et affectibus tenerrimis erga suos et alienos raeditos. Impium enim et inhumanum est non condolere et collacrymari aliorum miseriis, aut eorum esiderio affici, qui ex hac vita decedunt, cum fueint nobis in vita carissimi. Videmus, quam tristis t acerba sit Patriarchae Iacob hujus optimae muieris mors, cujus sermonibus et consolationibus xistimo eum recreatum non nunquam in summis angustiis. Habent enim mulieres sua dona, et Deus saepe hoc sexu usus est ad ingentia miracula exhibenda. Sicut Agatha, Anastasia, Agnes, Lucia, etiam magnorum virorum legendas obscurarunt fide et constantia in confessione et martyriis. Spiritus sanctus accendit et roboravit corda ipsarum *), ut riderent tormenta et cruciatus atrocissimos.

Ita hanc Deboram judico fuisse sapientem et piam matronam, cujus opera et consiliis usus est Iacob ad regendam familiam, et in magnis periculis et difficultatibus voce et consolationibus ejus saepe acquievit. Solet enim singularis quaedam gratia esse in mulieribus amantibus pietatis ad consolandum, ad fovendum, ad mitigandum dolorem, et fere magis afficiunt colloquia mulierum, quam virorum. Ideo addidit Deus in Paradiso Hevam sociam Adae,

*) In editt. vett. ipsorum.

non tantum ad operas oeconomicas obeundas, s
etiam in solatium communium aerumnarum.

Fuit autem grandaeva Debora, et loco m
in familia habita, quia fuit nutrix Rebeccae, e
nomine cum ipsi Iacob, tum nepotibus carissima;
enim fovit ipsa, et curavit suavissime, et solet
jor στοϱγὴ esse aviarum erga nepotes, quam
trum, propterea quod amor in illo affectu desc
et descendendo praeter communem rationem fit
dentior. Aetas ejus ex supputatione annorum fa
potest colligi, cum fuerit nutrix Rebeccae. H
enim anno Iacob est CVI. annorum ad minim
Mater ejus Rebecca trigesimo anno nuptum
est Isaac quadragenario. Is anno aetatis suae LX
genuit Esau et Iacob; Rebeccae autem L. His
jungantur anni CVI. a nativitate eorum usque ad h
tempus, prodeunt CLVI. anni Rebeccae, quos a
cessit nutrix quadraginta circiter annis. Habuit i
tur tum CLXXXVI. vel CXC. annos. Propter a
tatem autem et alia dona a tota ecclesia et famil
reverenter culta est. Vidit enim et audivit summ
Patriarchas longo tempore: Sem amplius C. ann
cum quo vixit Iacob quinquaginta, Rebecca C; n
trix CXXX. Talis matrona fuit instructa doctrin
et exemplis plurimarum rerum; ideo merito lo
aviae eum habuerunt.

Verisimile est, et Rebeccam hoc tempore, vel
paulo ante e vivis excessisse, forsan aegritudine ani-
mi et curis confectam, tametsi ejus obitus nulla fit
mentio. Apparet autem, exactis annis servitutis Ia-
cob missam esse Deboram ad revocandum Iacob ex
Mesopotamia, sicut promisit Rebecca supra 27.
„Postea mittam, et adducam te inde" etc. Fuit

oriunda ex Syria, addita comes Rebeccae a
et matre sua, cum elocanda esset Isaac, supra
Mansit itaque aliquandiu cum Iacob, ut ipsi
niliae solatio et recreationi esset. Postquam
redeunt domum, moritur in itinere. Et te
monumentum in quercu, cui nomen indit a fle
cob et familiam in magno luctu fuisse, lacry-
ie dolorem suum testatos, quod ideo recitat
us sanctus, ut sciamus, fuisse eos homines
ιτόργους, et impium esse, aliorum calamitati-
on affici, non dolere, non flere. Nam ne be-
quidem hoc affectu carent. Proinde in signum
entiae, amoris, desiderii optimae nutricis ap-
locum sepulturae quercum fletus, ut signifi-
se cum tota familia suavissimam nutricem la-
s et luctu prosecutum esse. Libentius eam do-
ad parentem Isaac reduxissent; sed Deo aliter
i est. Discamus ergo, gaudendum esse cum gau-
bus, flendum cum flentibus, ne fiamus stipites
unci, qualia exempla multa exstant in vitis Pa-
, qui extra vocationem in loca deserta se subdu-
t a consuetudine et cura rerum humanarum.

sus apparuit Deus Iacob, postquam
rsus est de Mesopotamia Syriae, be-
xitque ei, dicens: Nomen tuum est
b. Non vocaberis ultra Iacob, sed Is-
erit nomen tuum. Vocatumque est
nomen ejus Israël.

Saepe dictum est, Deum subinde erigere et
lari sanctos, nec pati, ut supra vires tententur.
repetit et confirmat jam promissionem supra
m, capite 28., ubi apparuit ei in somnis, in
. Idque ideo, ut leniat dolorem et moestitiam

ejus, qua fuerat affectus ex obitu Deborae. Vita enim sanctorum nihil aliud est, quam descensus ad inferos et adscensus, si quidem lux et tenebrae, tentatio et consolatio sibi mutuo succedunt. Nondum autem defunctus est Patriarchà omnibus malis, sed restant longe graviora ferenda. Itaque confirmatur divinitus cum ad praesentes, tum ad futuras calamitates majore animo ferendas.

Porro diserte hic dicitur, Deum apparuisse Iacob; initio autem hujus capitis tantum, dixisse: Surge, adscende etc. Haec duo videntur aliquam habere differentiam. Potuit enim Deus loqui per Isaac patrem, vel per Deboram nutricem, quam non frustrà celebrat scriptura sancta, quod fleverit eam Patriarcha Iacob. Et verisimile est, fuisse sapientissimam matronam, et prophetissam plenam Spiritu sancto, quae de multis rebus monuerit Iacob. Quae autem loquuntur sancti, ea Deum ipsum loqui sentiendum est, ut cum docemus evangelium, cum baptisamus, aut vocamus ad ministerium verbi, et ordinamus ministros, non concionamur, non baptisamus, nec ordinamus ipsi, sed Deus loquitur per nos. Ideo vocatur Dei verbum, Dei sacramentum, Dei ministerium. Et recte dicitur: Deus loquitur, Deus baptisat, quando id facit per ministros, si quidem omnia ea tribuuntur Deo, quae dixerunt sancti homines.

Exempli gratia, Adae haec verba sunt: „Nunc os ex ossibus meis“. Item: „Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae“. Et tamen Christus inquit, Deum dixisse. Quando igitur loquimur verbum Dei, non pro verbo hominis id accipiendum est. Et hoc modo verisimile est jussum

esse

esse Iacob adscendere, sine apparitione, tantum spiritu Prophetico, sive per Isaac patrem, sive per Deboram, quae plena Spiritu sancto consuluit, ut fugeret de Sichem. Hoc loco autem sic dicit scriptura sancta: Apparuit Deus Iacob, scilicet, Christus ipse in specie Angeli. Ea fuit manifesta apparitio, et longe alia, quam cum per hominem loquitur.

Mortua igitur Debora, optima monitrice et consolatrice, exstincto organo prophetiae, Deus succedit in locum ejus, et non deserit Iacob, sed ipse apparet, postquam Debora disparuit, ut accedat nova apparitio ad eas, quas supra habuit, praesertim in scala, quia videt, Iacob lugere et lamentari ob amissam optimam Prophetissam, et valde amanter eum alloquitur. Benedictio autem intelligenda est de spirituali, de futuro semine, quia corporalis tantum data est propter spiritualem, sicut tota haec vita vivitur eo fine, ut baptisemur, ut credamus, ut sanctificemur et salvi fiamus. Haec est ordinatio Dei in parentibus, doctoribus, ministris, qui ad hunc finem condidit ministerium totius creaturae, etiam Angelorum, ut regnum Dei adveniat, nomen Dei sanctificetur, nosque salvemur et haereditatem vitae aeternae consequamur.

Itaque principaliter includitur benedictio spiritualis, cujus exspectatione et fide vult eum niti: quasi dicat: Bono animo esto. Etsi enim omnes morerentur, tamen ego vivo, et ideo tibi moerenti et flenti repeto promissionem meam, ut certo statuas, venturam posteritatem et semen benedictum ex carne tua, sicut promisi Abrahae et Isaac. Et ut certum pignus et testimonium voluntatis divinae habeat, mutat nomen Iacob, et nominat eum Israël. Quae

mutatio nominis ostendit, Deum non de rebus vulgaribus, sed maximis et singularibus cum eo agere. Usitatum nomen est, quod sortitus est ex nativitate carnali per parentes. Id vero insigne est et plenum consolationis, quod novum imponit.

Sicut nos nascimur in hanc vitam filii et filiae parentum carnalium, et, ut Paulus (Ephes. 4, 3.) inquit: „Filii irae", afferentes nobiscum nomen peccatricis et corruptae naturae vitio originis. Sed quando baptisamur, tum novum nomen adipiscimur: non amplius vocatur baptisatus filius Ioannis aut Petri etc. quanquam inter homines in hac civilis vitae consuetudine his nominibus opus est: sed coram Deo mutatur et aboletur, et novo nomine ex Baptismo et inde appellatur Christianus. Id nomen admonet nos de Baptismo, quem in quotidianis tribulationibus exerceri, et effectus suos producere oportet, ut crescamus in novum et perfectum virum, atque ita nomen Christianum perficiatur, donec nomen et Adam vetus aboleatur.

Notandum igitur est, quod Deus ipse indit Patriarchae Iacob nomen, quo novo nomine constituitur differentia inter carnem et spiritum. Israël enim divinum nomen est, et Deus habet diversam rationem nominandi ab ea, quae usitata est parentibus, cognatis, vicinis, patriae, conditioni. Sed singulare nomen est, quo appellat et agnoscit nos Deus. Sicut ad Mosen inquit: „Te ipsum novi ex nomine", Exodi 33. (v. 12.). Et huc respexit Paulus, cum ait (Rom. 9, 6.): „Non omnes, qui ex Israël sunt, i sunt Israëlitae. Non omnes sunt Israëlitae, qui descendunt ex carne, et nomen Israëlis gerunt"; sed veri Israëlitae sunt spirituales, et habent nomen spi-

ituale a Deo impositum. Sicut copiose et erudite l explicatur Rom. 9.

Hoc autem vult Deus dicere: Hactenus nondum evelavi tibi nomen tuum, quo apud me nominaris, ed sivi, ut paterno nomine et juxta carnem vocareis. Iam vero nomen tibi impono secundum ea, quae ecum egi, sicut mirificavi te, non tanquam filium arnis, sed sicut duxi, gubernavi, afflixi, purgavi et inctificavi te multis vexationibus, ut facerem te noam hominem et creaturam novam, jamque novum omen, non carnis, sed spiritus tibi imponerem.

Etymologia vocabuli supra exposita est. שָׂרָה gnificat confligere, vel potius vincere, superare. on multum ab eo differt Iacob; nam id quoque applantatorem, hoc est, victorem sonat. Sed hic icit, eum superare Deum: Tu eris victor Dei. Idae commune nomen est omnibus Christianis. Non lum enim victores sumus Diaboli, peccati, mortis, ominum et hujus vitae, sed etiam Dei. Quia ipse romisit, se nobis opitulaturum, imo donavit se nos. Absque hoc si esset, non essemus victores Dei. uia autem noster est per promissionem, et dixit: ro Deus tuus, confide etc., inde fit, ut evadamus ctores Dei.

Data enim promissione simulat, se esse a nobis ienissimum, sinit nos tentari, et simpliciter abscont faciem suam, tanquam oblitus sit omnium proissionum. Ibi tum petendum, quaerendum, pulndum est. Et cum videmur nobis adhuc negligi succumbere, perseverandum est et instandum in de, in oratione et patientia. Ad hunc modum vinmus Deum, non deserentes promissiones seu Deum omissorem. Et in ista perseverantia orationis et

fidei fit Deus nobis ex abscondito apparens, com-
lans et faciens, quae volumus, sicut scriptum est
(Ps. 145, 7.): „Voluntatem timentium se facit".
Item (Joh. 15, 19.): „Si manseritis in me, et verba
mea manserint in vobis, quodcunque volueritis, pe-
tetis, et fiet vobis". Haec vere Israëlitica sunt
victricia Dei, quibus superatur Deus. Requiritur au-
tem hoc, quod Christus addit: „Si manseritis in me,
et verba mea in vobis manserint". Item (Ioh. 14,
13.): „Qui diligit me, sermones meos servabit, et
et veniemus ad eum, et mansionem apud eum facie-
mus". Tum enim est victus Deus, et tum consti-
tuit et pronuntiat nos Israëlitas, cum propter fidem
in promissionem nos exaudit et servat.

Tales autem non sunt carnales Israëlitae; neque
enim possent hoc praestare, quod requiritur ad Israë-
lem, qui ideo est victor, quia est, ut ita dicam,
mansor in verbo, et perseverans in petendo, quae-
rendo, pulsando, instando. Hanc ergo constantiam
et victoriam Deus tribuit Iacob, et sic eum alloqui-
tur: Satis diu multumque exercitatus es, saepe ab-
scondi faciem meam a te. Sed quia tam firmiter
adhaesisti promissioni, coactus sum tibi cedere, te
exaudire et juvare, et jam Israëlem te et victorem
Dei pronuntio et declaro. Non quin multo ante ta-
lis fuerit; sed in consolationem Iacob hanc gloriam
ejus nunc manifestat. Supra enim Prophetice dictum
est: „Non ultra vocaberis Iacob" etc. Sed hic im-
pletur et invulgatur Deo ipso apparente. Talis fui-
sti hactenus, inquit, nunc etiam sic vocaberis.

Iam vero oritur quaestio: Quare dicat Dominus,
eum ultra non appellandum esse Jacob, cum tamen
a Mose, ut in hoc capite et omnibus Prophetis pro-

e nominetur Iacob et Israël? Lyra praeter rem
tat de vita activa et contemplativa, et dicit,
er vitam activam appellari eum Iacob, quod
lcet passiones carnis; Israël autem propter spe-
vam, quia jam videat Deum. Quamvis non af-
hanc etymologiam vocabuli, quam Eusebius et
matici habent, Israël, hoc est, vir videns
. Sed quasi directum ad Deum interpretatur,
, versantem cum Deo in jucundis speculationi-
t contemplatione futurae vitae, de qua re alle-
regorium. Sed omitto ista; opinor enim, ne
quidem Patres, quae docuerunt de duplici vi-
ntellexisse. Monachi enim appellarunt vitam
m, quae consistit in frenandis cupiditatibus et
dis moribus externis per jejunia et maceratio-
arnis, per habitum sordidum et similia; quod
cus ille Monetarius entgroben dicebat, hoc
emendationem vitiorum crassiorum. Ethnici
iam disciplinam appellarunt, quae est utilis et
aria in hac vita, praesertim primae aetati,
opus habet institutione et doctrina, ne fiant
as barbari et inculti, et ad omnia officia com-
vitae inepti.

ed theologice activa et speculativa vita multo
definienda est. Ea enim praesertim hoc tem-
talis est, da einem die Augen uber gehen.
sunt jucundae speculationes et consolationes,
Monachorum erant. Sed qui vult esse Israël,
cere Deum, eum oportebit versari in his exer-
de quibus antea diximus: videlicet in peten-
uaerendo, pulsando, retinendo verbum et pro-
nem. Haec vere est vita speculativa piorum,
ficit ratio et imaginatio, mortificatur sensus et

intellectus cum omnibus viribus., et vivit homo in verbo Dei. Sicut scriptum est, Deut. 8. (v. 3): „Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum Man, quod ignorabas tu et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini“.

Aliae speculationes Monachorum sunt imaginationes frigidae, mortuae et periculosae, quia produnt ex proprio arbitrio et ratione, sine verbo et promissione. Ideo fugiendae sunt. Et qui volet tuto et feliciter de Deo speculari, non faciat id sine verbo, sed apprehendat Filium incarnatum, incipiat a praesepio et fasciis, quibus involutus est, donec veniat ad adscensum in coelum. Ita fide accipiet, et manebit in verbo et promissione data. Novi quosdam, qui gloriabantur de suis speculationibus, quarum suavitate ita capti essent, ut viderentur sibi quodammodo rapti et sublati in coelum. Tales ego non amo, nec unquam mihi exoptavero; quia sunt sine verbo, et qui eos sectantur, sunt homines ignari legis et evangelii.

Vera autem speculatio, quae facit Israëlitam, est mortificatio omnium virium, quae sunt sensuum et rationis nostrae, et haerere in sola fide et exspectatione promissionis. In agone mortis verus usus harum speculationum conspicitur; tum enim nihil consilii, nec auxilii sentimus. Necessaria ergo est speculatio, id est, apprehensio puri et solius verbi, abstracta a sensibus, juxta sententiam: „Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum“ (Ioh. 8, 51.).

Activam vitam constituit et ordinat lex Dei, non traditiones Monasticas, sed ea, quae sunt vocatio-

nostrae in externa vita. Considerent singuli, in genere vitae versentur, et in eo serviant suae tioni, et diligenter exerceant officia mandata in logo. Postea in tentationibus fies Israëlita, retilo et exercendo fidem in promissionem. Sicut lecalogo fuisti Iacob, ita eris Israël in promisibus, quae urgebunt te ad invocationem. Cujus nsigne exemplum est Cananitis, Matth. 15., quae herrime exercetur in vita speculativa. Et ita inut nulla atrocitate verborum patiatur se repelli. diu pulsat et impellit fores, donec Christus tur cedere, et cum insigni praedicatione fidei erseverantiae eam exaudire.

Ad hunc modum recte docetur de doctrina et ulativa vita, si discernantur juxta decalogum et nissiones, quod Monachi non intellexerunt. Degus enim monstrat unicuique opera vocationis . Tentationes autem non docent intelligere degum, sed Deum apprehendere fide, non jactare ta et promissiones, sicut Pharisaeus, Lucae 18, pud Isaiam (58, 3.): „Quare jejunavimus et non existi nos"? etc.: quia haec gloriatio damnata ı Deo. Extra promissiones possum eorum, quae feci aut passus sum in persecutionibus, memi-. Sed non ad exemplum Monachorum, qui int meritum vitae aeternae in operibus. Atque ex Patribus repetenda putavi, ne videamur eoscripta prorsus abjecisse: non enim negligenda, legenda sunt cum judicio. Lyra et Gregorius videntur intellexisse, quid sit activa aut conlativa vita; utrunque enim collocant in Monacaeremoniis et traditionibus. Sed actio main decalogo, contemplatio in promissione. Ia-

cob sit conculcator in lege et in promissionibus Israël.

Sed redeo ad quaestionem, quare non retinuerit Moses aut historiae sequentes ubique appellationem Israëlis? Respondeo: Deus loquitur de principali nomine, scilicet de promissionibus, in quibus Iacob exercitatus et exercendus erat. Praecipue et proprie propter has debet esse et dici Israël. Iacob autem vocatus fuit communi consuetudine hominum et propter opera. Id non est principale nomen, imo opera, quae faciunt pii secundum legem, non sunt principalia, licet ad hanc vitam requirantur, et sunt Iacobitica. Deus utrunque exigit, ut credamus et operemur, atque ita Israëlitae et Iacobitae simus. Sed a fide et promissione denominamur potissimum Israëlitae: ab operibus autem, quod obedimus magistratibus et parentibus, quod honeste et caste vivimus etc., Iacobitae. Quae obedientia cum sit imperfecta, non justificat, sed est necessaria tanquam fructus; fides autem apprehendit immaculatam et irreprehensibilem justitiam Filii Dei, quae facit Israëlitas.

Haec de benedictione spirituali, quae imponit nomen Iacob a fide, qua apprehendit benedictionem hanc. Quae sequuntur, ad corporalem pertinent.

Dixit vero ad eum Deus: Ego sum Deus omnipotens, cresce et multiplicare, gentes et gentium congregatio ex te prodibit. Reges de lumbis tuis egredientur, terramque, quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi, et semini tuo post te.

Est repetitio praecedentium promissionum in

onsolationem Iacob. Et congruunt fere singulae res t verba cum superiore historia, cum datur circumisio Abrahae, ubi et ipsi, et Sarae mutatur nomen. Et, eandem appellationem שַׁדַּי usurpat Deus, qua ic usus est: ejus quoque explicationem ex superioibus require. Quare autem dicat, nascendos esse eges ex lumbis ejus, et postea tamen, cum petit opulus, sibi dari regem, gravissime á Deo reprehenditur, non est hujus loci disserere. Addit: Et emini tuo post te, ne quis de certitudine promisionis dubitet, cum constet, Abrahamum et Iacob uisse peregrinos in hac terra, et ne vestigium quidem pedis in ea, tenuisse praeter portionem Sichem, quam arcu et gladio suo possedit Iacob; ut infra dicet. Exponit igitur promissionem, quod daturus sit terram hanc posteritati Iacob. Nam id quoque pater sibi jure vendicat, quod filio datur; interea autem acquiescit promissione longe meliore de Israëlitico nomine. Deus enim erat terra et possessio ejus, et sic mitigatus est dolor ex stupro Dinae et obitu Deborae. Sed restant graviora.

Adscendit itaque Deus ab eo, in loco, ubi loquutus fuerat cum eo.

Sancti Patriarchae assidui et diligentes fuerunt docendo et orando, et his exercitiis tribuerunt quotidie matutinum tempus; praesertim vero Sabbato convenit populus ad concionem et ad communem invocationem ecclesiae. Post dimissam concionem oravit Iacob solus, oculis in coelum sublatis, et meditatus est in verbo. Ibi apparuit Deus, et non per Isaac patrem aut Deboram locutus est, sed praesens adfuit, ut supra, cum diceret: „Vidi Domi-

num facie ad faciem". Fuit talis visio, qualis antea in lucta, nisi quod intellexit, esse Deum ipsum qui loquebatur, quod in lucta non perspiciebat statim. Et fuisse revelationem divinam, Moses ipse testatur, cum inquit: „Adscendit Deus ab eo".

Posuit autem Iacob statuam lapideam in eodem loco, in quo cum eo loquutus fuerat, libans super eam libamen, et fundens super eam oleum. Vocavitque nomen loci illius, in quo Deus fuerat cum eo loquutus, Bethel.

Notanda est singularis celebratio hujus loci prae aliis; Jam enim tertio vocatur Bethel; sollt aber das nicht Pseudoprophetas und idolatrias machen? Hierobpam sane abusus est ista celebritate, et totius cultus divini religionem eo convertit. Quamobrem Hoseae, et Prophetis, coaetaneis tantum certaminum et difficultatis fuit in damnanda et abolenda idololatria in Bethel. Et adimebant loco tam augustum nomen, et appellabant Bethaven, hoc est, domum doloris et afflictionis, et tamen parum proficiebant. Objiciebant enim Pseudoprophetae piis sacerdotibus et Prophetis: Quid est, quod gloriamini de templo Ierosolymitano? Legite Genesin, ibi invenietis, Deum apparuisse Iacob hoc loco, et propterea dictum Bethel et El Bethel. Quid posset afferri certius et firmius? Ac videtur sane argumentum insolubile. Quid est, quod opponitis Mosen aut novum mandatum Salomonis? An putatis, eos potuisse aut voluisse ex loco tam sancto transferre cultum in Ierusalem? Hic enim Abraham, Isaac, Iacob Patriarchae sacrificarunt, et laudanda est pietas regis Hie-

roboam, qui fuit religiosissimus rex, et ad eundem locum reduxit populum, quem Patriarchae celebrarunt, ad quem Deus ipse descendit, quem approbavit, et ubi locutus est Patribus.

Haec fuit tum occasio et causa persequendi et trucidandi pios doctores et Prophetas, sicut Amasias acerbe objurgat Amos: „Fuge, inquit, in terram Iuda, et comede ibi panem, et prophetabis ibi, Et in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia sanctificatio regis est, et domus regni“ (Amos. 7, 12. 13.), id est, domus Dei est, quam fundavit rex Hieroboam.

Vera autem solutio ad objectiones illas speciosas Pseudoprophetarum haec fuit: Locutus est Deus cum Patribus suo tempore et suis locis; sed postea clare per Mosen dixit: „In quocunque loco memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, et benedicam tibi“. Non in quolibet loco, monte, prato, flumine, sed ad illum locum respicias, quem elegerit Dominus. Ac propterea dedit tabernaculum, altare, sacerdotium Leviticum, ut ad ea alligaret mentes hominum, et idem Prophetae diligenter inculcarunt, sed frustra, propter maximam illam speciem, quam habebant idolatrae ex cultu Patrum, et celebritate hujus loci. Quin amplius colligebant: Si Bethel est locus sanctus, ergo eadem ratione Gilgal, Mizpa, Silo, Thabor sancti sunt, ubi res praeclaras gesserunt Patres. Inde infinita multitudo idolorum, ut apud nos peregrinationum, orta est, quia nolebant respicere ad praeceptum Mose, qui tabernaculum et caeremonias alias jussu divino ordinaverat, et propterea tabernaculum מוֹעֵד appellabat, hoc est, certum, statutum et fixum, ut animos errantes ad certam rationem cultus divini deduceret.

Porro Iacob, postquam erexit lapidem, eundem ritum servat, quo supra usus est; fundit enim oleum desuper, ac fortassis eundem lapidem accepit. Libatio autem est liquidorum, ut vini praecipue et olei. Fuit ritus initiandi et ungendi, postea a Mose etiam receptus; is enim ungit sacerdotes et vestes etc. sicut Iacob lapidem ungit, ut sit locus consecratus et dicatus Deo, in quo conveniret ecclesia ad audiendum verbum Dei, ad invocandum, ad agendas gratias. Mysterium omitto. Haec benedictio corporalis est et constitutio ecclesiae, et credo, Patriarcham Iacob plus fecisse hoc loco, quam scripsit Moses. Supra enim votum fecit, se oblaturum decimas, si rediret incolumis; ideo puto, eum dedisse decimas filiis Eber ad conservationem ecclesiae.

Et profecti sunt de Bethel; cumque abessent jugerum arvi ab Ephrata, peperit Rahel, et ob difficultatem partus periclitari coepit. Cumque sic graviter haberet in partu suo, dixit ad eam obstetrix: Ne ti- ... meas, nam et hunc habebis filium.

Vocabulum כִּבְרַת unum est ex illis, quae nec Iudaei, nec nos intelligimus. Et tota lingua multo esset obscurior, si nos Christiani Latina et Germanica translatione Bibliorum eam non illustrassemus. Judaei enim cum dubitant de vocabulo, aequivocant, et multiplicant significationes, et magis obscurant suis glossematis. Certant igitur grammatici etiam de hac voce, et adhuc sub judice lis est. Hieronymus satis copiosus est, licet male interpretetur. Ait, per LXX. interpretes redditum esse: hippodromum, hoc est, locum, ubi certatur cursu equorum, cum

nulla sit ratio etymologiae. Nec intelligo, quid voluerint, nisi hoc fortassis, quod tantum intervallum fuerit loco partus Rahel usque ad Bethel, quantum sit spatium hippodromi: ein Rofslauf weit.

Rabbini alii aliud afferunt. Alius compositam, alius simplicem vocem facit. Qui compositam esse volunt, deducunt a כ, adverbio similitudinis, et בְּרַת, quasi בְּרַת terrae, id est, spatium terrae ad veniendum in Ephrata: sed nondum est expressum, quantum sit. Alii deducunt a בִּרְיָה, quae vox 2 Samuelis 13. (v. 5.) ponitur de Thamar et Ammon, et significat cibum seu offam, quasi diceret, spatium terrae unius jentaculi, quo quis deambulet mane usque ad tempus offae, hoc est, quarta parte milliaris, aut circiter. Haec etymologia, si nulla alia probanda est, mihi maxime placet. Alii absolute mensuram exponunt, sed non definiunt spatium. Hieronymus derivat a בָּחוּר electus; dicit, significare anni tempus electum, vernum scilicet, cum est formosissimus annus, ut poëta ait, et homines transeuntes per viam carpunt flosculos ex campis et agris vicinis. Sed haec nihil ad mensuram, quam voluit significare Moses. Sequor igitur eos, qui exponunt spatium jentaculi usque ad Bethlehem: Ein klein Weglein, das einer möcht lüstig zu der Suppen werden.

Iam tentationem videamus, quae sequitur pacem et securitatem conscientiae, quam adeptus est Iacob ex apparitione et promissione divina. Sed nondum integre explicare possumus hunc locum, donec venerimus ad cap. 48; ubi Iacob significat, se hoc tempore non intellexisse verba promissionis, quanquam plena essent consolationis. Hujus obscuritatis cau-

sae sunt sequentes tentationes; promittitur enim benedictio et posteritas: „Cresce et multiplicare": et tamen contrarium in speciem et diversum fit ab eo, quod promittitur. Ideo differemus tractationem usque ad caput 48., ubi primum discet Iacob experientia, quomodo intelligenda fuerit promissio. Nunc eo acquiescit, quod Deus ad ipsum descendit, et promisit consolationem et auxilium; sed quomodo intelligere debeat, experietur infra.

Post apparitionem animo tranquillo reditum ad patrem parat, et jam appropinquaverat ad Hebron. Bethel enim sita est inter Ierosolymam et Hebron, quae distant invicem circiter sex milliaribus Germanicis. Abest Iacob ab Hebron trium aut quatuor milliarium spatio. Et verisimile est, eum relictis gregibus ac tota familia praecessisse et properasse ad patrem, paucis comitibus sibi adjunctis. Dum ergo tendunt ab aquilone et Bethel versus Hebron, accidit haec insperata et prorsus contraria promissioni calamitas, cum propemodum esset in limine paternae domus. Ferebat secum gaudia et consolationem ex promissione, ipsamque conjugem dulcissimam et gravidam gestiebat ad patrem adducere, et hujus conspectu eam exhilarare; in hoc itinere parturit, et superata laboribus partus extinguitur.

Num haec consolatio est, an benedictio, aut multiplicatio, eripere primariam et dilectissimam uxorem, quae optime instituta et morata fuerat, et administrationis oeconomicae peritissima? Nam domi apud patrem Laban ad operas domesticas et curam pecuariam adsuefacta suo etiam labore parce et duriter sibi victum cum marito quaesierat. Orbatur itaque Iacob fidelissima socia, quam sperabat se col-

aturum in domo patria, in gremio grandaevi pa-
i Isaac, praesertim gravidam, ut exhilararet se-
ctutem parentis pulchra prole. Ipsa quoque ex
imo videre socerum optavit. Sed subito omnes
es et gaudia concidunt, et plurimum suavissimo-
m desideriorum et exspectationum in Iacob, Isaac
Rahele fallitur.

Estne hoc crescere et benedici a Deo? Imo ma-
lictio pessima est, aber unser Herrgott hat ein
braische Sprache, das hinderst zuforderst, priores
ssiones, posteriores glorias. Oportet crucem et
ssionem praecedere, juxta illud, 1. Petr. 1. (v. 11.):
Praenuntians eas, quae in Christo sunt passiones,
posteriores glorias". Et ad Mosen dicit Domi-
ns: In novissimo intelligetis consilium meum, sicut
cob infra in Aegypto intelligit novissima revivis-
nte Ioseph, quem putabat amissum et mortuum.
terea vero destituitur omni solatio, et tota domus
pletur luctu et moestitia, tristissimae tenebrae in-
ruunt post occasum solis, cum moritur ei carissi-
a conjunx, quae primis sex annis fuerat sterilis,
st natum vero Ioseph X., erga quam ob assiduam
spectationem et desiderium prolis auctus fuerat
nor mariti, cum esset impraegnata. Deinde toti
miliae erat carissima domina, spes et solatium do-
us. Ea vero praeter omnem spem et exspectatio-
m evocatur ex hac vita, et moritur loco incommo-
et infelici. Si enim ante hoc tempus in Syria
em suum obiisset, aliquanto fuisset tolerabilius.
m crescit dolor, quia in ipso limine paternae do-
us occumbit.

Taceo jam moerorem et luctum ex avulsione
ae uxoris, qui per se longe est acerbissimus. Ni-

hil enim praestantius et dulcius est in hac vita, qui concordia et benevolentia mutua inter conjuges. Si-cut inquit Sirach 25. (v. 1.): „In tribus benepla-tum est spiritui meo, concordia fratrum, et ami- proximorum, et vir et mulier, bene sibi consentien-tes“. Ex obitu uxoris morosae et improbae nulli admodum dolor est; sed inter has conjuges fuit summa et ardens benevolentia, ac στοργή suavissima. Ipsa pudica, sancta, sedula, grata vicinis et fami-liae, amans mariti, morigera in rebus omnibus. Fuit igitur ingens dolor et moestitia Patriarchae Iacob. Iamque omni spe et gaudio suavissimo excidit, et cogitavit: Quid est, quod dicit Deus, meam fami-liam auctam et multiplicatam iri, cum auferat ma-trem, per quam debebam crescere et multiplicari?

Non intellexit promissionem, nec potuit haec duo, quae re vera diversissima sunt, conciliare, promittere semen ac posteros, et eripere matremfamilias, unde ipse et tota domus cum avo Isaac exspectabat prolem. Et praecipue ob consolationem recens exhibitam non poterat vereri ullum periculum conjugis. Quin omnes uno ore praedicaverunt felicitatem Rahelis, quod futura esset mater complurium liberorum, si quidem dixerat Deus, *multiplicatum* iri Iacob. Id nemo aliter, quam per Rahelem futurum putabat. Et saepe ei dixit Iacob: Mea Rahel, agamus Deo gratias, qui promisit denuo sobolem; nunc demum fecundaberis, et ob hanc causam si unquam alias nunc maxime eam dilexit. Sed fallitur suavissima spes conjugum et familiae. Sicut Hevae accidebat, edito Cain; ajebat enim: „Acquisivi virum Domini“. Dominus ipse venit, qui conteret

ca-

caput serpentis. Verum non modo spe sua fallebatur, sed etiam aliud ingens malum ab eo imminebat.

Ita hic ait Deus ad Iacob: Cresces; sed eripiam tibi uxorem. Haec sunt prorsus contraria. Erat ipsa mater primogeniti Ioseph et mater familias, jamque Benjamin et alii ex ea sperabantur. Parturit ergo in via, qua ad avum Isaac tendebant, sed magna difficultate et cum periculo vitae, nec potest, quod optabat maxime, infantulum in gremio avi deponere, sed extinguitur laboribus partus, et cum ipsa gaudia et spes pulcherrimae. Obstetrix videt, eam laborare et turbari metu mortis; ideo eam consolatur, et ait: Etiam hunc filium habebis. Sed frustra; sentit enim Rahel, deficere vires, et paulatim occupari a morte. Ideo vocat nomen filii Benoni a dolore. Hic est exitus Rahelis miserabilis et tristis profecto, cum ipsi marito, tum reliquae familiae. Obdormit in partu, in vocatione et statione sua, in quam divinitus collocata fuerat, et occumbit sub cruce, quae a Deo imposita est mulieribus: „Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos“ etc. Non est exemta periculis et calamitatibus impiarum mulierum. Atque id quoque miserandum est, tam sanctae mulieri, quae fuit ornamentum istius domus et totius ecclesiae, easdem difficultates objici, quae impiis obvenire solent.

Hoc exemplum diligenter considerandum est, et cogitandus luctus et dolor optimi Patriarchae, quem omnes circumstantiae hujus historiae augent et aggravant: neque adhuc finis est aerumnarum. Nam post amissam matrem, mox et eodem fere anno amittit primogenitum hujus matris, Ioseph. Tertio stupratur Bilha, ancilla Rahelis, a primogenito alterius conjugis, Ruben. Num id est benedicere? Imo non

Deus, sed Diabolus mecum locutus est, potuit cogitare Iacob. Et impatiens aliquis in has voces facile prorupisset. Non pervenit ad patrem, nisi objectis prius duabus summis calamitatibus, morte Rahelis et incestu Ruben cum Bilha, quae successerat Raheli. Nimium profecto hoc fuit, tribus atrocissimis tempestatibus admodum parvo intervallo obrui, quarum una tantum enecare posset hominem impatientem et carnalem.

Ac nos quidem sumus delicati martyres; non enim intelligimus, et multo minus sustinere possumus magnitudinem horum malorum. Christi passio sublimior est omnibus aliis afflictionibus: neque ita nos afficit, quia Deus est. Sed Patres nobis similes fuerunt, et humana omnia passi sunt, ut Iacob amat Rahelem propter eximias virtutes, quibus praedita erat. Ipsa sperat magnam posteritatem ex se nascendam; sed in ipsa spe et partu exstinguitur. Eo igitur moderatior debet esse dolor aliorum, si qui orbantur aut conjuge, aut liberis: quia videmus, eadem passos Patres, quibus nos longe inferiores sumus, nec habemus promissiones de regno, de posteritate, de sacerdotio, ut illi, quae omnia tum amisit Iacob.

Fiunt autem ejusmodi tentationes acerbiores, cum insuper accedit conscientiae pavor, Satana oleum igni addenti. Quando enim videt Diabolus animos tentatos et territos, mox ignita sua et venenata tela in eos torquet, ut cogitent, Deum sibi irasci et adversari. Magna igitur consolatio est in omnibus tentationibus, posse statuere, Deum adesse et favere nobis. Sed difficulter animus humanus eam potest amplecti, wenn unser Herrgott einen also herzet, daſs

ihm will die Seel' ausgehen. Sed talis sane est dilectio Dei, qualem exhibuit in proprio Filio, quemadmodum inquit Christus (Ioh. 15, 9.): „Sicut Pater diligit me, ita dilexi vos“, scilicet secundum phrasin Hebraeam, de qua supra, hoc est, affligendo ante glorificationem, quam phrasin non intelligit mundus, quia impiis, quos non diligit, replet ventrem donis corporalibus. Sed addit (Luc. 6, 24. 25.): „Vae vobis divitibus, vae vobis, qui ridetis, et saturi estis“.

Ad hunc modum sanctorum Patrum aerumnae nobis in exemplum proponuntur, ut videamus eorum exercitia et insignem fidem in calamitatibus, et discamus, nos non amittere conspectum Dei ridentis, benedicentis, promittentis, si quando aufert ea, quae nobis sunt dulcissima, et promissione sua stabilita. Quin sic statuat fides: Etsi haec calamitas mihi est longe acerbissima, tamen credo, Deum esse veracem. Sed in ejusmodi inopinatis casibus admodum duriter concutitur, et vix emicat, instar lini fumantis: ideo talibus exemplis exsuscitanda est.

Cumque efflaret animam (moriebatur enim) vocavit nomen ejus Benoni. Pater vero appellavit eum Benjamin.

Moses breviter omnia perstringit. Sine dubio autem multa verba, gemitus et lacrymae intercesserunt, priusquam appellaretur Benjamin. Rahel ipsa commendavit Deo animam suam, et acquievit consolationibus propositis a Iacob in extremo agone et in ipso labore partus, quia fuit plena fide, et antea satis duriter exercitata est communibus aerumnis mariti in domo Laban, quarum fuit socia: sicut Sara

et Abraham communia pericula sustinebant. Afficiuntur enim piae uxores maritorum tentationibus, condolent, collacrymantur, talis στοργή etiam in Rahele excellens fuit. Tristissimus igitur fuit obitus ejus marito, familiae et viciniae, quibus virtutes ipsius et pietas nota fuit.

Discenda autem est consolatio, qua in funeribus conjugum, liberorum, amicorum nos sustentemus. Ut maxime enim et nostra et conjunctorum mors tristis sit, certa tamen res est, nos in aeternum victuros. Melius sane fuit, Rahelem sic mori in invocatione et fide Dei, quam si frui licuisset omnibus gaudiis hujus vitae, etiam iis, quae promiserat Deus. Post mortem enim infinitis modis beatiores erimus, et plurium bonorum domini, quam in hac vita reliquimus. Ea enim momentanea et caduca sunt, pro quibus aeterna adipiscimur. Caro autem non potest non ejulare et dolere, sicut hoc exemplum testatur, cum imponunt filio nomen a dolore. Et existimo, aliquandiu sic nominatum fuisse, donec luctu nonnihil levato Iacob mutavit, et dixit: Non volo amplius lugubre momentum domi meae habere, quod perpetuo de extrema voce et dolore amissae conjugis me admoneat, et dolorem renovet; sed appellat eum Benjamin, hoc est, filium dextrae meae.

Disputant autem de ratione appellationis hujus. Ego oeconomice sic intelligi posse opinor. Lea fuit uxor sinistrae, Rahel dextrae, hoc est, primaria et praecipua. Est ergo filius dextrae, quasi dicat, carissimae uxoris. Et per hoc nomen potius amoris sui erga suavissimam conjugem, quam doloris et luctus memoriam exstare voluit. Ita mutat nomen tristius in laetum. Alia ratio est politica, sive eccle-

siastica. Iste filius, qui ex carissima uxore est natus, adibit haereditatem promissam et debitam filio primariae conjugis, erit haeres regni et sacerdotii. Est enim in ea sententia, quod ad Joseph pertineat promissio et benedictio; sicut ipse eam prae fratre Esau adeptus erat, et si Ioseph moreretur, putat successurum Benjamin. Nondum intelligit, Iudam fore patrem Christi, donec in Aegypto primum discat, suggerente id Spiritu sancto. Hoc magis autem confirmatur in ea opinione, quia non sperat alium filium; ideo unice eum diligit, et inde exsistit odium fratrum adversus Ioseph, quod cum exsereret sese, et venderetur a fratribus, pater incredibili dolore afficitur.

Mortua ergo est Rahel, et sepulta est in via, quae ducit Ephratam, hoc est, Bethlehem.

Decessit Rahel in fide et invocatione Dei, et sublata est ad coelum in sinum Abrahae, patris sui. Condita est autem non procul a Bethlehem, fere quarta parte milliaris Germanici. Ibi mortua et sepulta est in agro vicino, aut in via, perinde ac si pastoris alicujus uxor in campo aut inter pecudes moreretur. Non fuit ibi domus, nec diversorium ullum praeter tabernaculum Iacob. Haec est via sanctorum ad coelum.

אֶפְרָתָה et בֵּיתלֶחֶם diversa vocabula sunt, sed idem fere significantia. Ephrata, fructifera, fertilis. Idem sonat Bethlehem, domus panis, cibi, da ein gutes Schnabelweid ist.

Et collocavit Iacob statuam ad sepulchrum ejus. Haec est statua monumenti Rahel usque in praesentem diem.

Patres magnifice ornarunt sepulchra. Non ab-

jecerunt mortuos tanquam cadavera bestiarum, sed statuerunt eis monumenta in perpetuam et immortalem memoriam, ut essent testimonia futurae resurrectionis, quam credebant et exspectabant. Retinendae igitur sunt caeremoniae et pompa funebris, fletus item et commiseratio, non ut oretur pro defunctis, quod Lyra vult, aut ut metuamus mortem, sed potius ut in ipsa morte discamus exercere fidem luctantem adversus terrores mortis, et sic sentiamus, nos quidem mori et sepeliri ignominiose, sed in gloria resurrecturos. Sicut Iacob hanc consolationem retinuit: *Frustrata* es spe gaudiorum tuorum in hac vita, mea Rahel, sed o felicem frustrationem, quia bona corporalia et caduca cum aeternis commutasti. Ad hunc finem erectae sunt statuae, ut exemplo patrum vitam praesentem negligere et contemnere discamus propter alteram meliorem, quae restat. Deinde etiam freti promissionibus aequo animo toleremus voluntatem Dei. Quid enim possunt Diabolus aut Turca, si etiam vitam eripiunt? Si enim credimus, quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo, 1 Thess. 4.

Profectus ergo Israël tetendit tabernaculum suum ultra turrim Eder.

Latinus interpres Eder fecit appellativum; sed est proprium nomen arcis, seu turris, quae fuit specula in agro Bethlehemitico, quem certum est semper fuisse pascuum. Hieronymus scribit, Eder postea mutatum in templum, quod suo tempore dictum sit: Angelus ad pastores, quia ibi apparuerunt Angeli pastoribus ea nocte, qua natus est Christus. Semper enim fuit ibi frequentia pastorum et gre-

rum propter pascua ovium; ideo nomen habuit a pascendis gregibus. Fuit sita arx ultra Bethlehem versus meridiem. Lyra eadem dicit, et sequitur Hieronymum.

Alii vocem Eder aequivocant, et interpretantur ipsam Ierosolymorum urbem, propterea quod, Michae 4., dicitur: „Et tu turris gregis nebulosa filiae Zion" etc., qui error ortus est ex obscura et vitiosa translatione et negligentia grammaticae. Micha enim loquitur de turre gregis appellative per metonymiam, quod ex sequentibus patet: „Tu turris gregis Ophel", hoc est, munitio sive arx civitatis. Est igitur nomen proprium loci in vicino agro Bethlehem, ubi hodie templum est, quod vocatur: Angelus ad pastores.

Factumque est cum habitaret Israël in ea regione, ut abiret Ruben, et dormiret cum Bilha, concubina patris sui, quod audivit Israël.

Post mortem Deborae et Rahelis sequitur alia insignis et tetra calamitas sanctissimi Patriarchae, cujus atrocitatem verbis consequi nequeo, commendo eam rhetoribus et oratoribus amplificandam. Est enim horrendum nefas. Primogenitus Ruben, qui destinatus erat ad regnum et sacerdotium, se ipsum perdit cum tota posteritate. Est crudele facinus, sed ipsi auctori pessimum. Mitigabimus tamen aliquantum, et dicemus, eum peccasse stultitia seu libidine, et Bilham puto fuisse formosam, nec satis firmam, quia facile cessit stolido juveni, quem si durius increpuisset, et fuisset interminata, se dicturam patri, potuisset eum repellere; aber es laut ubel gar satt. Non minus igitur reprehendenda est Bilha, quam Ruben.

Appellat eam Moses concubinam, sive pellicem; sed fuit tamen vera uxor, et mater duorum filiorum, Dan et Naphtali, quae fuerunt duae maximae tribus, unde orti sunt Simson et Barac. Ab ipso autem patre Ruben afficiuntur insigni et perpetua ignominia. Debora et Rahel vixdum exstinctae et sepultae fuerunt, et adhuc quasi tepebant ossa utriusque, cum hoc scelus perpetratur. Fuerunt enim magistrae morum et disciplinae domesticae, quibus sublatis relinquitur Bilha, Rahelis ancilla, et fit subita mutatio et confusio disciplinae in tabernaculo Rahelis, quam ipsa sua diligentia facile cavere potuisset, nec esset passa, ancillam ita lascivire. Diabolus tantae turpitudinis auctor fuit ad vexandum sanctissimum virum, qui habuit promissionem, ex se nascendos esse populos et reges. Sed quod initium est hujus benedictionis? Moritur uxor, in qua omnis spes posteritatis erat. Nunc tabernaculum primariae conjugis foedissime polluitur; non enim habuit Iacob deinceps consuetudinem cum hac pellice, nec mirum fuisset, si magnitudine doloris fuisset oppressus. Ego sane sustinere aut vincere non possem; nimis enim durum et intolerabile prorsus est.

Et fuit tum adhuc recens vulnus et dolor ex obitu Rahelis et Deborae. Ibi nondum finito luctu, sed manantibus adhuc lacrymis primogenitus Ruben novum vulnus infligit. Bilha autem non invita aut coacta, sed volens fecit. Neque est fornicatio, nec adulterium aut stuprum, sed est incestus turpissimus, vivo patre dormire cum ipsius uxore.

Scribuntur autem haec ad consolandos nos, ut sciamus, nostras afflictiones et calamitates non esse extremas, et ne quidem conferendas ad Patriarcharum aerumnas. Deinde, quod peccata remittantur, sed non sine poena. Nam haec tribus postea fuit infirma et abjectissima, et faex totius populi Israëlitici, et ablata est ab eo primogenitura, hoc est, regnum et sacerdotium, ita ut multo satius fuerit Ruben vel septies mori, quia ad omnem aeternitatem ad finem usque mundi celebratur historia haec, omnia templa et scholae personarunt commemoratione tantae turpitudinis, ad quam omnes nepotes et po-

teritatem necesse fuit erubescere. Neque ulla historia exstat, quae insigniter aliquid a Deo in hac tribu gestum celebret. Manet igitur superstes Ruben et tribus ex eo orta, sed in perpetua ignominia. Et haec quidem satis gravis poena est, quod totam posteritatem patris turpitudinem resonantem per omnia pulpita audire oportuit.

At ubi nunc fortes illi filii Iacob in ulciscendis injuriis et sceleribus? Quare non trucidant incestuosum fratrem. Sichem occisus est, quod filiam Dinam stupraverat. Id vero tale erat, ut posset honesto conjugio ornari, tegi et sanari. Non erat incestus nec prohibitus gradus. Hic severitate singulari adversus incestuosum opus erat. Et satis justam causam habebant Dan et Naphtali; illis enim perpetuo hoc potuit objici, matrem eorum fuisse incestuosam: quanquam ex incestu non erant nati, tamen mater postea incestum commisit, quae macula eis adspersa erat a Ruben. Fuit igitur seminarium maximi odii et perpetuae simultatis.

Iudaei scelus hoc excusare conantur, ut solent esse in laudes suorum effusissimi, quemadmodum et Graeci olim et Itali hodie omnes alias nationes prae se contemnunt, et vocant Barbaros. Ita Iudaei, ubi etiam manifesta sunt vitia suae gentis, tamen studeant extenuare, tegere, ornare. Negant ergo, Ruben esse incestuosum, sed injurium fuisse in patrem dicunt. Mortua enim Rahele transtulisse Iacob lectum Bilhae in cubiculum Leae; ob id filium Ruben indignatum, et abstulisse lectum Bilhae, non concubuisse cum ea etc. Sic depravant sacram scripturam insulsissimis et vanissimis nugis. Sed in Hebraeo textus aperte habet: „Dormivit, concubuit cum Bilha", sicut ait mulier ad Ioseph, infra 39. (v. 7.): „Dormi mecum". Item 49. (v. 4.): „Effusus es sicut aqua: non crescas, quia adscendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus". Item, 1 Paralip. 5. (v. 1.): „Ipse fuit primogenitus ejus, sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Ioseph, filii Israël, et non est reputatus ille in primogenitum".

Non igitur tegi aut ornari tantum nefas potest:

et quantus fuerit dolor ex hac turpitudine filii uxoris optimo Patriarchae, cogitare facilius, quam eloqui possumus. Ac mirandum sane est, hosce tragicos casus accidere etiam sanctis hominibus, ubi habitat Spiritus sanctus, loquitur, regit, ubi est vera ecclesia, sincera, sancta, et tamen Diabolus ibi etiam tantum potest, ut tam atroces turbas excitet. Non erat tum alia mulier in domo Iacob, quae succederet mortuae Raheli, ex qua exspectaretur promissa posteritas a Deo, praeter hanc, et haec stupratur et polluitur a filio. Quid posset homini in vita accidere tristius et horribilius?

Hactenus igitur nominatus est Iacob, hic primum appellatur Israël in historia, cum ait Moses: „Et profectus Israël tetendit tabernaculum" etc. Item: „Cum habitaret Israël" etc. Hoc nomen singulari studio inculcat scriptura ad exaggerandum et aggravandum turpissimum incestum. Vult enim significare, Ruben hoc scelus commisisse post glorificatum patrem, post mutatum nomen et datam promissionem, quod deberet crescere et generare reges. Post tantam gloriam abit Ruben, et stuprat Bilham, et polluit tabernaculum primarium Rahelis. Non frustra igitur hoc loco Israël vocatur, quia indigne fert Spiritus sanctus, patrem sic exaltatum a Deo foedissime pollui a filio in uxore, quae successerat Raheli defunctae.

Mirum sane est, potuisse eum tam diu vivere. Sed vixit in verbo promissionis: alioqui impossibile fuisset ferre et superare tot et tam graves calamitates. Iam discit, quid sit crescere et multiplicari, et mirum hoc, quod ipse non amplius possit generare ullam prolem. Rahel enim mortua est, ex qua sperabat numerosam sobolem; Bilha autem polluta. Vixit igitur postea solus sine consorte tori, non habuit amplius consuetudinem cum polluta, nec cum ulla alia muliere. Ideo statim subjungit Spiritus sanctus catalogum filiorum Iacob, ut significet, non fuisse plures, quam duodecim, dabei solls bleiben. Sic David propter incestum Absolonis vixit caelebs usque ad extremum vitae, et Iacob non tam aetate, quam dolore et indignatione motus continuit.

Erant autem filii Iacob duodecim. Filii Leae: primogenitus Iacob Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar et Zebulon. Filii Rahel, Ioseph et Beniamin. Filii autem Bilhae, ancillae Rahel: Dan et Naphtali. Filii Zilpa, ancillae Leae: Gad et Asser. Hi sunt filii Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia.

In Hebraeo est: Filii Iacob, qui natus est; ponitur singularis numerus pro plurali. Prius Israël appellatus est propter atrocitatem criminis. Iam rursus vocatur Iacob. Atque hoc vult dicere Moses: Hic est finita generatio Patriarchae Iacob, habentis promissionem de multiplicatione sobolis, et regum egressione ex lumbis ipsius: ad quem nihil sequitur. Quomodo igitur impletur scriptura sancta? Post Beniamin editum et matrem in partu exstinctam desiit generare Iacob, et tantum duodecim filios habet. Quomodo igitur crescit? Hic vides, quomodo Iacob ex ista calamitate sumserit verum intellectum promissionis. Amissa enim Rahele, et tabernaculo ejus incestato, intellexit, jam natos esse, ex quibus orituri sint reges, Ioseph et Iuda, quorum hic pater est regum in Iuda, ille est pater regum in Israël. Hi descenderunt ex lumbis Iacob, et qui ex iis nati sunt, etiam a Iacob orti intelliguntur. Ita Iacob calamitate edoctus est, quod deberet abstinere a futuro conjugio; ideo cum Lea quoque nullam habuit consuetudinem. Hactenus ergo insigne exemplum summae calamitatis in Iacob et peccati in Ruben.

Hi vero duodecim Patriarchae sunt, quorum sanctitas in scriptura celebratur, qui fuerunt Patres sancti populi Israël. Sed vide, quam enormibus flagitiis eos Diabolus involvit. Talem enim filium facit Ruben, qualis in gentilium historiis non facile invenietur; nam et gentes hoc scelus abominatae sunt: sicut inquit Paulus, 1 Corinth. 5. (v. 1.): „Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat". Id vero accidit in ecclesia sanctissimi Patriarchae Iacob. Postea secuta sunt homicidia et mendacia horrenda; nam reliqui filii omnes praeter

Ioseph et Beniamin, praesertim filii Leae, sunt fratricidae et parricidae. Quantum enim in ipsis est, occidunt patrem Iacob tam diris sceleribus, quibus magis turbatus et contristatus fuit, quam omnibus aliis calamitatibus. Necant et fratrem Ioseph, et mittunt patri tunicam, ac si revera sit interfectus, et non modo non consolantur, sed etiam rident optimum parentem.

Ideo autem haec proponuntur, ut commendetur infinita longanimitas, et inaestimabilis misericordia Dei, ne quis magnitudine et multitudine peccatorum suorum territus, animum despondeat, aut abjiciat fidem in Deum. Nam et Patriarchae fuerunt pessimi et sceleratissimi. Nec defuit ipsis verbum, nec magister, nec disciplina, nec exempla patris. Habuerunt magistram Deboram, viderunt tot auxilia et mirabilia Dei exhibita, tot promissiones factas patribus audiverunt. Quid vero didicerunt Ruben et alii, auditis tot pulcherrimis concionibus? Es sind böse Buben gewesen, et satis graves poenas dederunt, sie habens dürr müssen büſsen.

Pertinent ergo haec ad doctrinam et correptionem nostri, ut metuamus iram Dei et poenas. Deinde ad consolationem, si qui habent filios perditos et immorigeros, ut calamitatem eam moderate ferant, si quidem non sumus meliores Patriarchis. Singuli enim atrocibus criminibus contaminati fuerunt Asser, Dan, Beniamitae, ut testatur penultimus et ultimus Iudicum, multo magis vero Ephraimitae, quia Diabolus longe infestius impugnat ecclesiam, quam ceteros.

Et venit Iacob ad Isaac, patrem suum, in Mamre in Kiriat Arba, quae est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac. Fuerunt autem dies Isaac centum anni et octoginta. Et deficiens mortuus est, collectusque ad populos suos senex, et satur dierum: et sepelierunt eum Esau et Iacob, filii sui.

Hic rursus ponitur nomen Iacob; sed sceleri Ruben supra opposuit Israël. Et apparet, Patriarcham

tardius processisse cum pecudibus et impedimentis, aut ipsum vel peditem vel vectum camelo praecessisse, et aliquoties visitasse patrem, antequam totam familiam adduceret. Mamre proprium nomen est viri, unius ex tribus fratribus, qui fuerunt in foedera cum Abraham, supra 14. Ab hoc Mamre primogenito nomen habet civitas, quia in Hebron aut ipse, aut aliqui ex posteris dominati sunt. Isaac autem jam grandaevus et oculis captus non vidit Iacob et nepotes, tantum audivit seriem tentationum et calamitatum, quas hactenus sustinuit, quod Debora et Rahel essent mortuae etc. Ibi miseratus magnitudinem aerumnarum consolatus est filium, et dixit, haec esse infernalia et Diabolica mala. Sed Deum potentiorem Diabolo non permittere, ut supra vires tentemur. Major enim est, qui in nobis est, quam qui in mundo etc. et pater ipse similibus difficultatibus conflictatus in tota vita singulari gravitate et fructu potuit filium consolari.

Postquam autem domi voce et conversatione suavissima parentis aliquot annis acquievit, moritur pater. Et jam solus Iacob superstes est, omnes alii Patres a diluvio usque ad hoc tempus mortui sunt. Itaque totum onus gubernationis soli Iacob incumbit, qui vivit adhuc in tanta malitia filiorum, et contra Diabolum grassantem perdurat orando, docendo, exhortando, comminando. Sustinuit magnos labores in extrema senectute, nec habet amplius socium Isaac aut ullum alium ex Patriarchis. Moritur ergo Isaac tranquilla et placida senectute, satur dierum, non ut homines voluptuarii, sed pertaesus hanc vitam, et exhaustus laboribus et aerumnis. Ich bin des Lebens müde, ich mags nicht mehr; ideo oravit, ut Deus se liberaret, et tandem in portum et meliorem vitam deduceret.

Hic modus loquendi: „Collectus est ad patres suos“, testatur futuram resurrectionem mortuorum, si quidem est populus aliquis, ad quem colligimur. Non enim evanescimus in auras morientes. Ideo non dicit Spiritus sanctus: Evanuit, postquam desiit vivere: sed: Est collectus, non dispersus, non disjectus aut afflictus, ut in vita misera et calamitosa, sed

liberatus ab omnibus malis collectus est ad populum suum, sicut alii Patres, qui dormiunt in pace, quos collegit Deus in sinum suum, ubi suaviter quiescunt. Haec est vis horum verborum, quae valde significanter ponuntur. Est populus quidam mortuorum, in quo sunt Adam, Seth, Abraham, Debora etc. ille populus est collectus in sinu et brachio Dei, ibi fruuntur suavissima quiete, et suo tempore resurrecturi sunt. Hac igitur figura ostendit scriptura sancta, mortuos esse Patres, non ut gentes moriuntur, sed esse congregatos et conservatos in manu Dei. Sicut inquit Isaias 57. (v. 2.): „Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua". Et veniet hora, qua apparebunt rursus, et egredientur e monumentis pulchriores sole et stellis, hi scilicet, qui recte ambulaverunt. Ruben non venit ad hanc spem resurrectionis futurae, nisi purgatus per poenitentiam, sicut Paulus fuit persecutor et hostis Christi, qui effudit multum sanguinis innocentis: sed abstersit hoc peccatum sanguine Filii Dei.

Diligenter igitur tales loci notandi sunt cum vocabulis, quibus Spiritus sanctus utitur, et non abjicit aut dispergit sanctos, sed congregat, ita ut ne unum quidem ex ossibus aut pilis eorum pereat. Conveniunt autem fratres Esau et Iacob ad sepulturam, et ponitur Esau in textu ante Iacob. Neque vero dubium est, quin etiam antea visitarit patrem, et pater saepe eum amanter castigarit, et monuerit, ut deponeret odium et vindictae cupiditatem. Ideo venit ad funus, ut obedientiam et reverentiam suam erga patrem declaret. Et est signum certum, rediisse eum in gratiam cum fratre, et se adjunxisse verae ecclesiae, ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione, tamen ex gratia. Sicut nos gentes recipimur in gratiam, non ex promisso, sed ex misericordia.

SM



